OPERA POETARVM CHRI- STIANORVM QVORVNDAM VTI- lisſima, ac adoleſcentibus in religio- ne uera educatis, accommodatiſ- ſima. Cum indice dili- gentiſsimo.

Sequens pagina, quid hic contineatur, ſignificabit.

BASILEAE.

M. D. XLV.

AVTORVM CATA
logus.

Cœlij Sedulij presbyteri Paschale opus cum commentarijs, & enarrationibus luculentissimis Aelij Antonij Nebrissensis.

Iuuenci Hispani historia Euangelica.

Index diligentissimus.

in hunc regionis tractum, per pios ecclesiæ ministros propagârit, sed etiam strenuus defensor in asserẽdo euãgelio Christi hactenus fuerit, & si oblatrarint undique hostes, nihil aliud cogitantes, agentesq́ue die noctuq́ue, quàm uerbi dei felicem cursum impedire. Sed frustra hoc saxum uoluerunt: obstitit enim illius prudentia & fortitudo conatibus ipsorum. Imò quò magis ignem Euangelij humanis opinionibus, ac crudelitate non dicenda extinguere conati sunt, eo magis (quis non diuinã potentiã hac in re agnoscet?) exarsit, flammas diuinæ gratiæ circumquaq́ue, dispulsis tenebris, disiecit. Quid de matre, fœmina pijssima, ex Hassiaca gente prognata, quæ gratia dei & Christi cognitione repleta, cuius os Christũ spirat, manus opera misericordiæ exercent, dicam? Erit fortassis commodior locus illius laudes ac Euangelicas uirtutes enumerandi. Verum dices frotassis, candidissime princeps, à quo tu, qui longè dissitus es, hæc habes, aut quæ in te fiducia,

ut me principem hominem, alijs negocijs obrutum, adpellare audeas? Ingenuè quod res est, dicam. Non semel à doctis uiris, tuarum uirtutum admiratoribus, calcar admotum est, ut in hac dissensionum procella, si non proprium libellum meo marte conscriptum, attamē alterius cuiusdam docti uiri laborem, tibi inscriberem. Primum quod maximè rei literariæ candidè faueas, prorsusq́ erga doctos omnes Mecœnatem quendam agere soleas. Deinde ut alios principes tuo exemplo excitarem, quo euangelio Christi credant, illud ament, promoueantq́ singulari studio, quum uideant ferè Christianam religionē interire. Partim etiam ut illis bonis uiris satisfacerem, qui tua in regione & educati & literis bonis instituti sunt. Accipe igitur, felicissime Princeps, hunc meum laborem, quem in emendandis tam carminibus quàm commentariolis istis insumpsi, grato animo. Et si sensero hoc meum officium tuæ dominationi acceptum fuisse, meliora breui

&

& in agello nostro enata, missurus sum:
Siquidem mos est uetus, principibus uiris, aut proprias lucubrationes, aut aliorum ob inscitiam quorundam deprauata exemplaria, parum emendata, consecrare, quo illud quicquid sit, ab inuidorum morsu, qui nusquam non manum in alienã messem immittunt, tutum esset.
Tibi enim cognitio latinæ linguæ mediocris, qui sub docto præceptore Gasparo aliquandiu operam non infœliciter nauasti ac profecisti etiam supra ætatem.
Aulas regum ac principum (in quibus nostro tempore corruptio morum candidorũ, superbiæ uitium ac fastus regnant, ebriosorum hominum turba triumphat, quæ nescit unquàm è mensa surgere, nisi hirudinum ritu sic distenta ac inflata, præ nimia crapula & ebrietate, ut tantũ non crepent ac dissiliant,) hactenus, ô prudens consilium, à quocunq; uenerit, fugisti, tanquàm pestem bene constitutæ reipublicæ. Eam ob causam multis adeò nominibus mihi uisum est conuenire, ut,

 sub

ſub tui nominis auſpicijs in manus hominum exirent, Iuuencus Hiſpanus, poëta non inelegans (qui ſub Conſtantino Magno anno 330. floruit) necnon Sedulius Scotus (qui ſub Theodoſio imperatore anno 430. claruit) cum alijs doctiſsimis carminibus, quæ omnia Barptholomæus Vueſthemerus, typographus mira induſtria, iterum ſub prælum reuocauit, Vetuſtiſsimi ſunt Poëtæ et themata Chriſtiana dulciſsima uocum harmonia tractant, quos eccleſia catholica nunquã reprobauit: quorum carmina non ſolum terſa & polita, ſed etiam pia, & adoleſcentibus innocuis ualde accommoda. Verum quid ago, cum nihil hic tradatur, quàm Chriſtianum, quàm ſacroſanctum, & candidum, quod & T. C. arridere, & meum erga te ſtudium boni conſulere, perſuaſiſsimus ſum. Quod ſupereſt Deũ Optimum Maximũ precor, ut ſua dona, quæ largiſsimè tibi contulit, ſeruare, tueri & augere dignetur, qui ſimul & clariſsimorum tuorum parentum uoto ac

deſide

desiderio per omnia sis responsurus, & laudatissimis proauorum imaginibus dignus euadas, ac ditioni paternæ, cui natus, ac solenni ritu initiatus inauguratusq́ue, par esse queas. Quod omnes, qui tuæ dominationi subiecti, ardenti desiderio, continuis precibus à Domino, rerum omnium moderatore, contendunt. Vale. Basileæ
VI. Martij.
1545.

INDEX OMNIVM

QVAE NOTATV DIGNA VIdebantur, in hijs commentarijs diligentißimus.

Cœlum

Hospes

Pali-

AELII ANTONII

NEBRISSEN. GRAMMATICI IN Sedulij poëma de Christi miraculis Paraphrasis.

QVIS fuerit hic Sedulius, aut unde ortus, aut quibus temporibus floruerit, quæ solēt in reliquis autoribus desiderari: fateor me quod meminerim nusquàm legisse. Nam neq; diuus Hieronymus in libro de Viris illustrib. neq; in alio opere, quod est de Ecclesiasticis scriptoribus. Sed neq; Genadius qui post Hieronymum in eodem sudauit opere: aut qui quàm alius quod sciam Sedulij meminit: nisi quatenus Gelasius Papa in decretis Distin. 15. his uerbis scribit. Venerabilis uiri Sedulij Paschale opus quod heroicis scripsit uersib. insigni laude proferimus. Quodq; sub incerto autore quædam illius carmina ecclesia canit, ut illud: Salue sancta parēs enixa puerpera regem. Qui cœlum terramq; regit per secula, cuius & illud. Quæ uentre beato gaudia matris habens cum uirginitatis honore: Nec primam uisa es similē, nec habere sequentem. Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo. Et quod in nocturnis lectionibus omniū Sanctorū legitur. Egregius uersificator inquit, dei sapientiā omnia noße atq; posse, considerat, dicens:

Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus.

Signa, potestates, cursus, loca tempora nosti. Sigebertus tamen autor non multæ autoritatis asserit hunc fuisse natione Scotũ, scripsisseq́; opera complura ad religionem nostram pertinentia: floruisse aũt sub Theodosio Cæsare, quod mihi non fit uerisimile cũ à cæteris scriptorib. prætermissus sit. Operis uerò materia tangitur, cum dicit: Mirabiliũ diuinorũ: quod & ipse autor uidetur innuere cum scribit in ipsa statim sui operis fronte. Clara salutiferi taceam miracula Christi. & infra. Constant uirtutũ signa tuarũ. Et in epigrãmate quod ipsius nomine scriptũ reperitur: breuiterq́; trium phos tangit Christe tuos. Sed & in titulo qui in omnibus propè antiquis codicibus legitur mirabiliũ diuinorũ opus prætitulatũ est. At in ipsius epistola quæ est ad Macedoniũ presbyterũ opus suũ Paschale carmẽ inscripsit. Huic inq̃t operi paschalis carminis nomẽ imposui quia pascha nostrũ immolatus est Christus. Et in liminari uersu procœmij illud ipsum ostendit, dicẽs: Paschales quicunq; dapes conuiuia requiris. Et infra. Hæc firmos ad dona gradus paschalia ducit, hæc mihi carmẽ erit. Demq; & in Gelasij decreto, cuius pauloante mentionem fecimus paschale opus prænotatum est. Quare & nos duplicem materiam proposuimus: & quam antiqui codices habent, & quã recentiores, cũ præsertim ex

tim ex ipsius autoris opere uterq; titulus defendi possit. Neq; est nouum apud scriptores duplices titulos suis operibus apponere, id quod in Dialogis Platonis & Ciceronis licet intueri.

COELII SEDVLII

PRESBYTERI IN PASCHALE opus, hoc est, de Christi Iesu miraculis, *Præfatio.*

PASCHALES *quicunq; dapes conuiuia requiris:*
Dignatus nostris accubitare choris,
Pone supercilium, si te cognoscis amicum:
Nec quæras opus hic codicis artificis,
Sed modicæ contentus adi solennia mensæ
Plusq; libens animo, quàm saturare cibo.
At si magnarum caperis dulcedine rerum,
Diuitiasq; magis deliciosus amas,
Nobilium nitidis doctorum uescere cœnis,
Quorum multiplices nec numerantur opes.
Illic inuenies, quicquid mare nutrit edendum,
Quicquid terra creat, quicquid ad astra uolat,

Cærea gemmatis flauescunt mella canistris,
Collucentq́; suis aurea uasa fauis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod appositum testa ministrat, holus.

COMMENTARII.

PAschales. *In hoc epigrammate quod Prologij uicem sustinet. Sedulius extenuat uires suas, ut & arrogantiam fugiat: atq; proinde lectoris beneuolentiam sibi conciliet.* Paschales *dapes, idest, cibum animæ qui est Christus ipso dicente:* Ioan. *capite* 6. Corpus *meum uere est cibus & sanguis meus uere est potus.* Accubitare toris, *id est, accumbere nostris mensis.* Vergilius 1 Aen. *Tu das epulis accumbere diûum.* Pone *supercilium, id est fastum uel potius grauitatem & seueritatem.* Vergil. *siue ille est.* Oui. *in* Priapo. *Conueniens latio pone supercilium.* Vnde *& superciliosos appellat Seneca tristes & seueros alienæ uitæ censores.* Cognoscis *amicum, ide est, non conditione superiorem: cum amicitia uera, teste* Aristo. *sit inter æquales.* Nec *quæras hic opes, sic lego non opus: acsi dicat, non expectes in hac cæna quam tibi appositurus sum nimios sumptus.* Artificis *codicis, id est, scriptoris operis.* Adi *solennia, id est, accede ad solennitatem.* Plus, *id est, potius.* Animo, *id est, uoluntate amici præbentis tibi cænam*

Quam

Quam cibo, id est, cibi sumptuositatem. Diuitias, id est, locupletes sacrarũ literarũ autores. Deliciosus, id est, delicatus & fastidiens cibos uulgares. Cœnis. perstat in translatione pro disciplinis. Nobiliũ doctorum puta Hieron. & Aug. Mare, ut rhombos, soleas, accipenseres. Terra, scilicet fruges, quadrupedes. Volat, ut attegenas, phasides, numidicas. Mella cerea, id est, quæ cellis ex cera sex angulis includuntur: uel retulit ad colorẽ. ut Verg. in Buc. Addam cerea pruna: ideóque subdit flauescunt, qui color mellis est. Canistris quomodo mella canistris in cœna apponantur: non uideor nisi malis legere catinis. Quod uerò dicit gẽmatis aut pictis intelligendum est, aut floribus sparsis, aut quod catini gemmas habeant insertas unde subdit aurea uasa. Suis fauis, an sui coloris, an quod faui uasis aureis apponi consueuerunt, sic Martialis. In modici tibi flaua tegunt chrysendeta mulli. Cõcolor in nostra gammare lance rubes. Exiguum olus, puta braßicas et betas: & sunt translationes sumptæ à cibis corporis ad cibos animæ. De paupere horto. Virgilius in Buc. Custos es pauperis horti. Testa rubra, idest, patella figuralis ex rubrica formata: quo genere uasis nullum est uilius.

EXORDIVM.

CVm sua gentiles studeant figmenta Poëtæ
Grandisonis pompare modis tragicoq; boatu
Rediculoúe Getæ, seu qualibet arte canendi,
Sæua nefandarum renouent contagia rerum,
Et scelerum monimenta canant, rituq; magistro.
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis
Cur ego Dauidicis assuetus cantibus, odas
Cordarum resonare decem, sanctoq́; uerenter
Stare choro, & placidis cœlestia psallere uerbis.
Clara salutiferi taceam miracula Christi ?
Cum poßim manifesta loqui, Dominumq́; tonantem
Sensibus & toto delectat corde fateri.
Qui sensus & corda dedit, cui conuenit uni
Facturam seruire suam, cui iure perenni
Arcibus æthereis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale acumen,
Aequus honor, uirtus: sine tempore regnum,
Semper principium, sceptrum iuge, gloria consors,
Maiestas similis: hæc est uia nanq; salutis
Hæc firmos ad dona gradus Paschalia ducit,
Hæc mihi carmen erit: mentes huc uertite cuncti.
Hanc constanter opem læsis adhibere medullis,
Quos læthale malum, quos uanis dedita curis,

Attica

Attica Cecropi ſerpit doctrina ueneni,
Sectantesq́; magis uitam ſpirantis odorem
Legis Athenei fœtorem linquite pagi
Quid labyrintheo Theſidæ erratis in antro,
Cæcaq́; Dædalei luſtratis limina tectis,
Labruſcam placidis quid adhuc præponitis uuis,
Neglectisq́; roſis ſaliuncam ſumitis agri,
Quid lapides atq; æra coli, quid fana profanis
Proderit, & mutis animas damnare metallis?
Parcite puluerei ſquallentia iugera campi,
Et ſteriles habitare plagas, ubi gignere fructum
Arida neſcit humus: nec de tellure cruenta
Liuida mortiferis uellatis toxica ſuccis
Tartareo damnata cibo: ſed amœna uirecta
Florentum ſemper nemorum, ſedesq́; beatas
Per latices intrate pios, ubi ſemina uitæ
Diuinis animantur aquis, & fonte ſuperno
Lætificata ſeges, ſpinis mundatur ademptis
Vt meßis queat eſſe dei mercisq́; futuræ
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.

COMMENTARII.

CVm ſua gentiles: poëtarum partes Sedulius imitatur. Nam & proponit quibus de rebus eſt dicturus, & inuocat deinde: tum deniq; proſequitur o-

pus institutum. Sed cur potius hanc religiosam mate- riã elegerit rationes affert: sed illã imprimis quod Poëtæ res fictas aut malo exemplo perniciosas scribunt, ipse uerò ueriora ueris est scripturus. Poëtæ gentiles sic Christiani appellant illos quæ sunt à uera religione alieni quos Græci Ethnicos uocant. Pompare, uerbum nouum pro pompatice scribere. Boatu tragico, id est grandiloquo stilo. Iuuen. Grande sophocleo bacchamur carmen hiatu. Et Persius. Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo. Ridiculoúe Getæ. Sic legendum ex codicibus antiquis non ridiculo ueteri cum sit ordo & sensus. Vel cum renouent contagia rerum nefandarum, id est, res quæ malo exemplo, & quasi contagione quadã noceãt Christianis. Ridiculo Getæ, id est de rebus ridiculis: quales sunt quæ in comœdijs attelanis præsertim repræsentantur. Nam Getarum, Daciorum, Cappadocum & Syrorum nomina seruorũ sunt ex prouincijs & certis quibusdã regionibus figurata: quæ paßim reperiuntur in comœdijs. Qualibet arte. Puta carmine satyrico, elegiaco, epigrammatico, lyrico. Monumenta scelerum, id est, res quarũ recordatio multum nocere poßsunt. Ritu magistro, id est consuetudine quæ est apud poëtas rerũ magistra. Hor. in poëtria. Aut famam sequere, aut conuenientia finge.

Biblis

Biblis niliacis, id est, papyris Aegyptijs. Martialis. Perdite niliacas musæ mea damna papyros. Et Lucanus in 3. Nondum flumineas Memphis contexere biblos Nouerat. Nam papyrus siue biblus iuncus est: ex quo temperato antiquiores faciebant chartas scriptorias. Dauidicis cantibus. Nec mirum cum Sedulius presbyter fuerit: atq; proinde psalmorum cantor. Odas, id est, carmina siue cantus, qui Græce uocantur ᾠδή. Decem chordarũ, id est, in Psalterio decachordo: de quo in psal. 91. In psalterio decachordo psallam tibi. Verebor, id est, cum maxima quadam reuerentia. Placitis, id est, non turbulentis, sed ab animi tranquillitate profectis. Miracula Christi. Hæc est subiecta totius operis materia ad quam omnia referuntur, quæ in hoc opere scripta sunt. Salutiferi, saluatoris qui Græce σωτήρ, Hebraice Iesus siue Iosue dicitur. Manifesta. Non à Poëtæ ficta & falsis permixta. Facturã suam, id est, opus suum: nam factura & factor rarum est nisi apud iuniores. Arcibus æthereis. Et subaudi in terra iuxta illud Matt. ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Par splendor, id est, lumen de lumine, id quod in symbolo canitur. Lumen de lumine: & quod hymnographus dicit. Splendor paternæ gloriæ, & quod ad Hebræos cap. 1. legimus: Qui cum

ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius. Communis apex, *id eſt æqualis celſitudo.* Semper principium. *Per quod pater omnis creauit, iuxta illud Ioannis cap. 8. Principiũ qui & loquor uobis.* Sceptrum iuge. *Quod ſupra dixit ſine tempore regnum. Nam ſceptrum regni eſt inſigne quemadmodum & tiara. Vergil. 6. Aeneid. Sceptrum ſacerq́; tiaras.* Via ſalutis. *Superiora ſcilicet cõfiteri.* Ad dona paſchalia, *id eſt, ad Chriſtũ, cuius corpus ut diximus uerè eſt cibus cuius ſanguis uerè eſt purus.* Hæc. *Scilicet uia qua eundũ eſt ad Chriſtũ.* Mentes uertite huc. *Id eſt, animũ aduertite & cõſiderate.* Hanc opẽ. *Id eſt, medicinam.*

Medullis læſis. *Id eſt, peccati morbo uitiatis, hoc eſt mentis receſſu, ſiue cõſcientia corrupta.* Quos malũ lœtale ſerpit. *Id eſt, ambit alluditq́; ad naturã herpetis, ſiue ignis ſacri, per quẽ intelligit morbũ animi incurabilem ex longa cõſuetudine.* Doctrina attica. *Id eſt, artes & ſcientiæ humano ingenio adinuentæ, quæ quanq̃ à Barbaris originẽ habuerũt, ut Diogenes Laertius ſcribit. Athenis tamen exccultæ ſunt, & ad ſummam perfectionẽ perductæ.* Veneni Cecropij, *id eſt, Athenienſis: quia omnis diſciplina humano ingenio adinuẽta Chriſtianæ religioni plerũq; inimica eſt.* Odorẽ legis ſpirãtis uitã. *Ea aũt ſola eſt diuina quæ facit*

nos

nos deo uiuere. Linquite pædorē, id est, pueriles ineptias: nam ꝓprie pædor est puerorū squalor & illuuies. Trāsfertur tamē ad alias ætates et res. Lucan. de Mario lib. 2. Longosq́; in carcere pædor. Pagi Athenæi. Qui dicitur Ariopagus, id est, Martis uicus: eratq́; locus nō longe ab Athenis, ubi de maximis reb. Atheniensiū capitalibus maxime agebatur, à quadringētis senatorib. Itaq; cū legis diuinæ spirātis uitā meminißet subdit de legibus humanis Areopagitarū, q̄bus cū Paulus apost. disputauit. Quid labyrintheo. Sensus est sine lege diuina homines in hac uita errare neceße est: quasi in labyrintho quodā perplexo & inextricabili. Fuerunt aūt labyrinthi quatuor. primus in Aegypto, secundus in Creta, tertius in Lēnio, quartus in Italia: sed hic de Cretensi intelligit, de quo Virg. 6. Aeneid. Hic labor ille domus & inextricabilis error: & in quo pendere per tuas Cecropidæ iußi miserum septena quotannis corpora natorum. Ideò dicit: Thesidæ, id est, Athenienses ab illorum rege Theseo, quemadmodum & à Cecrope Cecropidæ dicuntur. Virgilius 4. Georgic. Præmiaq́; ingentes pagos & compita circum Thesidæ posuere. Et per Athenienses intelliguntur omnes diuinæ legis exortes. In antro labyrintheo. Id est, in profundo huius sæculi, quod est quasi quoddā aurum

Lustra-

Lustratis,id est,circuitis. Limina cæca,id est,occul ta. Sic Vergil. Dedalus ipse dolos tecti ambagesq; resoluit Cæca regens filo uestigia. Tecti dædalij. Quoniam labyrinthi Cretensem Dedalus fecit: uix centesimam Aegypti partẽ imitatus, ut refert Plin. Labruscam, Vuam ex uitibus incultis. Vuis placidis,id est, mitibus & maturis, hoc est, falsa ueris & diuinis humana. Esaiæ 5. An quod expectaui ut faceret uuas: & fecit labruscas. Neglectis rosis. Ex Vergil. in Bucol. Puniceis humilis quantum saliunca rosetis. Est autem Saliunca ut Plinius describit herba foliosa, sed breuis, & quæ necti non possit: radici numerosæ cohærẽs, her ba uerius q̃ flos densa ueluti manu pressa breuiterq; cespes sui generis. Nec est quod putauit Diascorides nardus gallica. Nec ut Mamotrectus enarrans Esa. 55 Pro saliunca ascendet abies, quã uulgo dicit appellari trepã. Seruius. Orci tunicã dicit appellari. Quid lapides. Dehortatur atq; ab idololatria mortales deterret, dicens: O profani, legitur et profanis, ut sit sen sus. Quid proderit uobis. Lapides & æra, id est sta tuas lapideas & æreas colere. Et fana, id est, templa in quibus uerus deus coli debet. Profanis, id est, rebus impijs & sacrilegis. Et damnare animas, id est, obligare atq; obnoxias facere. Virg. in Buccol. Damnabis tu quo-

tu quoq; uotis, id est, obligabis. Metallis mutis, id est statuis ex aliqua materia metallica fabrefactis. Parcite, id est, nolite, siue abstinete. Verg. in Bucol. Parcite oues nimium procedere. Iugera squallentia, id est, inculta & infructuosa. Cruenta, id est, quæ mortis causa est. Toxica, uenena quibus uenatores inficiũt sagittas: siue illa sint ex arbore Taro, siue ex eleboro. Liuida. Ab effectu, quoniam ueneno extincti liuescũt. Cibis tartareis, id est, ad inferos deducentibus. Sed intrare amœna uireta. Virg. 5. Aeneid. Deuenere locos lætos & amœna uireta: Et alludit ad paradisum uoluptatis, de quo Gene. 2. Per latices pios, id est religiosos, hoc est, per aquã baptismatis. Semina uitæ. Trãslatio est à seminibus in terram iactis quæ imbribus coalescit. Diuinis animantur aquis, id est uiuificãtur baptismate. Seges spinis mundatur ademptiss. Perstat in translatione semel sumpta. Et cumulare. Subintellige à superioribus queat: Fructum centenum. Iuxta illud in Euangelio Matth. cap. 13.

INVOCATIO.

OMnipotens æterne Deus, spes unica mundi
Qui cœli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere uicinæ prohibes confinia terræ.

Qui so-

Qui solem radijs, & lunam cornibus imples,
Inq; diem ac noctem lumen metiris utrunq;
Qui stellas numeras: quarum tu nomina solus,
Signa potestates, cursus, loca, tempora, nosti,
Qui diuersa nouam formasti in corpora terram
Torpentiq; solo uiuentia membra dedisti,
Qui pereuntem hominem uetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo potuq; sacrati,
Sanguinis, infusum depellis ab ungue uenenum
Qui genus humanum (præter quos clauserat arca)
Diluuij rabida spumantis mole sepultum
Vna iterum de stirpe creas, ut mystica uirtus
Quod carnis delicta necant, hoc præsule ligno
Monstraret liquidas renouari posse per undas
Totum namq; lauas uno baptismate mundum
Pande salutarem paucos quæ ducit in urbem
Angusto mihi calle uiam, uerbiq; lucernam,
Da pedibus lucere meis, ut semita uitæ
Ad caulas me ruris agat, qua seruat amœnum
Pastor ouile bonus, qua uehere præuius albo
Virginis agnus ouis, grexq; omnis candidus intrat
Te duce difficilis non est uia, subditur omnis
Imperijs natura tuis: rituq; soluto
Transit in aduersas iussu dominante figuras.

Si iube-

Si iubeas medijs ſegetes arere pruinis
Meſſorem producit hyems, ſi currere muſtum.
Vernali ſub ſole uelis, florentibus aruis
Sordidus impreſſas calcabit uinitor uuas
Cunctaq; diuinis parebunt tempora dictis,
Inditio eſt antiqua fides, & cana priorum
Teſtis origo patrum, nulliſq; abolenda per æuum
Temporibus, conſtant uirtutum ſigna tuarum
Ex quibus audaci perſtringere pauca relatu
Vix animis committo meis, ſyluamq; patentem
Ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.
Nam centum licet ora mouens, uox ferrea clamet
Centenoſq; ſonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet: quorum nec lucida cœli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur harenæ.

COMMENTARII.

OMnipotẽs æterne deus. *Inuocatio eſt more poë tico.* Spes unica. *Id eſt, ſupremum bonum & finis, in quem omnia diriguntur.* Fabricator ades. *Pro eo ut ſit compoſitum pro ſimplici. Nam adeſſe ſignificat propè eſſe.* Mergere confinia terræ. *Id eſt, oram maritimam, in qua Deus mari terminos præſcripſit.* Imples lunam cornibus. *Id eſt, lumine quod cornua ambiunt.* Vtrunque lumen. *Id eſt, ſolem et lunam, hoc eſt, ut Geneſis primo ſcribitur.*

Lumina-

Luminare maius ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti. Metiris, id est, diuidis. *Qui numeras.* Ex Psalmo 146. *Qui numerat multitudinem stellarum omnibus eis nomina uocat.* Signa. *Quæ ex stellis fixis constat, neq; sola illa duodecim zodiaci: sed alia trigintasex quæ sunt ad Septentrionem & Meridiem.* Potestates. *Quas uires habeant influendo terras.* Cursus: *Quos tam fixæ quàm erraticæ in orbibus suis conficiunt stellæ.* Loca. *Vbi unaquæque stella est secundum cœli longitudinem, latudinem, & profunditatē.* Tempora. *Quibus mouetur, ut Saturnus in annis triginta. Iuppiter in duodecim. Mars in triginta, & alij suis quiq; temporibus.* Terram nouam, *id est, nuper creatam.* In corpora diuersa, *scilicet plantas & animalia terrestria.* Viuētia membra, *id est, partes uiuentes quod idem est.* Meliore cibo, *scilicet corpore suo.* Ab angue, *id est, à diabolo in specie serpentis. Genes. cap. 2.* Spumantis. *Ex concursu uidelicet undarū.* Vna stirpe, *id est, in illis octo ex toto orbe superstitibus.* Vt mystica uirtus monstraret, *id est, in hac figura significaret.* Hoc quod delicta carnis necant, *id est, genus humanum.* Per undas, *scilicet baptismatis, ut statim dicetur.* Ligno præsule, *id est, in uirtute crucis siue paßionis Christi: quid si legas præ*

gas præstite, aut præside. Ducit in urbem, id est, cele stem Hierusalem. Angusto calle. Quia arcta est uia quæ ducit ad uitam. Verbi lucernam. Ex Psal. 131. Lucerna pedibus meis uerbũ tuum, & lumen semitis meis

Semita uitæ, id est, iter angustum: quia ut diximus. Arcta est uia quæ ducit ad uitam. Nam semita dicitur quasi semiter. Agat me, id est, ducat. Ad caulas, id est, ad septa siue ouilia. Qua, id est, ea cœli parte qua. Pastor bonus. Ipso dicente Ioan. 10. Ego sum pastor bonus. Ouile amœnum, id est, uoluptuosum ac propter se delectabile. Nam amœna dicuntur loca quæ propter seipsa expetuntur, dicta quasi sine munere, hoc est officio. Quo, id est: in quod ouile. Agnus ouis, id est, Christus Mariæ filius, de quo Baptista dixit: Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccatum mundi. Ouis uirginis. Nam si ille agnus metaphoricῶs, id est, castus dictus: & hæc ouis simplicitate, humilitate & innocentia dici potest. Preuius: quia Christus primitiæ dormientium, qui resurrexerunt: primus uitæ uiam ingressus est. Albo uellere. Quali in ipsius transfiguratione, de quo scribitur Matth. 17 Quod facta sunt uestimenta illius candida sicut nix.

Grex omnis candidus. Vt uere possit dicere quod Vergilius in Bucolica canit. Daphnis ego in syluis

hinc usq; ad sidera notus formosi pecoris pastor formosior ipse. Te duce, quasi dicat. Si nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit: impossibile est illuc peruenire, sed te duce facile est, quia à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Ideò subditur omnis. Ritu soluto, id est, ipsa natura suis legibus soluta. In aduersas. Pro diuersas aut contrarias. Iussu dominante, id est, dominantis & præsidentis dei. Deinde quod in genere dixit, explicat per partes.

Pruinis, id est, per mediam hyemem. Messorem pro messes ipsas. Mustum, quod per autumnum fluit in lacus. Florentibus aruis, id est, quæ tempore uerno florent. Sordidus propter uindemias. Ouid. 2. Meta. Stabat & autumnus calcatis sordidus uuis. Vinitor. Hoc in loco pro uindemiator posuit, sic Vergilius in Buccolicis. Aut custos gregis aut maturæ uinitor uuæ. Idem 2 Georg. Iam canit extremos effectus uinitor antes. Iudicio, id est testimonio & argumento. Origo cana, id est, antiquitas. Vergilius. 1 æn. Cana fides & uesta pro antiqua. Signa uirtutum id est, miracula de quibus in hoc opere tractatur.
Abolenda, id est, oblitteranda & tollenda. Perstringere, id est, breuiter tangere. Syluam patentem, id est, immensum

mensum opus sacrarum litterarum, & proprie posuit syluam pro materia, quam Græci uocant ὕλην. Vox ferrea. Aemulatio est Vergiliana ex 6 æn. Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum Ferrea uox. Anhelet. Spiret. Quorum numerus, id est, signorum multitudini. Arenæ bibulæ, id est, aquam infuso nimium imbibentes. Verg. Bibulas lauare fauillas.

DE ENOCH DIVINITVS TRANSlato ne moreretur. Gene. 5.

PRimus ab usq; chao meritis uiuacibus Enoch
Multa per innumeros iã secula contigit annos,
Natura perdente modum, quem iure creandi
Terra tulit, genitum sed mors miratur ademptum.

COMMENTARII.

PRimus abusq; chao. Aggreditur opus institutum siue illud sit Paschale, siue diuinorum miraculorum, interq; post mundi creationem primum est Enoch raptus, de quo Genesis 5. Abusque chao, id est, à mundi principio. Et loquitur ex illorum opinione, qui mundum ex chao factum opinati sunt: cum sacræ literæ ex nihilo procreatum confiteantur. Vergilius quarto Georgicorum. Atq; chao densos diuûm numerabat amores. Meritis uiuacibus, id est, propter quæ

diu uiuere meritus est: nam posteaquàm uixit annos 365 circa mortem raptus est. Natura perdente modum *id est, leges suas: quibus statutum est hominibus semel mori, ad* Hebr. 9 Iure creandi. q. d. Creatus *est per naturam, sed raptus est contra naturam, ideò mors miratur illum sibi ademptum.*

DE SARAE PARTV NONAGENAriæ sterilis. *Gene.* 21.

SAutia iam uetulæ marcebant uiscera Saræ
Grandæuo consumpta situ, prolemq́; negabat,
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis.
Cum seniore uiro gelidi præcordia uentris
In partum tumuere nouum, tremebundaq́; mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimæ
Edidit, & serum suspendit ad ubera natum.
Mactandumq́; deo pater obtulit, et sacer ipsam
Pro pueri iugulis, aries mactatur ad aram,
O iusti mens sancta uiri, pietate remota
Plus pietatis habens contempsit uulnera nati,
Amplexus præcepta dei typiciq́; cruoris,
Auxilio uentura docet, qui sanguine fuso.
Humano pro gente pius occumberet agnus.

COMMENTARII.

SAucia iam uetulæ. Alterũ miraculũ de conceptu

Saræ

Saræ in ætate propè modum decrepita, ex Gene. cap. 18 & 21. Viscera saucia, id est, defecta, & quæ præ nimia ætate non poterat generare. Saræ uetulæ. Quippe cui iam pridem desierant muliebria. Consumpta situ grandæuo, id est, effœta & sterilia longa ætate: est autem situs squallor & incultus earum rerum qui longo tempore desierunt coli. Vergilius 1 Geor. Et segnem patiere situ durescere campum. Frigidus sanguis, qui in fœcundis est calidior. Lucanus in 2. Dum sanguis inerat, dum uis materna peregi Iussa cato. Cum seniores uiro. Erat enim Sara Abraam ex fratre Aram neptis. Nam cum eo tempore Abraam centenarius erat, illa ætate minor fuit, cui tamen iam pridem muliebria generatiua cessassent. In partũ nouum id est, inusitatum hominum generi. Tremebunda mater, id est, titubans & uacillans per ætatem. Sinus algentes, id est, uterum senilem. Edidit spem gentis, id est, peperit filium unde propaganda esset illa gentis multitudo, quæ ab ipso deo stellarum numero comparata est. Serum natum, id est, senile ætate genitum mactandumq; deo. Subdit aliud miraculũ superiori cõsequẽs ex Gene. cap. 22. Quod præcepit deus Abraam ut sibi proprium filium sacrificaret: quod cum ille exequeretur in ipso iugulandi filium articulo ab angelo prohibi-

tus est id facere, pro quo arietē forte oblatū immolauit. Aries sacer. Id est, sacrificandus. Pro pueri iugulis, id est, pro Isaac iugulato. O iusti. Cōmendatio Abraā ex fide et obediētia. Pietate remota. Id est, in filiū impius. Habens plus pietatis. Scilicet erga deū, qui in ordine pietatis præferēdus est. Typiciq; cruoris. Nā per Abrahā mystice deum patrē intelligimus, per Isaac filium qui est oblatus à patre pro salute nostra. Rom. 8.

Docet uentura. Id est, qđ futurū erat ostendit Isaac sacrificādus. Qui agnus. De quo Ioan. 2. Ecce agnus dei, ecce q tollit peccata mūdi. Pius usq; ad mortem patri obediens. Succumberet. i. caderet tanq̄ hostia.

DE VXORE LOTH IN SALIS statuam uersa. Gene. 19.

Loth Sodomæ fugiente chaos dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad pœnam conuersa suam, quia nemo retrorsum
Noxia contempti uitans discrimina mundi,
Respiciens saluandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, uultum in sua terga referre.

COMMENTARII.

Loth Sodomæ. Miraculū aliud: quo pacto Loth cum uxore filijsq; duabus fugiente Sodomā ex præcepto angelorum: qui iusserant, ne in fuga respicerent

rent post tergum, uxor cum respexisset in statuam salis reuersa est, quam Flauius Iosephus narrat se uidisse Ex Genesi cap. 19. Chaos Sodomæ. Id est, euersionem. Stupefacta. Id est, sine motu & sensu. Conuersa. Id est, respiciens. Quia nemo. Moraliter exponitur quod de uxore Loth respiciente dixit: quod etiam exemplo Saluatoris nostri cõfirmat ex Euangelio: Nemo tenens aratrum in manu retro aspicit.

DE IGNE NON ARDENTIS RVBI diuinitus ostẽso Mosi. Exod. 3.

IGnibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec iuncta calori,
Materies alimenta dabat, nec torrida uiuens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.

COMMENTARII.

IGnibus innocuis. Cũ apparuisset dominus Mosi in rubo ardente, inter cætera illud fuit mirabile: quod materia ardens non comburebatur. Exod. cap. 3. Ignibus innocuis. Cum aliàs omnia consumant. Vnde & à Virgilio 2. Aeneid. Ignis edax dicitur. Apparuit. Visa est. Frutex. Rubus cum nec arbor, neq; herba sit. Flãmæ blanditæ. id est, nihil nocentes, sed potius mulcentes. Lãbebãt. Id est, leniter et citra cõbustionẽ tan

gebant. Virg 2. Aeneid. Tactuq; innoxia molli labe/re, flamma comas. Robora frondea. Id est, uirgulta frondosa rubi. Aestu amici fomitis. Nam cum inter ignem et fomitem, hoc est, materiam combustibilem fit antipathia, id est, inimica quædã contrarietas, in hoc mirabile quod fomes fuit igni amicus.

DE VIRGA MOSE IN DRACOnem uersa, ac iterum in se reuersa. Exod. 4.

Mitis in immitem uirga est animata draconem
Per flexus sinuata globos, linguisq; trisulcis
Squamea colla tumens, inimicos ore Chelidros
Sorbuit, & propij redit in uirgulta rigoris.

COMMENTARII.

Mitis in immitem. Primum signum quod iubente deo factum est per Mosen & Aaron Pharaoni ut dimitteret populum, fuit uirga conuersa in colubrum qui deuorauit colubros Aegyptiorum sapientium, qui & ipsi uoluerunt idem imitari. Exod. cap. 7.

Virga mitis. Nihil feritatis habens in manibus Mosis & Aaron. Sinuata. Id est, in sinus reuoluta.

Per globos flexos. Id est, per spiras in orbem contortas re. Et tumens colla. Id est, uirga illa in draconem formata habens collum ueneno tumidum. Virgilius

lius 2. Aeneid. Attollentem & cerula colla tumentem. Linguis trisulcis. Virgil. 3. Georg. Linguis micat ore trisulcis. Trisulcis linguis. Id est uibrantibus. Nam ut inquit Seruius. Nullum amimal tanta celeritate linguā mouet, ut triplicem habere uideatur. Chelydros. Serpentes amphibios, hoc est, terra & aqua uicißim uictitantes. Virg. Nigris excsa chelydris. Virgulta, id est, in uirgā. Proprij rigoris. Id est, innatæ duriciei.

DE SICCO MARI A FILIIS Israël transito. Exod. 14.

PEruia diuisi patuerunt cærula Ponti
In geminum reuoluta latus, nudataq; tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris.
Intrat in absentis pelagi mare, perq; profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutauit naturæ uiam, mediumq; per æquor
Ingrediens populus, rude iam baptisma gerebat.
Cui dux Christus erat, clamat nam lectio multas.
Vox domini super extat aquas, uox deniq; uerbū est.
Verbum Christus adest, geminæ qui consona legis
Testamenta regens, ueterem patefecit abyssum,
Vt doctrina sequens planis incederet aruis.

COMMENTARII.

PEruia diuisi. Quo pacto populus Israël duce

Mose fugiēs ex Aegypto traiecit mare pedibus siccis, cum Moses prætenta uirga illud in partes duas facto utrinq; quasi muro diuisisset. Exod. 14. Cerula ponti. Id est, pontus ceruleus à colore. Reuoluta in geminum latus. Id est disiecta in dextrā & sinistrā partem uiæ, qua iturus erat populus. Cognatis aquis: quia iam inde à mundi creatione terra illa fuerat aquis obruta. In mare absentis pelagi. Id est, in locū in quo prius fuerat mare, quod nūc abest. Marmora sicca. Id est, maria siue maris loca. Verg. 1 Georg. Et quando infidū remis impellere marmor. Stupuerūt. Id est admirata sunt. Virg. 1. Georg. Ipsa suas miratur Gargara messes. Plātas peregrinas. Id est, fundo maris alienas. Mutauit uiā. Quia mare quod erat nabile, factū est stabile. Gerebat baptisma rude. Id est, repræsentabat nouū baptisma futurū. Christus dux. Ex cuius passione sacramenta uires habuerūt. Clamat. Nā lectio, sic Latini dicūt pro eo quod recentiores, textus Vox domini. Psal. 28. Vox domini super aquas multas. Vox aūt uerbū patris est. Id est, Christus. Qui gerens testamenta consonat. Id est, cōcordans utrunq; testamentum nouæ & ueteris legis. Patefeci abyssum ueterem. Id est, uetus testamentum obscuritatibus plenum quod per mare intelligitur. Doctrina sequens.

Id est,

Id est, Euangelica, in qua uelum templi scissum est.

DE MANNA COELITVS EIdem plebi dato. Exod. 16.

QVid referā, innumeras cœlesti pane cateruas
Angelicos sumpsisse cibos, nymbisq; superni
Nectaris, aërea populum dulcedine pastum.
In plumis habuisse dapes, & in imbribus escas.

COMMENTARII.

QVid referam. Quomodo murmurante populo contra Mosen deus misit illi coturnices & manna de cœlo. Exod. 16. Innumeras. Ad sexcenta hominum milia numerantur in libro Numerorum. Cœlesti pane. Id est, manna quod de cœlo pluit. Nymbis. Tam de coturnicibus, quàm de manna quæ more nymborum cadebant. Aëria dulcedine, Id est, ex aëre proueniente. In plumis. Ad coturnices refertur. In imbribus. Ad manna.

DE PRODVCTIONE AQVAE de petra. Exod. 17.

RVrsus in exustis sitiens exercitus aruis,
Qua nimium loca sicca diu, qua terra negatis
Aegra iacebat aquis, qua spes ablata bibendi
Viuendiq; fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas, sterilisq; latex de rupe cucurrit.

Et io

Et ieiuna nouum uomuerunt marmora potum:
His igitur iam ſacra tribus dans munera rebus,
Chriſtus erat panis, Chriſtus petra, Chriſtus in undis.

COMMENTARII.

Rvrſus. Cum populus caſtrametatus in Raphidim aquæ penuria laboraret, Moſes uirga percußit petram, quæ ſtatim fluxit aqua. Exod. cap. 17.
Aruis exuſtis. Id eſt, aquæ penunia laborantibus. Vergil. Hinc deſerta ſiti regio. Aegra. Sterilis & inculta. Viuendi. Quia ſine cibo & potu mortales non poſſunt uiuere. Metallo. Id eſt, lapide uel potius lapidis uena. Marmora ieiuna. Id eſt, ſicca. Panis de quo in Pſal. Panem angelorum manducauit homo. Petra. De qua 1. Corinth. 10. Petra autem erat Chriſtus. In undis. Per baptiſmum.

DE LOCVTIONE ASELLAE.
Balaam. Numeri 22.

Angelicis tremefacta minis affatur aſella
Seſſorem per uerba ſuum, linguaq; rudenti
Aedidit humanas animal pecuale loquelas.

COMMENTARII.

Angelicis. De aſina quæ allocuta eſt Balaam diuinũ cũ proficiſceretur ad maledicendũ populũ Iſraël. Ex libr. Numerorũ cap. 22. Angelicis minis

nis. Minabatur enim angelus illi stricto gladio. Suũ sessorem, id est, Balaã sibi insidentem. Lingua ruden ti altas. Pecuale. Quod numerat inter pecudes. Pers. Arcadiæ pecuaria rudere credas, de asinis dixit.

DE STATIONE SOLIS SVB IE-su filio Naue, qui & Iosue, Iosue. 10.

Sol stetit ad Gabaon, medijq; cacumine cœli
Fixit anhelantem dilato uespere lucem.
Insolitus frenare diem, nec luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis
Feruidus ingentem gladius consumeret hostem.
Coniurante polo, iam tunc famulata uidebant
Sidera uenturum præmisso nomine Iesum.

COMMENTARII.

Sol stetit. Cũ Gabaonitæ se Iosue dedidissent ac se illius societati coniunxissent reges finium illorum urbem oppugnare cœperunt. Cunq; Iosue suppetias ferret socijs, hostesq; fugerent: iussu Iosue sol stetit, donec hostes profligati sunt. Ex lib. Iosue cap. 10. Ad Gabaon. Quæ fuit Eueorum urbis metropolis ceciditq; in sortem tribus Beniamin. Lucem anhelantem. Id est, æstuantẽ, quia in meridie. Vespere dilato. Vsq; ad hostium interuentionem. Insolitus. Quia sol nunquã

tale

tale aliquid fecerat. Nec luna quia etiam stetit. Populantibus. Euertentibus hostes. Feruidis gladius. Non quod gladius ferueret; sed quod uictores feruenter eo utebantur. Ingentē hostem. Erant aūt quinq; Adonisedec rex Ierusalem, & Oham rex Hebron, & Apharan rex Ierunuth, & Iaphiæ rex Iachis, & Dabir rex Eglos. Coniurante polo. Quasi societatē cum Iosue ineunte. Venturum Iesum. Nam quem nos Iosue Græci Iesum, Hebræi Iehosua uocant, ergo per Iosue Iesus Christus figurabatur.

DE HELIA CORVIS MINISTRANTIBUS PASTO, ATQ; IGNEO CURRU ASSUMPTO. 3. Reg. 17. & 4. Reg. 2.

HEliam corui quondam pauere ministri
Præbentes sine more dapes, alesq; rapinis
Deditus, atq; auido saturans caua guttura rostro
Tradidit illæsam ieiunis morsibus escam,
Nunc bonus Heliæ qui perfidus antea Noë
Abluit in terris quicquid deliquit in undis,
Plenus at ille deo postquàm miracula terris
Plura dedit, meritisq; suis succedere dignum
Hæredem propriæ fecit uirtutis amicum,
Aurea flammigeris euectus in astra quadrigis,
Qua leuis æthereos non exprimit orbita sulcos,

Sidereum

Sidereum penetrauit iter, curruq́; corusco
Dexteriora petens, spacio maiore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit æui
Quàm bene fulminei prælucens semita cœli
Conuenit Heliæ, meritoq́; & nomine fulgens
Hac ope dignus erat: nam si sermonis Achiui,
Vna per accentum mutetur litera, sol est.

COMMENTARII.

HEliam. Quomodo Helias propheta à coruo est cibatus, tandēq; raptusq; est in cœlū. Ex 3. Reg. ca. 17. & 4. Reg. lib. ca. 2. *Corui ministri.* Id est, cibum ministrantes. *Sine more.* Quia nunquàm tale aliquid antea factum fuit. *Deditus rapinis.* Id est, Ex raptu uictitans. *Caua guttura* ad uorandum accōmodata. *Ieiunis morsibus.* Aut ipse coruus quanuis ieiunus, aut Heliæ ieiuno. *Bonus Heliæ.* Id est, fidus. *Noē* Cum illum quasi exploratorē dimisit ex arca, neq; reuersus. Gen. ca. 8. Imò uera lectio est apud Hebræos. Egrediebatur & reuertebatur, uidelicet non habens ubi consisteret. Itaq; Sedulius etiam suo tempore habuit codicem incastigatum. *Abluit.* Mundauit ministrando nunc Heliæ. *Deliquit.* Cum non est obsecutus Noē. *Plenus deo.* Id est, spiritum habens propheticum. *Fecit hæredem.* Scilicet Heliseum pro-

phetam

phetam successorem suum. In astra aurea. Virgilius 2. Aeneid. Ferit aurea sidera clamor. Orbita non exprimit sulcos. Id est, rota currus nō relinquit uestigia quæ sunt quasi quidā sulci. Exprimit. Id est, designat. Dexteriora petens. Id est, cœlestia, cum terrena sunt sinistra. Spacio maiore, quia cœlum longe lateq; patet, cum terra angusta sit illius cōparatione. Duxit triumphum. Id est, more triumphantium curru in cœlum inuectus est. Metam æui humani. Id est, mortem iuxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 9. Statutum est homini semel mori. Cœli fulminei. Id est, tanquàm fulmine splendentis. Merito. Quia ex actis suis est illustratus. Et nomine. Quia ἥλιος Græce interpretatur sol, sed dictio Hebraica non recipit etymologiam latinam, ideò subdit: Sermonis Achiui, id est, Græci. Mutetur litera per accentum, scilicet a in d, & accentus acutus in penultima transferatur in antepenultimam, sed de accentu alibi diximus.

DE XV. ANNIS EZECHIAE REgis desperato ad uitam additis.

4. Regum 20.

VLtima labentis miseratus tempora lucis,
Ter qui nos quondam regi deus addidit annos
Vsus iure suo, patefactaq; limina claudens

Mortis

Mortis ab occasu uitam conuertit in ortum.

COMMENTARII.

VLtima quomodo Ezechiæ regi ægrotanti Esaias propheta denunciauit illum postridie moriturum. Quem flentem supplicemq́; deus miseratus quindecim uitæ annos illi prorogauit. Ex 4. Reg. cap. 20. Lucis labentis, id est, uitæ iam lapsæ. Vsus iure suo: quia solus Deus illud potuit facere. Claudens limina patefacta. Iam aperta ad illum deuorandum.

DE IONA CETO VORANTE seruato. Ionę. 1 & 2.

IOnas puppe cadens, ceto sorbente uoratus,
In pelago non sensit aquas, uitale sepulchrum
Ne moreretur habens, tutusq́; in uentre ferino
Depositum non præda fuit, uastumq́; per æquor,
Venit ad ignotas inimico remige terras.

COMMENTARII.

IOnas. Hic unus ex prophetis minoribus missus à Deo, ut prædicaret Niniuitis, naue ascensa Tharsum aufugiebat. Cumq́; superuenisset tempestas: intelligentes nautæ ob peccatum alicuius ex socijs id accidisse: sortiti sunt inter se, sorsq́; obtigit Ionæ, ut in pala

gus deturbaretur, deturbatus à ceto deuoratur: & in Ioppen delatus est à ceto. Ex Iona capite primo. Vitale sepulchrum, id est, uiuens cetus in quo tanquàm in sepulchro erat. Depositum, id est, quasi depositum quod à depositario reddendum est cum repetitur. Ad ignotas terras: ad Ioppen. Inimico remige scilicet ceto uoratore.

DE TRIBVS PVERIS CAMINO flamma sæuiente non tactis, & persecutore eorum in pecudem uerso, Danielis 3.

CVm spirante deo Babylonia sacra negarent.
Tres una cum mente uiri, durumq; subirent
Exitium, sæui Chaldea lege tyranni
Cuius Achemeniam rabies accenderat iram.
Plus fornace sua, medios truduntur in ignes,
Nil urente rogo, tantoq; ardore calentes
Cordis, imagineæ uincunt incendia pœnæ.
Igne animi, O quanta est credentum gloria, flammis
Ardentis fidei restincta est flamma camini
Digna sed immitem mox perculit ultio regem:
Nam quod ab humana uecors pietate recessit.
Agrestes pecudum consors fuit ille per herbas
Aulica depasto mutans conuiuia fœno,

Pronus

Pronus ab amne bibit, ſeptenaq́; tempora luſtrans,
Omnibus hirſutus ſyluis, & montibus errat.

COMMENTARII.

CVm ſpirante. Cum tres pueri Hebræi nollent adorare ſtatuam quam fecerat Nabuchodonoſor rex: in fornacem ignis coniecti illæſi permanſerunt propter quod facinus rex in beluam transformatus ſeptem annos in ſyluis certauit. Ex Danielis cap. 2 et 4. Spirante deo. Inſtinctu diuino. Babylonia ſacra, ſtatuã illam à Nabuchodonoſor propoſitam quod Babylone geſtũ eſt. Negarent, id eſt, adorare. Chaldea lege. Quia rex Chaldeorum erat Nabuchodonoſor qui legem tulit. Achemeniã irã, id eſt, Perſicã, quia rex quoq; Perſarum fuit. Fuit autem Achemenes rex primus à quo Perſæ Achemenij. Pœnæ imagine ac incendia, id eſt, quorum incendiorum pœna propoſita eſt, non adorantibus imaginem. Flammis, ordo eſt. Flamma ardens camini, id eſt, fornacis eſt reſtincta flammis fidei. Vltio perculit, id eſt, percuſsit. Nam quod uecors, id eſt, inſenſatus & ferus. Conſors pecudum. Verſatus inter feras. Aulica conuiuia, id eſt, regio apparatu expoſita. Pronus bibit. More quadrupedum. Luſtrans ſeptena tempora, id eſt, in luſtris ferarum ardens per annos ſeptem Hirſutus, id eſt, piloſus, horridus, & incultus.

DE DANIELE A FAMELICIS leonibus custodito, Dani. 6.

Nec minus & Darij furuerunt iussa tyranni
Ecce etenim sceleri scelus addidit ira furentis,
Hebræumq́; decus Daniel decernitur insons
Ieiunis cibus esse feris, sed belua iusto
Mitis facta uiro, sanctos ne læderet artus,
Cœpit amare famem, rabies mollita furorem
Deposuit, sæuisq; in faucibus ira quieuit,
Et didicere truces prædam seruare leones.

COMMENTARII.

Nec minus. Daniel apud Darium accusatus, quod de religione non bene sentiret Leonibus à rege deuorandus exponitur. Qui tamen se ab illius laniatu abstinuerunt. Ex Danielis capite 14. Dari. ab eo quod est Darius prima, tum breuis tum longa reperitur, ab eo quod Dareus. Ouidius in Ibin primam produxit, dicens: Vtq; necatorum Darei fraude secundi. Furuerunt. Atqui Grammatici dicunt præterito carere. Decus Hebræum oppo. id est, Hebræorum gloria & honor. Amare famem, id est, potius fame laborare, quàm in uirum iustum særuire: nil enim per se amat famem. Rabies. Leonibus ingenita ultra famem. Molita facta mitbies.

tis & mollis. Seruare prædam. Martialis. De lepore & leone, & securior est in ore præda.

MIRACVLORVM RECAPITVlatio prædictorum.

DIc ubi sunt naturæ tuæ post talia leges.
Quis toties tibi iura tulit, qui tartara iussit
Translatum nescire uirum, sterilemq; marito
Fœcundauit anum, sacram præcepit ad aram
Sponte uenire pecus, muliebres transtulit artus
In simulachra salis, ramos incendia passos
Non ardere dedit. Virgultum soluit in anguem.
Per pelagus siccauit iter: mirabile nymbis
Manna pluit, saxo latices producit ab imo.
Quadrupedem fari pleno sermone coëgit.
Suspensis rapidas elementis distulit horas,
Per uolucres hominem pasci dedit, atq; coruscis
In cœlum transuexit equis: iam morte grauato
Adiecit tria lustra uiro, prædonis in ore.
Naufrago fundauit opem flagrante camino
Seruauit sub rore pios: per pascua regem
Pauit, ut hirsutam pecudem rictusq; leonum,
Instimulante fame, iussit nescire furorem:
Nempe creatori (cuius quæcunq; uidentur
Seu quæcunq; latent & rerum machina serua est)
Omne suum famulatur opus, sequiturq; iubentis,

Imperium, quocunq; trahit sententia nutu.

COMMENTARII.

DIc ubi sunt. Recapitulatio est eorum quæ supra memorauit mirabiliũ : quam diximus esse materiã huius operis. Post talia. Scilicet miracula. Tulit. Id est, abstulit, siue ut Theologi dicunt suspendit.

Translatũ uirum. Scilicet Enoch, quod fuit primum miraculũ. Anũ marito. Id est, Sarã uiro suo Abraham Pecus. Cum Abrahã uoluit sacrificare filiũ. Muliebres artus. Scilicet uxoris Loth. Ramos. Rubũ. Virgultum. Virgam Mosis. Siccauit. Qua populus per mare transiret. Nymbis. Id est, in similitudinẽ nymborũ et pluuiæ. Produxit. Mose petrã percutientem Quadrupedẽ. Id est, asinam sub Balaã. Suspensis elementis. Id est, stantibus sole et luna, atq; ex cõsequenti reliquis stellis cũ Sol stetit ad Gabaon. Per uolucres hominẽ pasci. Id est, per coruos, atq; eundẽ in cœlum rapuit. Tria lustra uiro. Id est, annos quindecim Ezechiæ regi. Fundauit opem naufragio. Id est, opitulatus est Ionæ. Sub rore. Quia irroratæ sunt in camino ardenti. Regem Nabuchodonosor in pecudem pilosam conuersum. Rictus leonũ. Id est leones aperto ore esuriẽtes. Nescire furorem. Id est, obliuisci propriæ feritatis. Nẽpe creatori. Respõdet ad id qđ supra dixit. Dic ubi sunt naturæ tuæ etc. Et est ordo. Omne

mne suũ opus simulatur creatori. Cuius sermo est . i. cuius uerbo creata sunt omnia uisibilia & inuisibilia.

Quacũq;.Id est,per quancunq; partẽ. Sentẽtia tradit. Id est, uoluntas diuina quæ solo nutu omnia facit quæcunq; uult.

DEFLET ELEMENTORVM idolorumq́; cultores.

HEu miseri qui uana colunt, qui corde sinistro.
Relligiosa sibi sculpunt simulachra, suumq;
Factorẽ fugiunt,& quæ fecere uerentur,
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit?
Vt uolucrem,turpemq; bouem,tortumq́; draconem,
Semihominemq́; canem supplex homo pronus adoret.
Ast alij solem cæcatis mentibus acti.
Affirmant rerum esse patrem,quia rite uidetur
Clara serenatis infundere lumina terris.
Et totum lustrare polum,cum constet ab istis
Motibus instabilem rapidis discursibus ignem
Officium,non esse deum,quiq́; in ordine certo
Nunc oritur,nunc occiduas demissus in horas,
Partitur cum nocte uices,nec semper ubiq; est.
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi.
Cum geminum sine sole diem nouus orbis haberet.
Sic lunæ quoq; uota ferunt,quam crescere cernunt
Ac minui,stellisq́; litant,quæ luce fugantur.

Hic laticem colit, ille larem, sed iungere sacris
Non audent inimica suis, ne lite propinqua
Aut rogus exiguas desiccet fortior undas,
Aut ualidis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras,
Instituitq́; dapes, & ramos flebilis orat
Vt natos charamq́; domum, dilectaq́; rura
Coniugijsq́; fidem famulos censumq́; gubernent.
Ligneæ ligna rogas, surdis clamare uideris,
A mutis responsa petis, quæ iura domorum
Hac ratione regunt, si cæsa securibus actis.
Ardua pendentis sustentent culmina tecti
Aut subiecta focis dapibus famulentur edendis:
Nonnulli uenerantur holus, mollesq́; per hortos
Numina sicca rigant, ueriq́; hac arte uidentur
Transplantatorum cultores esse deorum.
Plura referre pudet, sanctoq́; in carmine longum
Vel damnare nefas, ne mollia sentibus uram
Lilia, purpurei neu per uiolaria campi
Carduus, & spinis surgat Paliurus acutis.

COMMENTARII.

HEu miseri. Occasione eorum quæ dicta sunt de rerum creatione, atq; creaturarum obedientia inuehitur in idolatras, qui relicto uero dei cultu, colunt pro deo res à deo creatas. Vana. Id est, indigna quæ

colan-

colantur. Simulachra religiosa. Id est, quæ putant religiosa cum sint profana. Verentur. Timent & uenerantur. Quæ facere. Scilicet simulachra opera manuum suarum. Vt uolucrem. Aegyptios carpit, qui hæc monstra colebant. Volucrem. Puta saturam serpentibus Ibim, ut ait Iuuenalis. Turpē bouem. Id est, magnum. Virg. in Georg. Forma bouis cui turpe caput, cui plurima ceruix. Quod Seruius pro magno exponit, & dicit propter apim bouem quem Aegyptij colunt. Tortum draconem. Puta Aesculapium qui sub imagine serpentis sinuosi colebatur. Semihominem canem. Id est, Mercurium siue Anubim, qui in specie canis ab Aegyptijs colitur. Patrem rerum. Id est, creatorem quia omnia suo lumine collustrat. Cum constet. Improbat horum errorem cum sic dispensare lucem per motū non sit officium, domini sed potius ministri. Nec semper ubiq; est. Deum autem necesse est esse ubiq;. In origene mundi. Nam illud non potuit esse Deus quod habuit principium. Sol habuit principium quia die quarto creatus. Geminum diem. Imò tres dies. Ex Gene. cap. 1. Sic. Quemadmodum & soli. Crescere ac minui. Quod deo repugnat. Fugantur luce. Solis superuenientis. Deus autem nihil habet supra se maius. Laticem. Id est, aquam. Larem. Id est ignē: quia Lares dij familiares ad focos penetrales

colebantur. Inimica. Id est, hæc duo contraria elementa. Arboreis. Id est, colit arbores tanquàm alicui deo sacras dicit propter lucos, de qbus in 4. Reg. lib. sæpe legimus. Dapes quis sacrificat. Flebilis. supplex. Cōiugij fidē. Id est, fidelē cōiugē. Virg. in 4. Aenei. Coniugiū q; uocat. Ligneæ. Id est, ô caudex, ô stipes, et plenè ligneus. Ligna rogas. Id est, rogare debes. Surdis Quia ut dicit Psalmograph. Aures habēt & nō audiunt. Sed illud de simulachris, hoc de arboribus dicitur

Regūt iura domorū non benefaciēdo domesticis, sed ad structurā, ornatū, utilitatēq; asserendo. Securibus actis. Id est, impactis et allisis. Subiecta focis. Imò superiniecta. Edendis. Id est, comedēdis. Veneratur olus. Hij sunt Aegyptij. Iuuen. Porrū et cepe nefas uiolare & frangere morsu. O sanctas gentes qbus hæc nascuntur in hortis Numina. Transplantatorum. Id est, quos ipsi transplantauerūt. Longū nefas. Id est, longo tempore etiā in damnando insistere. Ne urā. Id est, contaminē miscendo profana sacris. Sentibus. Quæ non sinūt crescere lilia. Verg. 2. Geor. Vrit enim campum lini seges urit auenæ. Violaria. Loca ubi nascuntur uiolæ, sicut rosaria ubi rosæ. Carduus. Vergilij est.

Paliurus herba spinosa Aegypto & Cyrenaicæ familiaris.

Exhor-

EXHORTANS SEMETIPSVM IN carminis uiam, Trinitatē astruit, & Arrium, atq; Sabellium, & uarios recte fidei percutit inimicos.

IAm satis humanis erroribus addita monstra
Risimus, aut tales potius defleuimus actus.
Nunc cœptam iuuat ire uiam, montemq; per altum
Nitentes firmare gradus, properemus in urbem
Libertatis opem, radians ubi regia fuluis
Emicat aula Tholis, ubi dantur digna petenti.
Quærenti spes certa manet, claustrisq; remotis.
Peruia pulsanti referantur limina cordi:
Hic est ille lapis, reprobus quem uertice gestat
Angulus, atq; oculis præbet miracula nostris.
Cuius onus leue est, cuius iuga ferre suaue est.

COMMENTARII.

IAm satis. Transitio est à dictis ad dicenda, acceditq; paulatim ad Euãgelij dapes paschales. Monstra. Res monstrosas & indignas quæ ab homine coli debeant. Aut potius defleuimus. Color est correctio, nam talia potius deflenda quàm ridenda sunt.

Viam cœptam. Id est, opus institutum. Firmare gradus. Id est, pedibus niti. Montem apud altum. Euangelium intelligit per quod itur ad ciuitatem Dei, sed

ad eam

ad eam rem opus est libertate, non ea ut dicit Per*sius, quæ introducta est iure* Gentium,*sed uera liberta*te,*hoc est, animi.* Tholis *fuluis.*Id *est, auratis.*Est au tem Tholus, *ut inquit* Lactantius *in illud* Papinij. 2. Theb. Figamq; *superbis arma tholis. locus in medio templi testudine ubi uouentium dona appendebantur.* Digna. Q*uia indigna non dantur.* Claustris *re*motis.*Id est, ianuis reseratis.*Cordi pulsanti. Matt. 7.

Ille *lapis reprobus.* De quo *in* Psal. 117. Angulus *gestat in uertice.* Id *est, qui factus est in caput anguli, & qui fecit utraq; unum.* Miracula. Ad illud quod Psalmista *dixit:* Et *est mirabile in oculis nostris.* O*nus leue.* Matth. 11.

DE VNITATE SANCTAE Trinitatis.

PEr *digesta prius, ueteris miracula legis*
Rettulimus, *sancti coniuncto spiritus actu*
Q*uæ* Genitor *socia nati uirtute peregit,*
Per *digesta rudis, nec non miracula legis,*
Dicemus *sancti coniuncto spiritus actu,*
Q*uæ natus socia patris uirtute peregit.*
Semper *ut una manens* Deitatis *forma perennis*
Q*uod simplex triplicet, quodq; est simplicabile triplet*
H*æc est uera fides, hanc spreuit habere salutem*

Arri

Arrius infelix, qui curua per auia rectum
Flectere nisus iter, foueam delapsus in atram
Corruit & tetri mersus petit ima profundi.
Tam uacuus sensu iustæ quàm tempore pœnæ
Visceribus fusis, uacuus quoq; uentre remansit
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura, caducorum gradibus simulauit honorum
Nanq; homines inter natum genitore minorem.
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit: mox & qui filius nunc est,
Adforet esse pater, sic per genus omne nepotum.
It noua progenies, & aui numerantur auorum:
At dominus, uerbum, uirtus, sapientia, Christus.
Et totum commune Patris de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quicquam.
Nec quo crescat habet, genitus non quippe creatus
Ipse est principium: nam sicut clarus habetur,
In genitore manens, genitor quoq; clarus in ipso
Permanet, & rerum caput est Deus unus ubiq;,
Non quia qui summus Pater est, & filius hic est.
Sed quia quòd summus Pater est, & filius hoc est.
Sic ait ipse docens: & ego in Patre et Pater in me est.
Rursus: ego atq; Pater unum sumus. Arrius unum
Debet scire, sumusq; sabellius esse fatendum,

Iste fidem trinam, ast hic non amplectitur unam.
Ambo errore pares, quanquàm diuersa sequantur.
Qualiter assueti uarias producere sectas,
Impugnant sua dicta uiri, qui brachia nudis
Ostendunt exerta humeris, nil tradere docti
Sed tantum certare cati prudentia quorum
Stulta iacet, quia uana deo est sapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet, hic ambulat, hic stat.
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum
Diuersisq; modis par est uesania cunctis.

COMMENTARII.

PEr digesta. Iterum continuat dicta dicentis. *Quæ genitor.* Et si creator nomen sit trinitati personarũ cõmunicatũ, tamẽ in Symbolo apostolorũ patrem creatorẽ cœli et terræ cõfitemur. *Natus.* Qui autor est Noui testamenti referens tamen omnia ad patrem. *Rudis legis.* Id est, nouæ: nam rudia sunt noua. *Quod simplex triplicet.* Id est, quod est unum & simplex in essentia, sit triplex in personis & è contrario. *Quod est triplicabile.* Id est, triplex in personis. *Simplex.* Id est, Sit simplex. *Arrius infelix.* Qui de Deo male sentiens, filium minorem patre dixit. *Flectere.* Incuruare catholicam ueritatem. *In foueam atram.* Ad inferos detrusus. *Tam uacuus sensu.* sicut

ſu. Sicut dicimus uacuus cerebro. Tempore pœnæ iu
ſtæ: Nam Epiſcoporum populiq; præſentia diſputans
cum leuandi uentris cauſa in foricā declinaſſet, inteſti
na egerere coactus eſt. Arator. Fuſa ruit Arrius aluo
Qui ſimulauit iura. Id eſt, ſimilia eſſe dixit. Paren
tis perpetui. Id eſt, dei patris æterni. Nō imitanda. Id
eſt, quæ paternitas humanæ naturæ non poſſunt imita
ri. Simulauit inquam. Gradibus honorum caducorum
Id eſt, hominum inter quos deſcendit ſeries generatio-
nis à patre per filium in nepotem. Lex carnalis. Id
eſt, humana. Minorem. Scilicet tempore. Aſſeret
eſſe. Id eſt continget. Nepotum. Id eſt, poſteriorum.
Aui auorū. Ex Virgilio. Dominus Chriſtus. Peculia
riter dominus noſter per redemptionē. Verbum pa-
tris. Hoc propriū eſt. Virtus & ſapientia. Hæc at-
tributa ſunt filio. Totum cōmune patris. De eſſentia-
libus diuinitati eſt intelligendū ut infinitus, æternus, o-
mnipotens. Lumen de lumine. Vt in Symbolo expreſſe
canit. De ſole ſolus. Scilicet procedēs per generationē,
Alioquin & ſpiritus ſanctus eſt à patre & à filio, ſed
per inſpirationem. Nec minus, nec quo creſcat. Quaſi
dicat. Eſt æqualis. Genitus. Id eſt, procedens à patre
per æternam generationem. Non creatus. Quod Ar
rius dixit impie. Principium. De quo Ioan. cap. 8.

Prin-

Principium qui & loquor uobis. Clarus habetur. Ex Ioanne cap.13. *Deus clarificatus est in eo, & deus clarificauit eum in semetipso.* Rerum caput. *Id est, principium tam etiam attributis principium filio dedimus.* Qui est pater. hic est filius. Hoc nanq; *hæreticum est dicere.* Quod pater est. hoc filius est. Hoc *pium & religiosum. Nam in genere neutro significatur substantia siue essentia, per masculinum & fœmininum designantur personæ. ut pater est alius à filio, & alia est persona patris, alia filij, & alia spiritus sancti: non aliud est pater à filio, & persona patris, non est aliud à persona filij.* Ipse docens, Ioannis cap.14. *Philippe non credis quia ego in patre, & pater in me est? Rursus.* Ex Ioanne eodem cap.10. *Sumus unum. Subaudi in essentia, sed non unus, id est, una persona.* Arrius unum. Debet *scire, Arrium & Sabellium contrarios inter se impietatis autores reprehendit, quorum prior trinitatem posuit, sed in personis inæqualitatem: posterior uerò confundit personas, dicens:* Vnũ *deum sed pro diuersitate officiorum nunc esse patrem, nunc filium, nunc spiritum sanctum.* Fidem trinam. Id *est, trium personarum.* Vnam. Dicendo *esse trinum & & non unum.* Sua dicta. Id *est, alterius dicta.* Brachia exerta. *More illorũ qui pugnis decertaturi sunt.*

Cali

Cati,id eſt, callidi & aſtuti non ad docendum,ſed ad certandum. Sapientia mundi. Quia ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud deum. Criſpare cachinnum ex Perſio. Naſo criſpante cachinnos. Sic. Sequentes ex/trema & fugientes medium.

HORTATVR MILITES IN VIA fidei, ſigno crucis eſſe armatos, ſeq; in albo beati ordinis po=ſcit aſſcribi.

INterea dum rite uiam ſermone leuamus,
Speſq́; fideſq́; meum comitantur in ardua greſſum,
Blandius ad ſummam tandem peruenimus arcem,
En ſigno ſacrata crucis uexilla coruſcant,
En regis pia caſtra micant, tuba clamat herilis
Militibus ſua porta patet, qui militat intret,
Ianua uos æterna uocat, quæ ianua Chriſtus
Aurea perpetuæ capietis præmia uitæ,
Arma quibus domini tota uirtute geruntur
Et fixum eſt in fronte decus, decus armaq́; porto.
Militiæq́; tuæ bone Rex pars ultima reſto
Hic propriæ ſedis, huius mihi mœnibus urbis.
Exiguam concede domum, tuus incola ſanctis,
Vt merear habitare locis, alboq́; beati
Ordinis extremus conſcribi in ſecula ciuis

Grandia posco quidem, sed tu dare grandia nosti,
Quem magis offendit, qui quis sperando tepescit.

COMMENTARII.

INterea paulatim accedit ad principale institutum: quod ut ab initio dixit: erat clara salutiferi non tacere miracula Christi: quæ sunt ab euangelistis enarrata. Viam leuamus. Quasi instituisset proficisci ad legem euangelicã, & intereundũ narrasset uiæ comitibus quędã miracula ex Testamento ueteri, ut itineris labor subleuaretur. Spes & fides, quæ duæ uirtutes comitantur Christianum in hac uita. In ardua, id est, in alteram uitam, aut in legem euangelicam quæ me docet arctã esse uiam, quæ ducit ad uitã Matth. 6. Blandius, id est, minori cum labore. Arcem, id est, culmen legis euangelicæ. En signo. Translatio est sumpta à militantibus seculo, ad eos qui militant Christo suo euangelio. Et clamat. ad fidem uocat. Sua porta, id est, propria quæ Christus. Ioan. cap. 10. Ego sum ostium ouium. Præmia uitæ, hoc est, donatiuum quod militantibus Christo proponitur. Decus in fronte, hoc est, insigne crucis per chrisma impressum. Pars ultima id est, minimus Christianorum. Hic, id est, in his castris, scilicet militantis ecclesiæ. Vt merear. Post peractam militiam in hac uita. Conscribi albo, id est,

id est, in tabula illa siue in libro uitæ de pro in Apocalypsi. Erat autem alba tabula in qua iudicum nomina scribebantur. Suetonius in Domitiano. Equitem romanum erasit iudicum albo. Tepescit, id est, non est feruidus in spe.

ORAT CHRISTVM, QVEM FORmam serui sumpsisse, Euangelistę quatuor animalium figuris ostendunt.

CHriste faue uotis, qui mundū in morte iacentem
Viuificare uolens, quondam terrena petisti
Cælitus, humanam dignatus sumere formam.
Sic aliena gerens ut nec tua linquere posses
Hoc Matthæus agens hominem generaliter implet
Marcus ut alta fremit uox per deserta leonis,
Iura sacerdotis Lucas tenet ore iuuenci,
More uolans aquilæ uerbo petit astra Ioannes
Quatuor hi proceres una te uoce canentes,
Tempora ceu totidem latum sparguntur in orbem.
Sic & Apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex numero, menses imitatus & horas,
Omnibus ut rebus totus tibi militet annus,
Hinc igitur ueteris recolens exordia mortis
Ad uitam properabo nouam, lachrymasq; serendo
Gaudia longa metam, nos qui deflemus in Adam

Semina mittentes mox exultabimus omnes
Portantes nostros Christo ueniente maniplos

COMMENTARII.

CHriste faue uotis. Inuocatio est diuini auxilij ad opus suum prosequendum. Petisti cœlitus, id est, à cœlo descendens. Aliena gerens, id est, humanitem ante incarnationem. Tua, id est, diuinitatẽ. Mattheus hoc agens. Scilicet quod insumpta humanitate apud nos gesßisti. Implet hominem, id est, habet hominis effigiem ex Ezechielis uisione. Alta uox per deserta. Ad illud refert quod Marcus in initio sui euangelij scribit. Ego uox clamantis in deserto. Iura sacerdotij. Incepit enim suum euangelium à sacerdotio Zachariæ. Ore iuuenci. Animalis nati ad sacrificium. Verbo. Dicens in ipso euangelij initio: In principio erat uerbum. Totidem tempora. Quia numerus euangelistarum æquè quatuor anni tempora. Sic & apostolici. Vt quatuor euangelistæ, quatuor anni tempora. Apex duodenus, id est, culmen duodecim Apostolorum. Imitatus mense. Qui in anno æquè sunt duodecim. Et horas. Quæ in die sunt duodecim sicut in nocte. Hic igitur. Reddit ad illud quod dixerat de ecclesia militante & triumphante & de testamento ueteri & nouo.

Exordia

Exordia mortis, quæ introducta est per primi parentis peccatum et durauit per totam legem ueterem. Ad uitam nouam, scilicet euangelicam quia à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum uim patitur. Matth. cap. 11. Lachrymas serendo. Ex Psal. 125. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.

Finis libri primi.

COELII SEDVLII

PRESBYTERI MIRABILIVM diuinorum, siue paschalis operis. Liber II.

DE EXPVLSIONE ADAM DE Paradiso, & quia ab ipso mortalis sit facta posteritas, per Euam cuius facinus expiatum asserit per Mariā. Gen. 3

Xpulerat primogenitum sæuißimus anguis
Florigera de sede uirum, blandiq; saporis
Illecebris, lœthū misero portabat amarum,
Nec solus meritam præsumptor senserat iram
Mortali sub lege iacens, sed prorsus ab ipso

Humanum simul omne genus, heu noxia coniunx.
Noxia tu coniunx magis an draco perfidus ille
Perfidus ille draco, sed tu quoq; noxia coniunx.
Proh dolor æterni fuerant duo. Crescere postquàm
Cœpit, origo perit, cladem'q; à semine sumpsit,
Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos, ultra feliciter annos,
Progeniem'q; senum decimam expectare nepotum,
Iam'q; suum nescire genus, cum uicta supremis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ
Sera licet uentura foret, longum'q; per æuum
Vita breuis nil esse diu cum fine doleret
Nec reducem spes ferret opem, primi'q; sepulchrum
Terrigenæ, cæca sorberet fauce nepotes,
Ni pius ille sator culpas ignoscere promptus
Reddere difficilis, sua ne factura periret,
Quæ'q; deo similis uiuens astabat imago
Dißimilis de morte foret, ueniale misertus
Instauraret opus, pomis'q; uetaret acerbis
Quæ mandare patres, natorum horrescere dentes,
Donaret'q; suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem.
Et uelut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens matrem'q; obscurat honore

Sic Euæ de stirpe sacra ueniente Maria
Virginis antiquæ facinus noua uirga piaret.
Vt quoniam natura prior uiciata iacebat
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, & ueteris maculam deponere carnis.

COMMENTARII.

Expulerat. Incipitur liber secundus, in quo anteà quàm aggrediatur Euangelij seriem, dicit quædã de lapsu primi hominis: deq; humana restauratiõe per Christi incarnationem paßionemq;. *Sæuißimus anguis.* Diabolus in formâ colubri decipiens Euam, & ex consequenti Adam. *Primogenitem.* Qui Græce πρωτόπλασος. *De sede florigera.* De paradiso uoluptatis. *Illecebris.* Delitijs. *Lætum amarum.* id est, mortem. *Præsumptor solus.* Id est, qui cibum uetitum præsumpsit. *Iram meritam.* Id est, pœnam, id quod præcedit pro eo quod sequitur. *Sub lege mortali.* Cum potuisset permanere immortalis. *Ab ipso.* Id est, post ipsum. *Omne genus humanum.* Subaudi sensit iram meritam. *Noxia coniunx.* Quæ fuit causa tantorum malorum. Et est imitatio ex Virgilio in Bucolicis. Crudelis tu quoque mater. Crudelis mater magis an puer improbus ille. Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.

Duo. Scilicet Adam & Eua. Origo. Id est, qui ex illis primis propagati sunt. Perit. Quemadmodum & primi parentes perierunt. A semine. Id est, à prima origine. Quid numerosa. Sensus est, quid proderat diu uiuere, si moriendum erat tandem, atq; eundum ad inferos sine ulla redemptionis spe. Illo tempore. Scilicet ante Christi paßionem. Nongentos annos ante diluuium uiuebat humanum genus. Cum sors æui extremi. Id est, uitæ finis. Irreparabilis. Id est irreuocabilis. Victa supremis cursibus. Id est, quæ multitudine annorum tandem uincitur Ventura foret. Quia ut dixi, tandem illis moriendũ erat. Licet sera. Id est, sero Cum fine, quasi dicat non potest dici longum quod finem habet. Opem reducem actiue. Id est, quæ reduceret & liberaret, aliâs reducem paßiue, ut Virgilius. 1. Aeneid. Vtq; reduces illi ludum. Sepulchrum. Id est, inferi, sicut ediuerso. Genes. 40. Deduces canos meos ad inferos, pro quo in Hebraico habetur sepulchrum.

Primi terrigenæ. id est, primi parentis, qui apud inferos sepultus est. Nepotes Id est, illius posteritatẽ. Promptus. Facilis. Reddere difficilis. Id est, reponere et exprobrare. Astabat imago. Pro erat. De morte Id est, per mortem in quam incurrerat propter peccatum.

Instauraret opus ueniale. Id est renouaret hominem,

qui

qui uenia ex eo dignus erat, quòd ex infirmitate pecca uerat. Pomis acerbis. Alludit ad prouerbium illud de quo Hieremiæ 31. & Ezechiel. 18. Patres nostri come derunt uuam acerbam et dentes filiorum obstupuerũt id est, qd' patres peccauerunt luerunt filij. Matrem. Id est rosæ plantam spinosam. Obscurat honore. Id est, sua pulchritudine obumbrat. Euæ uirginis antiquæ. Id est, primæ. Natura prior. i. Homo ante natalẽ Christi, subiectus morti æternæ. Renasci. per aquã baptismi

DE CONCEPTV BEATAE MARIAE à prophetis sæpius prædicto, & Gabriele Archangelo nunciante completo. Lucæ. 1.

HAec uentura senes postquàm dixere prophetæ.
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ
Et dictum comitata fides, uterumq; puellæ
Sidereum mox implet onus, rerumq́; creator
Nascendi sub lege fuit, stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetq́; suum paritura parentem.

COMMENTARII.

HAec uentura. Quo pacto Gabriel angelus uirgini missus est à deo, ut illi denunciaret Dei uerbum, ex ea carnem esse sumpturum, idq́; factum est. ex Luca cap. 1. Hæc. Quæ supra diximus de uerbo in-

carnando. Cecinit *properata.* Id *est, properenter dei nuntiata.* Fides *comitata est dictũ: quia uirgo credẽs Angelo cõsensit: & uerbum caro factum est.* Sidere*um onus.* Id *est cœleste uerbum quod incarnatum erat implet uentrem eius.* Sub *lege nascendi.* Id *est, creaturæ.* Tensos *sinus.* Id *est, uterum qui plures sinus habet distentum.*

DE PARTV BEATAE MARIAE, ET angelorũ in Christi natiuitate Deũ *laudantium gratulatione* Luc. 1.

IAmq; *nouem lapsis decimi de lumine mensis*
Fulgebat sacrata dies, cum uirgine fœta
Promissum compleuit opus: uerbum caro factum
In nobis habitare uolens, tunc maximus infans
Intemerata sui conseruans uiscera templi,
Illæsum uacuauit iter, pro uirgine testis
Partus adest, clausa ingrediens, & clausa relinquens,
Quæ noua lux mundo quæ toto gratia cœlo?
Quis fuit ille nitor Mariæ *cum Christus ab aluo*
Processit splendore nouo? Velut *ipse decora*
Sponsus ouans thalamo forma speciosus amœna
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labijs diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas, ne nos seruile teneret

Peccato

Peccato dominante iugum, seruilia summus
Membra tulit dominus, primiq; ab origine mundi.
Omnia qui proprijs uestit nascentia donis,
Obsitus exiguis habuit uclamina pannis,
Quemq; procellosi non mobilis unda profundi
Terrarum non omne solum, spaciosaq; lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, & angusto Deus in præsepe quieuit.

COMMENTARII.

IAmq; nouē. Quod est nouē menses ab annūciatione quando Christus Iesus natus ex Maria uirgine incorrupta. Ex Luc. ca. 2. Nanq; nouē, subaudi mensib.
Dies sacrata. Scilicet Christo nascente. De lumine. Id est in principio, ut sit præpositio pro præpositione Opus promissū. Scilicet per prophetas, q prædixerūt Christū nasciturum. Habitare in nobis. Id est, in natura humana. Ex Ioan. ca. 1. Sui templi. Id est uteri uirginalis, in quo quia deus habitauit, templum dicitur.
Vacuauit iter illæsum. Id est, uacuando uiscera reliquit iter illæsum. Pro uirgine. Id est, in fauorē uirginis, quod uirgo pmansit. Partus est testis. Id est Christus quē ipsa peperit. Clausa ingrediēs Ioā. ca. 21. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio discipulorū: et est argumentū à pari. Lux gratia nitor: quasi dicat,

incre-

incredibilis Velut sponsus. Ex psal. 18. *Et ipse tanq̃ spõsus procedens de thalamo suo, exaltauit ut gigas ad currendũ uiã.* Forma speciosus. Ex psal. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.* Seruile iugum. Id est, peccatum: *nam qui peccatum facit seruus est peccati.* Ioan. cap. 8. Membra seruilia. Iuxta illud apostoli Philip. 2. *Qui cum in forma dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Proprijs donis. Puta pisces, squamma, aues, pluma, arbores, cortices. Obsitus. Id est, *inuolutus: sic enim exponit Seruius illud Virgilij 8. Aeneid. Ibat rex obsitus æuo.* Profundi procellosi. Id est, *maris, quod procellis agitatur, ideò dixit unda mobilis.* Mansit plenus. Id est, Integer. Deus quieuit. *Huiusmodi enim axiomata ex cõmunicatione idiomatum, ut Theologi dicunt, uerè sunt.*

SAlue sancta parens enixa puerpera regem,
Qui cœlum terramq; tenet per secula, cuius
Numen & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ uentre beato
Gaudia matris habens cum uirginitatis honore,
Nec primam similem uisa es, nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

COMMENTARII.

SAlue sancta parens. Virgini cōgratulatur autor. Gyro æterno. Aut ad mundum archetypum retulit, aut æterno, pro semper posuit. Similem primam. Id est, priorem hoc est, ante te. Nec sequentem. Id est posteriorem, hoc est, post te. Sine exemplo. Quia neq; tu aliam priorem imitata es, neq; te alia posterior.

CHRISTO IESV IN BETHLEEM nato, Herodes & omnis Hierosolyma turbatur cum illo.

Matthæi. 2.

TVnc prius ignaris pastoribus ille creatus
Emicuit, quia pastor erat gregibusq; refulsit
Agnus, & angelicus cecinit miracula cœtus,
Talia Bethleis dum signa geruntur in oris,
Eoi uenere Magi, sæuumq; tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuncia dictis,
Iudaicis nuper populis Orientis ab axe
Progenitum fulsisse ducem, hoc cœlitus astra
Hoc stellam radiare nouam, ferus arbiter aulæ
Aestuat Hebrææ ratus hunc succedere posse
Mox sibimet qui primus erat, tunc fronte serena.
Nubila mentis habens clam mandat ubiq; requiri
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum,
Quid furis Herodes? Christum sermone fateris

Et sen

Et sensu iugulare cupis, legemq; legendo
Negligis, & regi regum tua regna minaris.
Ne tamen insano careant tua nomina facto
Patrandum sub honore crucis (sed crimine gentis)
Herodesq; alius, quod tu molire uidebit.

DE STELLA MAGOS AD CHRIstum ducente, & mysticis eorum muneribus. Matth. 2.

ERgo alacres summo seruantes lumina cœlo
Fixa Magi, sidusq; micans regale secuti,
Optatam tenuere uiam, quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes:
Thesaurisq; simul pro relligione solutis
Ipsæ etiam ut possent species ostendere Christum
Aurea nascenti fuderunt munera Regi
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulchro,
Cur tria dona tamen, quoniam spes maxima uitæ est.
Hunc numerum confessa fides, & tempora summus
Cernens cuncta Deus, præsentia, prisca, futura,
Semper adest, semperq; fuit semperq; manebit
In tripiici uirtute sui, tunc cœlitus illi
Per somnum moniti contemnere iussa tyranni,
Per loca mutati gradientes deuia callis,
In patriam rediere suam, sic nos quoq; sanctam

Si cupi-

Si cupimus patriam tandem contingere postquàm
Venimus ad Christum iam non repetamus iniquum.

COMMENTARII.

TVnc prius. *Quod nato Christo pastoribus per angelos facta est reuelatio.* Ex Luc. ca. 2. Et de *magorum adoratione.* Matt. 2. Ille creatus. *Christus quod ad humanitatē attinet, natus.* Emicuit. Splendēs *apparuit.* Pastoribus ignaris. *Id est, nihil tale scientibus.* Quia pastor erat. *Ipso dicente.* Ioannis cap. 10. Ego sum pastor bonus. Agnus. De quo Ioannis cap. 2. Ecce agnus Dei. Gregibus. *Id est, pastoribus gregum custodibus.* Cecinit miracula. *Canendo gloria in excelsis Deo, quod erat mirabile.* Talia signa. *Id est, miracula sæpe in sacra scriptura.*

Oris Bethleis. *Nam in Bethlehem natus est.* Grandia nuncia. *Id est, grandes nouitates, ut sic dicam: nam nuncium pro re quæ nunciatur raro inuenitur.*

Ab arce orientis. *Inde enim uenerunt magi.*

Perturbant. *Subaudi Herodem.* Dictis sollicitis. *Ab effectu pro sollicitantibus.* Hoc. Propter hoc.

Astra & nouam stellam. *Idem est.* Arbiter aulæ Hebrææ. *Id est Herodes penes quem erat arbitrium regni.* Qui primus erat. *Ad Herodem & ad Christum referri potest.* Fronte serena. *Id est dissimilis uolun-*

tatem nocendi serenitate uultus. Quid furis. *In Herodem autor inuehitur.* Fateris Christum. *Dicens te uel le ipsum adorare.* Sensit. *Id est, cogitatione.* Legendo negligis. *Id est, non intelligis.* Minaris tua regna. *Id est, per regni potestatem te in illum sæuiturum.*

Tua nomina. *Quasi dicat. Tu non interimis Christum, sed alius tui nominis hæres curabit illum crucifigi.* Patrandum. *Ordo est.* Alius Herodes. *Scilicet Tetrarcha, sub quo Ioannes quoq; Baptista passus est.* Videbit. *Subaudi scelus.* Quid tu molire. *Id est, perpetrare cupis, patrandum tamen ab altero.* Gentis. *Scilicet Iudææ, cuius tu rex non es.* Sidus regale. *Id est, quod regem natum designabat.* Duxit gentes. *Id est Magos, qui gentiles erant: quod significabatur in lege futurũ, hoc est, per Euangelij tubam gentes Christo nato, ad populum Dei uocari.* Solutis thesauris. *Id est, Apertis.* Pro religione. *Id est, quæ religiosum aliquid significabat.* Ipse species. *Quæ scilicet offerebantur.*

Foderunt. *Id est, ex metallis terræq; uenis eruerunt.*

Thura. *Quæ in sacrificijs erant peculiaria.* Myrrham. *Ea enim purgebantur mortui. Vnde Martialis. Et olentem funera myrrham.* Quoniam fides, spes maxima. *Quia fides est substantia rerum sperãdarum argumentum non apparentium.* Hunc numerum. *Scili*

cet

cet ternarium, hoc est, personarũ trinitatem. Et tempora. Significant quoq; tria illa munera, tria tempora huius seculi. In triplici uirtute, id est, in trinitate perfecta, cuius unaquæq; persona uirtus est. Cœlitus ab angelo. Callis mutati, id est, uiæ anfractuosæ. Patriam. Vnde per peccatum primi hominis exulamus. Ad Christum, id quod fecerunt magi. Iniquum. Vt illi qui non redierunt ad Herodem.

DE SEVITIA HERODIS, ET NECE paruulorum. Math. 2.

ERgo ubi delusum se comperit impius iram
Rex aperit, si iure queat Rex ille uocari
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram
Ereptumq́; gemens facinus sibi ceu leo frendens
Cuius ab ore tener subito cum labitur agnus,
In totum mouet arma gregem, manditq́; trahitq́;
Molle pecus, trepidæq́; uocant sua pignora fœtæ:
Nec quicquàm & uacuas implent balatibus auras,
Haud secus Herodes Christo stimulatus adempto
Sternere collisas paruorum strage cateruas,
Immèrito non cessat atrox: quo crimine simplex
Turba perit, Cur qui uix dum potuere creari,
Iam meruere mori. Furor est in rege cruento,
Non ratio, Primosq; necans uagitus, & audens

Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Milia, plangoremq; dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato uertice rupit,
Illa genas secuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, & infelix mater (nec iam modo mater),
Orba super gelidum frustra premit ubera natum
Quis tibi tunc lanio cernenti talia sensus,
Quosúe dabas fremitus, cum uulnera feruere latè
Prospiceres arce ex summa, uastumq; uideres
Misceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Extinctisq; tamen quamuis infantibus absens
Præsens Christus erat; qui sancta pericula semper
Suscipit & pœnas alieno in corpore sentit.

COMMENTARII.

ERgo ubi] Herodes iratus, quod magi ad ipsum non redierũt, cœpit sæuire in infantes omnes, inter quos credibile erat Christum esse. ex Matth. cap. 2 Aperit iram. Quam antea simulauerat. Siiur. Color, est correctio; quia illum regem appellauit. Pietate caret. Cum rex ita debeat subditos tractare ut pater filios, non ut dominus seruos quod est tyranni proprium Non regit iram. Cum rex à regendo dicatur: primum se, deinde alios regere debet summa iusticia, & æquitate. Facinus quo decreuerat magos Christumq; occidere.

dere. Agnus collabitur, id eſt, euadit. Molle pecus, id eſt, immundum. Fœtæ, id eſt, oues lactantes, aliâs graui dæ. Verg. Non inſueta graues tentabunt pabula fœtas Balatibus quibus uocant ſuos fœtus. Stimulatur irritatur. Strage immerita: quia infantes nihil tale merebantur. Quo crimine, id eſt, infantes quid peccauerunt ut perirent. Vix creari, id eſt, qui uix nati erant, & eſt uſitatus dicendi modus. Non ratio. Quia in rege pro ratione uoluntas eſt. Necans primos uagitus, id eſt, pueros, in quos uagientes incidit. Vnum plangorem. Qui tamen ex multis plangentibus reſultabat. Infœlix mater antequàm filius trucidetur. Hæc iam modo mater. Filio trucidato: ſed orba. ſic enim appellatur, quæ filium amiſit. Gelidum natum, id eſt, mortuum. Premit ubera. Quaſi illum uelit lactare. Quis tibi tunc. Ex Vergilio quarto æneid. pene ad uerbum. Quis tibi tunc Dido cernenti talia ſenſus. Quosúe dabas gemitus cum feruere littora flammis. Proſpiceres arce ex ſumma totumq́; uideres. Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor. Lanio, id eſt, ô crudelis Herodes & carnifex. Quis ſenſus. Quia neceſſe erat illum ex ſceleris conſcientia torqueri. Aequor. Vergilius pro mari poſuit, hic uerò pro campo: quemadmodum primo Georg. At prius ignotum ferro

quam scindimus æquor. Quamuis absens. Iam enim fugerat in Aegyptum. Matth. cap. 2. Erat præsens. Propter illud quod sequitur. Suscipit sancta pericula, id est, sibi imputat, quod pro se alij patiuntur. Sentit. illis condolens, & sibi annumerans.

DE DOCTRINA AC MAGIsterio Domini duodeno. Luc. 2.

ASt ubi bissenos ætatis contigit annos,
Hoc spacium de carne trahens, æuiq; meatus
Humana pro parte tulit, senioribus esse
Corde uidebatur senior, legisq; magistros
Inter, ut emeritus residebat iure magister,

COMMENTARII.

ASt ubi bissenos] Quo pacto Iesu puero duodecim annorum à parentibus in Hierusalem dimisso, post triduum cũ sapientibus in templo inuentus est. Ex Luca cap. 2. De carne, id est, quod ad humanitatem pertinet. Aeuiq; meatus, id est, ætatis cursus, idem dicit. Corde. Sapientia unde cordati sapientes, & uecordes insipientes. Emeritus magister, id est, qui per omnes gradus non modo ad magisterij culmen peruenerat: sed tanquam emeritus, & extra omnem ingenij aleam positus.

DE

DE TRICENNARII BAPTISMO Saluatoris, & de Spiritu in columbæ specie uiso. Marc. 1. Luc. 3. Acto. 1.

NEc mora) quas etenim uolitans per tẽpora mun
Nouit habere moras (usus maiore iuuẽta (dus
Sex quasi lustra gerens placidam Iordanis ad undam
Venit, ut acciperet hoc quod dare uenerat ipse.
Hunc Baptista potens, ut uidit ab amne Ioannes
Quem matris dum uentre latet, nondumq; creatus
Senserat, obstruso iam tunc sermone prophetes
Vt muto genitore fluens (cui munera linguæ,
Post noni taciturna diu spiramina mensis
Parto redduntur nato) mox prædicat: Agnus
Ecce Dei ueniens peccatum tollere mundi,
Tollere cum dicit, quod non habet, hoc mihi tollit:
Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia perdat,
Qualiter in medias dum lux præclara tenebras
Funditur, & proprium non obfuscata serenum
Decutit, expulsas illæsis uultibus umbras.
Sic delicta fugans saluator nostra gerendo
Tersit, & à tactu procul euanescere iussit.
Tunc uada torrentum simplex ingressus aquarum.
In se cuncta lauat nostræ contagia uitæ

Ipse nihil quod perdat habens, sanctoq; linquentes
Corpore mundauit latices, lymphasq; beauit
Gurgitis, & proprij sacrauit flumina membris,
Senserunt elementa deum, mare fugit, & ipse
Iordanis refluas cursum conuertit in undas,
Nāq; propheta: canēs quid nā est mare qd' fugis, inqt,
Et tu Iordanis retro quid subtrahis amnem,
Ergo ubi flumineum post mystica dona lauacrum
Egrediens, dominus siccas calcauit habenas,
Confestim patuere poli, sanctusq; columbæ
Spiritus in specie Christum uestiuit honore,
Mansuetumq; docet, multumq; incedere mitem
Per uolucrem, quæ felle caret, natoq; uocato
Voce Patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quod Pater & natus, quod spiritus est ibi sanctus
Quo manet indignus, qui non numerauerit unum.

COMMENTARII.

N*Ec mora.*] *Quomodo Iesus uenit ad Iordanē ut baptizaretur à Ioanne. Ex Matth. cap. 3. Luc. cap. 3. Nec mora. Non quod non fuerit mora à disputatione duodenis Christi in templi ad baptismum ipsius quod fuit cū esset triginta annorū: sed quod omne tēpus est breue dicit Sedulius. Quid uerò Christus medijs illis duodecim annis egerit, Euāgelistæ nō dicūt*

Sex

Sex lustra. Id est, triginta annos more uulgi, supputando cuiq; lustro quinq; annos. Quod uenerat dare. Id est baptismũ. Ab amne. Iuxta quod, aut in quo erat alios baptizãs, et est ordo. ut ab amne mox prædicat. Ecce agnus dei etc. Nondũ creatus. Id est, natus.

Obtruso sermone prophetæ. Id est, Zachariæ patris sui gutture clauso, ne loq̃ posset. Fluẽs. Forte legendũ silens, quia muto patre nõ decebat ut filius loqueretur

Munera linguæ. Id est, officia restituũtur. Partu nato. Id est, filio in lucẽ edito, & hoc post spiramina noni mensis. Per quod tẽpus Zacharias fuit mutus. Tacitura diu. Per spatiũ illud nouimenstre tacẽtia. Nam ex duobus gutturis officijs, hoc est, spirante ab altero impedito usus est altero. Ecce agnus dei. Hoc ex Ioanne cap. 1. insertum est. Peccatũ mundi. Sic habetur in Græco, sic in codicibus antiquis latinis, nõ peccata sensus tamen idem. Tollit mihi. Id est, à me. Qualiter Comparatio est quòd quemadmodum lux expellit tenebras, ipse nihil habens in se tenebricosum, ita Christus peccata mandauit, nullum habens ipse peccatum.

Proprium serenum. Id est, serenitatem.

Illæsis uultibus. Id est, sine ulla lucis offensione.

Procul à tactu. Id est, à contagione ipsius.

Simplex ingressus. Id est, Christus solo ingressu.

Vada. aquarum torrentum. Aquarum. Suplenda est in præposito, aut legendũ, tum in uada. In se. Dñ ipse lauatur. Quod perdat. Non peccatum, non aliquid aliud. Refluas. Id est, retro, hoc est in fontem fluentes. Propheta psal. 113. Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum. Mystica dona. Quæ designabãt baptismum, post passionem omnes lauandi erant. Arenas siccas. Quæ erant ad Iordanis ripam. Vestiuit Christum honore Quasi nudũ ex baptismo, spiritussanctus in columbæ specie ueniens obumbrauit illum. quod uerò dicit honore ad patris uerba honorifica referendum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Per uolucrem quæ felle caret. Sic enim uulgo persuasum est columbam uelle carere, quæ uel ex ea causa mitis & placida est auis. Natoq; uocato. Sensus est ex hoc probatur deum esse triplicem, id est, trinũ in personis, quod superueniente spiritu sancto in columbæ specie, pater appellat filium, dicens: Hic est filius meus dilectus. Vnum scilicet Deum, in substantia uel essentia.

DE QVADRAGENARIO SALVAuatoris ieiunio, & trina tentatione peracta. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4.

INde quaterdenis iam noctibus atq; diebus,

Ieiunum

Ieiunum dapibus, sacro spiramine plenum
Insidijs tentator adit, doctusq; per artem
Fallaces offerre dapes, si filius, inquit,
Cerneris esse dei, dic ut lapis iste repente
In panis uertatur opem, miracula tanquàm
Hæc non semper agat dominus qui saxea terræ
Viscera fructiferis animans fœcundat aristis,
Et panem de caute creat, hac ergo repulsus
Voce prius, hominem non solo uiuere pane.
Sed cuncto sermone dei labefactus, & amens
Altera uipereis instaurans arma uenenis.
Cum domino montana petit, cunctasq; per orbem
Regnorum monstrauit opes: hæc omnia dicens,
Me tribuente feres, si me prostratus adores,
Quantum peruersus, tantum peruersa locutus,
Scilicet: ut fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat, monstrumq; nephandum
Pronus adoraret, cuius super æthera sedes.
Terra pedum locus est, quē nullus cernit, & omnis
Laudat in excelsis summissa uoce potestas.
Christus ad hæc: tantum dominum scriptura deumq;
Iußit adorari, & soli famularier uni,
His quoq; deficiens congreßibus audet iniquus,
Ter sese attollit animo perstare superbo,

Terq́; uolutus humo, fragili confidere bello.
Tunc assumpsit eum sanctam sceleratus in urbem,
Et statuens alti supra fastigia templi,
Si natum genitore deo tete asseris, inquit,
Impiger è summo demissus labere tecto,
Nam scriptura docet, de te mandasse tonantem
Angelicis subuectus, eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne forte pedem collidere poßis.
O quàm cæca gerit nigro sub pectore corda,
Mens tenebris obscura suis, hunc ardua templi
Culmina & erectæ quàmuis fastigia pinnæ
Credidit in præceps horrescere, maxima summi
Curuauit qui membra poli, cœlosq́; per omnes
Vectus in extremæ descendit humillima terræ
Inferiora petens, sed non excelsa relinquens.
Dixerat, & ualidi confossus cuspite uerbi.
Quod tentare suum, dominumq́; deumq́; nequiret
Victoris fugit ora gemens. Tunc hoste repulso
Cœlicolæ aßistunt proceres, cœtusq́; micantes
Angelici Christo famulantur rite ministri.

COMMENTARII.

INde quaterdenis. Quomodo post baptismum Iesus tentatur à diabolo. Ex Matt. ca. 4. Ex Luc. ca. 4. *Plenũ sacro spiramine.* Id est, spiritu sancto, à quo du

ctus

ctus est in desertũ. Insidijs. Id est, insidiãs uel ex insi-
dijs. Tentator. Qui Græce διάβολος hoc est, calũni-
ator interpretatur. Per artẽ. Id est per dolũ, quo sem
per utitur. In opẽ panis. Id est, in panẽ quo ieiuno uen
tri opituleris. Tanq̃ nõ semper. Quasi uelit dicere Se
dulius. quotidie hoc agit. Viscera terræ saxea. Id est,
terrã saxis permixtã. Aristis frugiferis. Pro spicis po
suit, cũ in culmo nihil sit fructuosius arista. Hac uoce
Scilicet non in solo pane uiuit homo etc. Labefactus, id
est, cõmotus & labans, hoc est, dubitans quid faceret.
Altera arma. Id est, cõsilio. Virg. 2. Aenei. Et quære-
re. cõscius arma. Vipereis uenenis. Quia nihil nisi qđ
mortiferũ est cogitat in hominẽ. Petit mõtana. Seduli
us in hoc ordine tentandi Lucã sequitur. Quæ præpo-
stere Matthæus proseqtur. Quantũ peruersus. Quia
qualis quisq; est talia loquutur. Scilicet. Verba sunt
autoris ironice proferenda, quod per particulam, scili
cet designatur. Virgilius. Scilicet is superis labor est.

Super æthera sedes. Iuxta illud Psalmi 10. Domi-
nus in cœlo sedes eius. Esaiæ ultimo. Cœlum mihi se-
des est; terra autem mihi scabellum pedum meorum.
Et illud Matthæi capite quinto. Non iurare, neque per
cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram: quia
scabellum pedum eius est.

Quem

Quem nullus cernit. Ioan. cap. 1. Deum nemo uidit unquàm. Omnis potestas. Et per potestates intellige reliquos omnes ordines. Voce summissa. Psal. 73. Te decet hymnus deus in Syon. pro quo in Hebræo silentium in Syon habetur. Scriptura Deut. cap. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c. His quoq;. Superioribus duabus tentanda uijs. Iniquis congreßibus. Quia non erant ad certandum pares. Ter. Id est, tertio. Audet perstare. Id est rebellare. Confidere. In malam partem, & est Virgilij imitatio ex 4. Aenei. Ter sese attollens cubitoq; innixa leuauit: Ter reuoluta toro est In urbem sanctam. Quia in ea erat templum, & uerus Dei cultus. Fastigia. Pro pinnaculo uel pinna, posuit. Græcis est, πτερύγιον diminutiuum ab ala, quod in alarũ morem motetur. Et pinna est summitas muri, uel alterius rei. Nam scriptura docet. Psal. 90. Quoniam deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis, in manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Vlnis angelicis. Id est, intra cõplexum brachiorum. Mens obscura. Qualis est diaboli.

Cæca corda sub pectore nigro. Duplex metonomya est, pectus pro corde, & cor pro mente, quæ omnia in Diabolo nigra atq; deprauata sunt. Hũc ardua templi

pli. Ordo est, diabolus credidit hunc esse Christum. Horrescere. Id est, timere. Ardua culmina templi. In præceps. Id est, in præcipitiū subaudi posita. Et fastigia pinnæ. Id est, pinnaculi. Quamuis erectæ. Id est, quantumuis arduæ. Curuauit membra poli. Cum carnē accepit, Ex Psal. 17. Inclinabit cœlos et descendet. Humillima terræ. Id est, in terra quæ omnibus mundi partibus inferior est. Inferiora. Id est, humanitate. Excelsa. Id est, diuinitatem. Confossus cuspide uerbi, id est, saluatoris responso uictus. Quod nequiret, id est, non deberet. Victoris. Scilicet Christi. Cœlicolæ proceres. Id est, angeli. Ministri cœtus angelici micantem. Idem dicit alijs uerbis.

DE ELECTIONE PISCATORVM ad Apostolatum.

Matth. 4. Marc. 1. Lucæ. 5.

PRotinus ergo uiros ex piscatoribus aptos,
Humanas piscari animas quæ lubrica mundi.
Gaudia sectantes tanquàm uada cærula ponti
Cæcaq; præcipites tranant incerta profundi
Discipulos iubet esse suos, talesq; supernæ
Conciliat uitæ, quos non uentosa loquendi
Gloria, nec uana de nobilitate superbus
Sanguis alat, sed fama tacens, humiliq; refulgens

Mente

Mente nitor, cœlo faciat de plebe propinquos
Nam quæ stulta potens elegit, & infima mundi
Fortia confringens deus & sapientia perdens.

Commentarij.

PRotinus ergo. Quod ambulãs Iesus iuxta mare Galileæ uidit duos fratres, Petrũ et Andream et paulo post Iacobũ & Ioannẽ filios Zebedei: quos omnes quatuor in disciplinatũ uocauit. Ex Matt. cap. 4.

Protinus. Nõ statim post diaboli tentationẽ, quia postea rediijt in Galilæã, et moratus est Capharnaum, et inde uocauit discipulos. Ergo protinus. Id est, paulo post. Viros ex piscatoribus. Ordo est. Iubet esse suos discipulos uiros ex piscatoribus aptos piscari animas humanas, quæ scilicet animæ. Tanquàm cerula uaga, id est maria spaciosa huius mũdi, de quo in psal. 4. Hoc mare magnum & spatiosum. Tranant præcipites. Id est, mente perturbati quasi natando errãt.

Tales. Quasi dicat, simplices, mites, humilesq;. Gloria loquendi. Id est, nõ oratores & philosophos. Superbus sanguis. Scilicet generosus, qui facit homines superbos. Fama tacẽs. Id est, obscura et nõ celebris. Nitor refulgens mente. Id est, quorũ celebritas tota est in animo. De plebe. Id est de infima cõditione. Stulta et infima mũdi. Ex 1. Cor. ca. 1. Perdẽs sapiẽtia, id est, sapientes huius mũdi. Perdã inqt sapientiã sapientum.

DE PATERNA APPELLATIONE.

Qvin etiam celerem cupiens conferre salutem
Orandi præcepta dedit, iudexq; benignus
Indulgenda peti breuiter iubet ut cito præstet
Sic dicens: Orate patrem baptismate nostrum
Iure suum puopriumq; homini concesit honorem
Et quod solus habet cunctos permisit habere.
Qui dominũ cœli patrem memoramus in ipso
Iam fratres nos esse decet, nec origine carnis
Germanum tractare odium, sed spiritus igne
Flagrantes abolere doli monimenta uetusti,
Atq; nouum gestare hominem, nec forsan ab alto
Degenerent terrena deo, cui nos duce Christo
Fecit adoptiuos cœlestis gratia natos

Pater noster qui es in cœlis. Matth. 6.

DE SANCTIFICATIONE NOminis Dei.

Sanctificatur ubi Dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto.
Vt mereamur eum nos sanctificare colendo.
Annuet ipse prior, sicut benedicier idem
Se iubet à nobis, à quo benedicimur omnes

Sanctificetur nomen tuum. Luc. 11.

DE ADVENTV REGNI.

Adueniat regnũ iamiam quoq; scilicet illud
Morte uacãs, & fine carẽs, cui nulla per æuũ
Tempora succedent, quia nescit tempus habere,

Adueniat regnum tuum.

Continuus ſine nocte dies, ubi principe Chriſto
Nobile perpetua caput amplectente corona.
Victor opima ferens gaudebit præmia miles.

DE EFFECTV VOLVNTATIS DEI

Fiat uoluntas tua ſicut in cœ
lo & in terra.

HOc iugibus uotis, hoc nocte dieq; precemur,
Illius ut fiat cœlo terraq; uoluntas,
Qui nuſquàm uult eſſe nefas, hoſtemq; nocentem
Vtq; polo, ſic pellat humo, ne corpora noſtra
Tanquàm uile ſolum, ſæuus ſibi uendicet hydrus,
Sed qui cuncta fouet plena pietate redundans
Omnipotens, animas pariter conſeruet & artus,
Altera pars etenim cœli ſumus, altera terræ.

DE QVOTIDIANO PANE. PA-
nem noſtrũ quotidianum da
nobis hodie.

ANnonam fidei ſperamus pane diurno,
Ne mẽs noſtra famẽ doctrinæ ſentiat unquàm.
A Chriſto ieiuna ſuo, qui corpore & ore
Nos ſaturat ſimul ipſe, manens uerbumq; cibusq;.
Dulcia nam domini noſtris in faucibus hærent
Eloquia, exuperantq; fauos atq; omnia mella.

DE DI-

DE DIMISSIONE DEBITORVM

Et dimitte nobis debita nostra sicut, &c.

DEbita laxari qui nobis cuncta rogamus.
Nos quoq; laxemus, proprij nam cautio uerbi
Spondentes manifesta tenet, grauius'q; soluti
Nectimur alterius si soluere uincla negamus,
Incipietq; pius decies millena talenta
Dimittens dominus, si nos affligere propter
Denarios centum conseruum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inq; feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta breuem reddamus adusq; quadrantem.

DE TENTATIONE VITANDA.

Et ne nos inducas in tentationem.

NOn quia nos dominus lucis uia, semita pacis
In laqueos tentantis agat, sed cũ mala nostra
Deserit, ire sinit. nam quisquis retia mundi
Deliciosa sequens, luxus & gaudia blandæ
Perditionis amat: Deus hunc, uirtutis amator,
Linquit, & ingreditur qua se tentatio ducit.
Iugibus hanc igitur studijs uitemus & arctum
Corde petamus iter, tenuis qua semita monstrat
Ire per angustam regna ad cœlestia portam.

DE LIBERATIONE A MALO. SED libera nos à malo.

SI cupimus uitare malum, debemus adire
Sectariq; bonum, hic quia liberat, ille trucidat,
Hic alit, ille necat: nam quantum sidera terris:
Ignis aquis: lumen tenebris: concordia bellis:
Vita sepulturis: tantum bona longius absunt
Dissociata malis, dextrum quicunq; necesse est
Aut leuum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
Semita conspicuos uocat in sua gaudia iustos.
Inq; tuos Patriarcha sinus: At læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit,
Ergo agnis ouibusq; Dei est hæc sola uoluntas
Et bona libertas euadere torua cruenti
Ora lupi, uitaq; frui per pascua Christi.

COMMENTARII.

QVin etiam. Docet quemadmodum discipuli debeant orare, & exponit orationem dominicam, hoc est, Pater noster. Ex Matthæo cap. 6. Et Luca 11. Celerem salutem, breuiter orando, quam celeriter præstabat. Indulgenda, id est, concedenda. Baptismate. Quo facti sumus illius filij adoptiui. Iure suum, id est, per naturam. Proprium honorem, scilicet, filiationis cõmunicauit nobis. In ipso fratres.

Quia

Quia si filij dei patris sumus, ergo Christi fratres. Germanũ odiũ. Ad illud referendũ, qd' Cain Abel fratrẽ occidit. Origine mũdi, supplenda est præpositio in uel ab Spiritus igne, id est, amore. Nouum gestare hominem. Ad Ephes. 4. Induite nouũ hominẽ qui secũdũ deũ creatus. Terrena degenerent à Deo .i. homines desinant esse filij dei: qui gratia Christo fecit nos filios adoptiuos. Sanctificetur ubi. Secunda petitio et legendum interrogatiue quasi dicat. Nusquàm sanctificãdus est, nisi in corde puro. Annuat ipse prior. Sensus est ut nos possumus illum sanctificare per gratiam præueniendo ut cum nos illũ sanctificauerimus in nobis: tunc ille sanctificet nos in se. Sicut benedicier idem. Per similitudinem loquendi modum exponit, quod de sanctificatione dicit. Adueniat regnũ tuũ. Tertia petitio quæ est retributio iustorum. Quod subaudi regnum. Ad quod ipse respondet. Vacãs morte. i. immortale. Fine carens id est, interminabile. Nulla tempora. Quia illius duratio non mensuretur tempore. Sine nocte dies. Quia ibi nulla est uicißitudinis obumbratio: sed lux quædam inacceßibilis, de qua 1 Timo. ca. 6. Principe Christo, qui est caput ecclesiæ, cuius nos sumus membra.

Nobile caput, id est, nobilitatum. Præmia opima, id est, sicut spolia opima dicebantur,

quæ de rege uicto ferebat rex uictor. Vtq; polo sic pellat humo, id est, sicut in cœlo & in terra, id est, sicut in anima iusti, ita & in carne quod statim declarat, dicens: Nec hydrus sæuus, id est, serpens antiquus Vindicet sibi, id est, appropriet. Tanquàm uile solum, id est, terram inertem, & alludit ad serpentis naturam quæ terra uescitur, ut dicit Verg. Nigris exesa chelydris. Animas & artus. Quæ per cœlum & terram intelliguntur. An nouam fidei. Quæ per panem quotidianum intelligitur, siue diurnũ, & est quarta petitio. Ieiuna à Christo, id est, illius expers & uacua. Corpore & ore. i. sui corporis sacramento, & uerbi prædicatione. Verbũ & cibus. Quorũ utrunq; ad animæ refectionem pertinet. Dulcia nam domini. Ex Psal 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Debita laxari. Quinta petitio est. Est autẽ laxari debita. i. condonari & remitti nobis peccata nostra: quibus eramus obnoxij atq; deuincti: nã laxare est, quod uinctum est soluere. Laxemus, subaudi ijs qui nos offenderũt. Nã cautio, id est instrumentũ siue cõtractus corã tabellione et testibus in quo quis se obligauit Tenet spõdentes, id est, obligat. Soluti, id est, uenia condonati. Vincula alterius, id est, alterum uenia prosequi. Incipietq; pius. Hoc ex euangelio Matth. cap. 18

De domi-

De domino qui remisit seruo debitori decem milia talenta:isq; deinde conseruum debentem sibi centum denarios cogebat ut redderet. Tradere. Ordo est incipiet tradere nos tortoribus. Abire scilicet è carcere. Ad breuem quadrantem, id est, nouißimum, ut euangelista dicit. Non quod nos. Hæc est sexta petitio. Dominus lucis. Qui dixit Ioannis 8. Ego sum lux mundi. Semita pacis. De qua Luce 1. Ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. In laqueos tentantis, id est, diaboli 1 Thimothei 6. Mala nostra, id est, nos qui mali sumus. Ire sinit. Tanquàm desperans de nostra salute. Nam quisquis. Pluribus uerbis adhuc exponit quod dixerat Qua tentatio ducit. Quia derelictus à Deo trahitur aut ducitur à concupiscentia sua. Ab hac scilicet tentatione. Arctum iter, quia arcta est uia quæ ducit ad uitam. Matthæi cap. 2. Quæ sententia similis illi apud Hesiodum, Sudorem posuere Dei uirtutis ad arcem. Deinde subdit septimam petitionem dicens. Si cupimus uitare malum. Iuxta illud Psalmographi. Declina à malo & fac bonum. sed hic genere masculino malum pro diabolo: bonum pro Deo accipere debemus. Nam quantum sidera terris. Comparationes sunt notæ. Dextrum aut leuum iter. Vt dextrum sit bonorum, leuum malorum. Persius. Surgente dextro

monstrauit limite callem. Patriarcha. Scilicet ò Abraham. In tuos sinus. Quo iusti descendebant ante paßionẽ saluatoris. Nunc uerò per sinus Abrahã intelligimus regnũ cœlorũ: quo duce Christo et ipse peruenit. At leua malorum. Ex Vergilio 6. Aeneid. est sumptum. Est hæc uoluntas. Id est, esse debet. Bona libertas. Quia quemadmodum qui facit peccatum, seruus est pecati: ita ediuerso qui seruit Deo liber est uera libertate: ad quam sequitur gehenne fuga & æternæ beatitudinis cõsecutio.

COELII SEDVLII

MIRABILIVM DIVINORVM LIBER III.

DE AQVA IN VINVM CONuersa. Ioan. 2.

Prima suæ dominus thalamis dignatus adesse.
Virtutis documẽta dedit cõuiuaq; præsens.
Pascere non pasci ueniens mirabile fusas
In uinum conuertit aquas, dimittere gaudent
Pallorem latices, mutant læta saporem

Vnda

Vnda suum, largita merum, mensasq; per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula musto.
Impleuit sex ergo lacus, hoc nectare Christus,
Quippe ferax qui uitis erat, uirtute colona
Omnia fructificans, cuius sub tegmine blando
Mitis in occiduas enutrit pampinus uuas.

COMMENTARII.

PRima suæ dominus. Quomodo Iesus uocatus ad nuptias in Cana Galilææ cũ matre & discipulis deficiente uino aquam in uinum mutauit. Ex Ioan. ca. 2. Thalamis. Id est, nuptijs. Documenta suæ uirtutis. Id est, experimenta suæ potentiæ.

Mirabile. Interiectio est pro res miranda. Aquas fusas. Intellige in hydrias. Pallorem. Qui color est uini optimi in genere uini albi, giluum appellat. Aulus. Gellius. Vnda læta. Cum transiret in aliam speciem.

Rubuerunt. Id est, in uinum rubrum mutata sunt, ut quædam ex hydrijs aquæ in uinum giluum, quædam in rubrum mutata sint. Non nato musto. Id est, non natiuo: nam alias ex musto fit uinum. Sex lacus. Lacus proprie sunt receptacula illa, in quæ defluit mustum ex torculari, sed hic pro hydrijs posuit. Hoc nectare Id est, uino cœlesti: nã nectar potus deorũ est. Vitis ferax, Ioan. 15. Ego sum uitis uera. Virtute colona.

Id est, uirtute & potestate sua agricolante. Pampinus mitis. Id est, uir iustus, ipso dicente: Ego sum uitis & uos palmites. Sub cuius tegmine. Id est, protectione: quia palmes nisi in uite non uiuit.

DE FILIO REGVLI ABSENTE DOMINO VERBO SANATO.

Ioannis. 4.

Post regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis, & supplex dominum quò uiseret ægrū
Febre laborantem puerum, trepidamq; uetaret
Labi animam de sede sua, tunc larga potestas
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat
Velocem comitata fidem, sermone salutem
Concedens facili, uiuit iam filius, inquit,
Perge tuus. Quantum imperij fert iußio Christi
Non dixit uicturus erit, sed iam quia uiuit
More Dei, qui cuncta priusquàm nata uidendo
Præteritum cernit, quicquid uult esse futurum.

DE EO QVOD DOMINVS LOCA PERAGRAUIT CUNCTOS SANANDO LANGUORES, Matt. 4. & 9.

INde salutiferis incedens greßibus urbes
Oppida, rura, casas, uicos, castella peragrans
Omnia, depulsis sanabat corpora morbis.

COM-

COMMENTARII.

Regulus. De Filio reguli à saluatore nostro Capharnaum sanitati restituto. Ex Ioanne cap. 4. Quò uiseret, prout uiseret. Animam trepidam. Quia cuiq; uiuere ipsum dulce est. De sede sua. Id est, de corpore, quod est quasi animæ domicilium.

Nulla negat. Quia fidelis nihil postulat, nisi quod honestum est. Comitata fidem. Quia dona statim sequuntur credentem. Facili sermone. Id est, solo uerbo. Perge. Per parenthesim dictum est, id est, uade et uide, an ita sit. Quantum imperij. Per admirationem legendum est, id est, quàm imperiosa est. Prius quàm nata uidendo. Videtur Sedulius intelligere quod cum Saluator noster dixit Regulo: Filius tuus uiuit, non ilico sanatus est. Sed postea ex eo quod iam erat illi præsens siue præteritum, quod apud alios erat futurum, sed ex Euangelistæ contextu facile colligitur: quod qua hora dixit filius tuus uiuit: eadem & sanatus est. Vrbes. Omne oppidum est urbs præter Romam, quæ non est oppidum. Rura quæ coluntur. Casas. Tuguria in agris. Vicos. Qui muro non sunt circundati sicut castella quæ sunt muro cincta.

DE LEPROSO A DOMINO mundato. Matth. 8.

ECce autem medio clamans ex agmine turbæ
Leprosus poscebat opem, uariosq́; per artus
Plus candore miser, Si uis domine, inquit, ab istis
Me maculis mundare potes: uolo Christus ut inquit.
Confestim redit una cutis, proprioq́; decore
Læta peregrinam mutarunt membra figuram.
Inq́; suo (magis est) uix agnitus ille colore.

COMMENTARII.

ECce autem. Quomodo descendente Iesu de monte ubi longum sermonem fecit: mundauit leprosum. Ex Matt. ca. 8. & Luc. cap. 5. Plus miser cando re miser. Id est, lepra candida, quam latini uitiliginem Græci ἄλφον uocant proprie. nam lepra omnis fœda cutis deformatio est. Vt Christus inquit. Id est, dixit uolo mũdare. Vna cutis. Id est, cõtinuata et unius coloris. Figurã peregrinã. Id est, aduenticiã & non propriã. Magis in suo colore. Id est, proprio et naturali. Vix est agnitus. Ab ijs q illũ antea cognoscebant.

DE SOCRV PETRI FEBRICITANte manus dominicæ tactu sanata. Matth. 8.

FOrte Petri ualidæ torquebat lampadis æstu

Febris

Febris anhela socrum, dubioq; in funere pendens
Saucia sub gelidis ardebat uita periclis,
Immensus q; calor, frigus lethale coquebat.
At postquàm fessos domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totisq; extincta medullis,
Fonte latentis aquæ cecidit uiolentia flammæ

COMMENTARII.

FOrte Petri. Socrũ Simonis Petri febricitantẽ dominus per impositionẽ manus curauit. Ex Matt. cap . Luc. 4. Aestu lampadis. Id est, calore febris.

Febris anhela. Id est, quæ illã præ nimio calore cogebat. Anhelare. Id est, crebro à spiritus ducere.

Periclis gelidis. Id est, mortiferis. Virgilius. Et cum frigida mors anima subduxerit artus. Aut ad horrorem qui febrem præcedit referendum est. unde subdit Frigus lœthale coquebat. Fonte latentis aquæ. Id est, Christi, qui est fons aquæ salientis in uitam æternam. Ioannis cap. 3.

DE SPIRITVVM EXPVLSIONE NIGRORUM, & à diuersa populis clade saluatis. Matth. 4.

QVin etiam rabidas nigrorum depulit iras
Spirituum, ne flatus atrox laceraret iniqua
Peste homines, operisq; Dei uexaret honorem,

Quem

Quem norat non esse Dei, paßimq; cateruas
Vt prius innumeras pulso languore saluti
Reddidit, & uaria populus à clade leuauit.

COMMENTARII.

Quin etiam. Quod *saluator noster dæmonia habentes, & uarijs languoribus ægrotantes curabat.* Ex Matthæo cap. 4. *Spirituum nigrorum* Id est, *dæmonum.* Operis dei. Id *est hominis.* Quem no*rat non esse deum.quid si legas nõ esse reum.* Id *est, culpa dignum, ut stet sensus.* Vt *prius.* Id *est, quemadmodum & prius fecit.*

DE TEMPESTATE MARIS, IMPERIO domini uerbi dei sedata. Matth. 8.

Inde marina petens, arentes greßibus algas
Preßit, & exiguæ conscendens robora cymbæ
Aequoreas intrauit aquas, dominumq; sequentes
Discipuli, placido librabant carbasa ponto,
Iam procul à terris fuerat ratis, actaq; flabris
Sulcabant medium puppis secura profundum.
Cum subito fera surgit hyems, pelagusq; procellis
Vertitur & trepidam quatiunt uada salsa carinam.
Perculerat formido animos, seseq; putabant
Naufraga littoreis iam tendere brachia saxis,
Ipse autem placidum carpebat pectore somnum

Maiesta-

Maiestate uigil, qui non dormitat in æuum.
Qui regit Israël, neq; prorsus dormiet unquàm:
Ergò ubi pulsa quies cunctis clamantibus una
Voce simul miserere citus, miserere perimus,
Auxilio succurre pio, nil uota moratus
Exurgens dominus, ualidis mitescere uentis
Imperat, & dicto citius tumida æquora placat:
Non erat illa feri pugnax audacia ponti,
In dominum tumidas quæ surgere cogeret undas
Nec metuenda truces agitabant flamina uires,
Sed lætum exiliens Christo mare compulit imum
Obsequio feruere fretum, rapidoq; uolatu
Mouerunt auidas uentorum gaudia pennas.

COMMENTARII.

INde *marina*. Quomodo Christo, id est, naui dormiente ingruit tempestas ualida, qui à discipulis excitatus tempestatem sedauit. Ex Matth. cap. 7. & Luca cap. 7. *Marina*. Littora maris. *Algas arentes*. Quas unde ad littus appulerant. *Conscendens robora cymbæ*, id est, cymbam roboream proprie aut ligneam, si largo modo accipiatur. *Librabant carbasa*. Id est, moderabantur uela carbasina. Est autem Carbasus lini quoddam genus. *Ponto placido*. Id est, tranquillo. *Puppis secura acta flabris*. Id est, impulsa

impulsa uentis: à flando dicta flabra. Fera hyems. Id est, tempestas ualida. Virgilius. Noctem hyememq; ferens. Vertitur. Miscetur & perturbatur. Vada salsa. Id est, maria dicta, quod per ea nauigantes uadant

Perculerat. Id est, perturbauerat. Naufraga turba/chia. Id est, ipsi naufragi. Tendere. Id est, natando id agere. Maiestate uigil. Quia dormiebat humanitas, & uigilabat diuinitas. Canticorū 5. Ego dormio & cor meum uigilat. Quia non dormitat. Ex Psalmo. 121. Non dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israël.

Quies. Id est somnus: quēadmodum uigilia est labor. Virgilius. Dulcis & alta quies. Nil uota morans. Id est non expectans ut discipuli cōciperent uota naufragorum more. Mitescere imperat. Id est, ut mitescant. Dicto citius. Id est, breuiori tempore quàm dici posset, & est. Virgilij in 1 Aeneid. Sic ait & dicto citius tumida æquora placat. Non erat. Sensus est. quod illa uentorum marisq; concitatio non sæuire uolebant in Christum: imò gestiebant illi inseruire atq; obsequi imperio illius. Audacia pugnax. Id est, ut pugnaret. Vires truces. Id est, terribiles. Flamina. Id est, uentos, ut supra flabra. Exiliens Christo. Id est, præ nimia lætitia illi exultans. Imum fretum. Id est, ab imis sedibus mare profundum. Obsequio. Id est, ut illi

ut illi obsequatur. *Gaudia uentorũ.* Id est, uenti gaudentes. *Mouerunt pennas.* Venti nanq; à poëtis finguntur alas habere. Iuuenal. Nam dum se continet auster. Dum sedet & madidas siccat in carcere pennas.

DE DVOBVS A LEGIONE DAEmonum curatis illis in porcos mißis. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

Interea placido transuectus marmore, puppim
Liquerat & medios lustrabat paßibus agros,
Cum procul è tumulis gemino stridore ruentes.
Prosiluere uiri, quos non mala dæmone pauco
Sed legio uexabat atrox, nexuq; cruento
Sæua catenatis gestantes uincla lacertis
Angebat quoq; pœna duplex: heu dira furoris
Conditio, qui uim patitur magis ille ligatur,
Tunc domini præcepta tremens exire iubentis
Spiritus infelix, hominem non audet adire,
Effigiem reddens quam Christũ cernit habere.
Sed pecus immunda gaudens lue, semper amicum
Sordibus atq; olido consuetum uiuere cœno,
Pro meritis petiere suis, tristesq; phalanges
Porcinum tenuere gregem, niger, hispidus, horrens,
Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.

COMMENTARII.

Interea

INterea quo pacto saluator noster in terra Gerasenorum duos demonia habentes liberauit. Ex Mattheo cap. 8. Placido marmore. i. mari, ut supra. Viri prosiluere, scilicet illi duo dæmoniaci. atqui Marcus et Lucas unum tantum dicunt. Quos non mala. Repete ab inferioribus uexabant. Pauco dæmone. i. pauci demones mali. Legio atrox, id est, tanta multitudo, quanta est militum in legione. Gestabant uincla. Non tunc: quia ruptis uinculis eò confugerant: ut Lucas cap. 8. & Marcus cap. 5. narrant. Pœna duplex, scilicet dæmonum & uinculorum. Magis ligatur. Cum furiosi ne uim inferant uinciri debeant: hi qui uim patiuntur: magis ligantur. Hominem. Eundemq; deum Christum. Effigiem, id est, oris uultusq; maiestatem. Sed pecus. Ordo est. Sed petiere pecus. Gaudens luce immunda, id est, gregem porcorum. Amicũ. Sordibus Horat. Vixisset canis immundus uel amica lutosus. Phalanges, id est, legio illa. Liuius. Phalanges lingua Macedonum appellantur cunei. Vegetius. Phalangem dicit habere tria milia armatorum. Niger hospes, id est, dæmon siue genius niger.

DE PARALYTICO DIMISSIS protinus sanato peccatis

Matth. 9.

Intrauit

HInc alias dominus pelagi delatus in oras
Intrauit natale solum, quo corpore nasci
Se uoluit, patriamq; sibi pater ipse dicauit:
Ecce aderant uiuum portantes iamq; cadauer
Bis bina ceruice uiri, lectoq; cubantem
Vix hominem cui uita manens sine corporis usu,
Mortis imago fuit: resolutaq; membra iacebant
Officijs deserta suis, fluxosq; per artus
Languida demissis pendebant uincula neruis.
Hunc ubi uirtutum dominus conspexit egentem
Robore, peccatis primum mundauit ademptis,
Quæ generant augmenta malis, miseroq; iacenti
Surge, ait, & proprium scapulis attolle grabratum,
Inq; tuam descende domum, nil iussa moratus
Cui fuerat concessa salus, uestigia linquens
Tandem aliena, suis lætatur uadere plantis,
Vectoremq; suum grata mercede reuexit.

COMMENTARII.

HInc alias. Quo pacto cum uenisset Iesus in patriam suam Nazareth siue Capharnaum curauit paralyticum. Ex Matth. cap. 8 atq; alijs tribus. Natale solum, id est, in patriam: sed Marcus cap. 2 dicit hoc factum esse Capharnaum. Matthæus Nazareth uidetur innuere: cum dicit patriã suam cui astipulatur

Sedulius. Sunt qui dicunt Capharnaum domini patriam, propterea quod erat ciuitas metropolis Galileæ. Et ut Hieronymus ait miraculorum domini familiaris Nasci corpore. Atqui in Bethleem natus est, non Nazareth aut Capharnaum, ergo nasci pro concipi & educari accipiendum est. Pater ipse cum dixit Matth. cap. 2. Quoniam Nazareus uocabitur. Viuum iamq; cadauer, id est, paralyticum qui & si uiuit non habet usum membrorum. Bis bina ceruice, id est, quatuor uiri ceruicibus illum portantes. Iuue. Cum iam sexta ceruice feratur. Vix hominem. Idem dicit. Resoluta membra. Paralysis enim resolutio interpretatur. Fluxos per artus, id est, resolutos ut supra & quod sequitur. Neruis demissis, id est, resolutis. Egentem uirtutum. Prima ut illi peccata remitterentur: altera ut sanaretur. Nil moratus iussa, id est exequens. Aliena uestigia, scilicet illorum à quibus portabatur. Vectorem suum, id est, seipsum: nam uector est qui uehitur, uel uectorem suum, id est, grabbatum quo uehebatur. Mercede grata. Quia ab alijs uehebatur mercede sed non grata.

DE PRECE ARCHISYNAGOGI pro filia suscitanda. Matth. 9 Lucæ. 8.

PRincipis interea synagogæ filia, clauso
Functa die superas moriens amiserat auras
At genitor cuius pinus edax spem prolis adultæ
Sustulerat, sanctos domini lachrymansq; gemensq;
Corruit ante pedes, uix uerba precantia fari
Singultu quatiente ualens, miserere parentis
Orbati miserere senis, modo filia dicens
Vnica uirgineis nec adhuc matura sub annis
Occidit & misero patris mihi nomen ademit:
Affer opem, lapsamq; animam per membra refunde
Qui totum præstare potes, hæc inquit: & autor
Lucis, ad extinctæ pergebat funera, gressum
Vix populo stipante mouens, permixtaq; turbis
Ibat inundantem mulier perpessa cruorem
Quæ magnas tenuarat opes, ut sanior esset
Exhaustaq; domo, nec proficiente medela,
Perdiderat proprium pariter cum sanguine censum
Ast ubi credentis iam sano in pectore cœpit
Diues adesse fides, medijs immersa cateruis
Nititur auersi uel filum tangere Christi.
Posteriusq; latens subitam furata salutem

Extrema de ueste rapit, siccisq́; fluentis
Damnauit patulas audax fiducia uenas
Senserat ista deus, cuius de fonte cucurrit
Quod uirtus secreta dedit, furtumq́; fidele
Laudat, & egregiæ tribuit sua uota rapinæ.

DE PRAEDICTAE SVSCITATIONE puellæ. Lucæ 8.

VEntum erat ad mœsti lugentia culmina tecti,
Deflentemq́; domũ, moriens ubi uirgo iacebat
Extremum sortita diem, trepidusq́; tumultus
Omnia lamentis ululans implebat amaris,
Funereosq́; modos cantu lachrymante gerebant
Tibicines, plangorq́; frequens confuderat ædes.
Ponite solicita conceptos mente dolores,
Hic sopor est Saluator ait, nec funus adesse
Credite, nec somno positam lugere puellam.
Dixerat, & gelidum constrictum morte cadauer
Spiritus igne fouet, uerboq́; immobile corpus
Suscitat, atq; semel genitam bis uiuere præstat.
Obstupuere animis inopinaq́; uota parentes,
Aspiciunt, uersisq́; modis per gaudia plaudunt.

COMMENTARII.

PRincipis] Quo pacto Iairus princeps synagogæ *rogat dominũ, ut filiã suã mortuã suscitet, id q*d *fecit*

fecit sed inter eundum mulierem hæmoroissam curauit. Ex Matth. cap. 9. Principis. Lucas nomen expreßit Iairum appellans. Clauso die, id est, finito. Verg. 2 æn. Ante diem clauso componet uesper olympo. Auras superas, id est, hunc aërem quem spiramus, qui respectu inferorum superus est. Verg. 6 æn. Superasq; euadere ad auras. Finis edax, id est, mors omnia consumens rodensq;. Spem prolis, id est, filiam ex qua susceptururus erat nepotes. Vergilius. 2 æn. Quinquaginta intus thalami spes tanta nepotum. Matura. Ad nuptias. Vergilius 7. Iam matura uiro iam plenis nubilis annis. Nomen patris. Quia pater & filia nomina sunt ad aliquid dicta. Refunde animã, id est, iterum redde. Auctor lucis. Qui est lux & lucis origo. Ad funera extinctæ, scilicet, puellæ. Vix mouens gressum populo stipante, id est, propter nimiam populi frequentiam. Cruorem inundantem, id est, fluxum sanguinis. Tenuarat opes. Distribuendo patrimonium medicis & pharmacopolis. Domo exhausta, id est, re familiari euacuata. Censum cũ sanguine, id est, patrimonium cũ sanguinis effusione. Sano in pectore .i. in corde melius de religione uera sentienti. Fidens diues id est, copiosa: quippe quæ fundamentum est aliarum uirtutum. Immersa, id est, inuoluta. Filum Christi.

Subaudi uestis, quod Euangelista dicit: Si tetigero fimbriam uestimenti eius. Posterius latens. Id est, latenter à tergo. Furata salutē. Quia furtim tetigit Christi uestem, unde cōsecuta est salutem subitam De extrema ueste, id est, de fimbria siue limbo uestis. Audax fiducia. id est, mulier ex fidei fiducia audens.

Damnauit uenas patulas, id est, obligauit siue obturauit uenas apertas. Nā & damno, pro cōstringo siue obligo sæpe legitur. Autor Marcellus & Seruius in illud Virgilij. Damnabis tu quoq; uotis. Siccis fluentis, id est, exiccatis fluxibus sanguinis Quod uirtus dedit. Hoc est quod Euangelista dicit: Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutē, quæ exierat de illo, aiebat. Laudat furtū, id est, mulierem quæ sic inuenit salutem, dicens illi: Fides tua te saluam fecit. Rapinæ, id est furto, hoc est, mulieri sic furanti. Ventum erat. Accedit Saluator ad domum Archisynagogi, ut suscitet illius filiam. Moriens uirgo. Pro mortua.

Tibicen. Quod alijs in locis diximus, in funere puerorum siue puellarum solitos fuisse adhiberi tibicines, sicut in funere uirorum tubas. Papinius in funere Archemori: Tibia cui teneros suctum deducere manes.

Hic sopor est, id est, nō est mortua puella, sed dormit Mortui quoq; in sacris literis dormire dicuntur: quia

suscitan-

suscitandi sunt in die iudicij. Vnde & cœmiteriū Græce, hoc est, dormitorium dicitur, ubi Christiani sepeliuntur. Positam somno. id est, dormientem. Cadauer constrictum, id est, congelatum. Igne spiritus. Contra id quod dixit morte gelida. Verbo. Nunc dicens: puella surge. Genitam semel. Aut conceptam aut natam. Bis uiuere. Semel in uentre matris atque iterum suscitante illam saluatore. Plangunt per gaudia. Quia prius per luctus: nunc per lætitiam, nam plangere tantum est percutere.

DE DVORVM SEQVENTIVM atq; clamantium illuminatione cæcorum. Matth. 9.

INde pedem referens geminos uidet ecce sequentes
Cæcatos clamare uiros, fili inclyte Dauid
Discute nocturnas extinctis uultibus umbras,
Et clarum largire diem. Quàm credere tutum
Quàm sanum est cognosce Deum, tam corde uidebāt
Qui lucis sensere uiam, tunc cæca precantum.
Lumina de diffuso ceu torpens ignis oliuo
Sub domini micuere manu, tactuq; sereno
Instaurata suis radiarunt ora lucernis.

COMMENTARII.

INde pedē. Quòd post suscitatā archisynagogi filiā restituit uisum duobus cæcis. Ex Matth. cap. 9.

Geminos cæcatos. Pro duos. *Vmbras nocturnas.* Id est, cæcitatem. *Diem clarum.* Id est lucem. *Cognosce deum.* Quod non possumus facere nisi illuminat *Videbant corde.* Id est, credebant intelligebantq;. *Viam lucis.* Illius quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. *Tunc eum.* Videbant deum. &c. *Cæca lumina præcantum,* Id est, oculi eorũ qui petebant uidere. *Micuerunt,* id est, lumen acceperunt. *Secus uiam domini.* Scilicet qua gradiebatur. *Ignis torpens.* Id est, languens. *Ora instaurata.* Id est uisui pristino restituta. *Tactu sereno.* Scilicet saluatoris. *Radiarunt suis lucernis.* Id est, uiderunt proprijs oculis.

DE ENERGVMINO SVRDO mutoq; curato. Luc. 11.

His ita demissis alius producitur æger,
Multiplici languore miser, qui uoce relictus
Auditu uacuus, solo per inania membra
Dæmone plenus erat, hunc protinus ordine sacro
Curauit, uersis Deus in contraria causis
Dæmonio uacuans, auditu & uoce reformans.

COMMENTARII.

His ita. Dæmoniacus qui erat surdus & mutus liberatur: restituitq; uisui audiendi & loquendi,

Matth. cap. 12. His scilicet duobus cæcis. Multiplici. Scilicet silentio, surditate, dæmonio. Relictus uoce. Id est, destitutus sermone. Vacuus auditu. Id est, expers. Membra inania. Id est, inutilia. Causis uersis. Quia diuersorum effectuum & causas oportuit esse diuersas.

DE POTESTATE CVRATIONIS discipulis data. Matth. 10.

NEc minus interea proprios iubet omnia posse
Discipulos, totisq; simul uirtutibus implens
Ite ait, & tristes morborum excludite pestes.
Sed domus Israël (quia necdum nomine gentes
Auxerat hoc omnes) cœlorum dicite regnum
Dæmonijs auferte locum, depellite lepram.
Cunctaq; subductæ reuocate cadauera uitæ,
Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis,
Ac uelut hoc dicens: ego uobis quippe ministris
Seruandos cõmitto greges, ego deniq; pastor
Cum bonus, & proprios ad uictum largior agros
Nemo meis ouibus quæ sunt mea pascua uendat,
Hæc in Apostolicas ideò prius ædidit aures
Omnipotens, ut ab his iam sese autore magistris
In reliquum doctrina fluens, decurreret æuum,
Qualiter ex uno paradisi fonte leguntur

Quatuor ingentes procedere cursibus amnes,
Ex quibus in totum sparguntur flumina mundum.
Quisquis enim deitatis opus, quod non habet ex se
Sed domino tradente gerit, sub nomine puro
Suscipiet puro dispenset munere, poßit
Vt dispensator, non ut mercator haberi.
Dauidisq́; modis uitam cantare futuram,
Intrabo in domini requiem: quia nescio mercem.

COMMENTARII.

NEc minus. Discipulos mittit cum potestate curandi omnes languores, suscitandiq́; mortuos: idq́; gratis, quia gratis eam potestatem ab ipso acceperunt. Ex Matth. cap. 10 Virtutibus. Potestatibus.

Excludite, id est, expellite. Sed domus Israël. Scilicet tantum non gentium. In uia, inquit gentium ne abieritis. Gentes omnes hoc nomine. Sensus est: nondum gentes erant adoptatæ in familiam Dei, quæ postea uere dictæ sunt Israël abdicato populo Iudæorum.

Dicite regnum cœlorum. Hoc iubet illos prædicare.

Locum, id est, corpora quæ poßident. Ac uelut hoc dicens, id est, quasi uellet hoc dicere: Ego sum pastor qui habeo agros proprios & pascua: uos autem estis ministri & substituti pastores, qui non debetis meis ouibus uendere pascua, quæ illis dedi gratis.

Doctri-

Doctrina fluens decurret. Scilicet, quòd ea quæ gratis à deô accipimus non debemus uendere. Qualiter Comparatio est, quod quemadmodũ ex uno fonte qui est in paradiso uoluptatis, deriuantur quatuor illa ingentia flumina: de quibus Gene. cap. 2. Ita ex Christo emanauit hæc præceptio. Scilicet, gratis accepistis, gratis date. Deinde per discipulos atque illorum successores propagata est Euangelij doctrina in præsentem diem.

DE MANV ARIDA IN SYNAgoga ilico restituta.

Matth. 13. Marc. 3. Luc. 6.

EXin conspicuã synagogæ ingressus in aulam,
Aspicit inualidum demesso corpore mancum.
Seminecem membris, non totum uiuere, cuius
Arida torpentem damnârat dextera partem
Imperioq; medens, gelidam recalescere palmam
Præcipit, & reddi diuino more saluti
Sicut semper agit, nil tollit & omnia reddit.

COMMENTARII.

EXin. Quomodo Saluator in synagoga restituit sanitati mancũ quendã & corpus nõ utile extinctæ dextræ. Ex Matt. ca. 12. Cõspicuã in aulã synagogæ. Nã in tã celebri urbe necesse erat amplissimã fuisse

extructam

extructam synagogam. Demesso corpore. Id est, mutilato, ab eo quod est demeto, is. Horat. 1. Sermon. Caudamq; salacem demeteret. Seminecem. Id est, semimortuum, quia in parte uiuebat, in parte mortuus erat, unde subdit, non totū uiuere, Damnarat, id est, inutilem fecerat. Medens. scilicet Christus. Præcepit imperio. Verbo tantum non adhibitis fomentis. Palmam gelidam, id est, torpentem & quasi quodam gelu impeditam. Recalescere. id est explicari & extendi.

Diuino more. Scilicet uerbo solo aut nutu. Nil tollit. Scilicet pro mercede, aut nil diminuit. Reddit omnia, id est, restituit.

DE CAECI AC MVTI SANAtione lunatici. Matth. 12.

EN iterum ueteres instaurans lubricus artes
Ille chelydrus adest, nigri qui felle ueneni
Liuidus humano gaudet pinguescere tabo.
Quodq; per alternos totiens dispersérat ægros
Virus, in unius progressus uiscera fudit.
Cui uocem lumenq; tulit, tripliciq; furore
Saucia membra tenens, mutum quatiebat, & orbum
Tunc dominus mundi, lux nostra & sermo parentis
Sordibus exclusis, oculos atq; ora nouauit,
Verbaq; per uerbum, per lumen lumina surgunt.

COM

COMMENTARII.

EN iterum. Quòd oblatum dæmoniacum, cæcum & mutum, Saluator noster sanitati restituit. Ex Matth. cap. 12. En iterum. Quia supra de altero dæmonium habente mentionē fecerat. Ille lubricus chelydrus. id est serpens antiquus lubrica conuoluens sublato pectore terra. Qui liuidus & colore & inuidia utrunq; enim liuidus significat. Felle. In quo est inuidiæ sedes. Ouid. 2. Meta. Pectora felle uirent. Gaudet pinguescere, id est, pascitur damnis hominū: quod ipsum inuidiæ est. Per alternos ægros, id est, alternatim illos inficiens. Vocem & lumen, id est, usum loquendi & audiendi abstulit. Furore. id est, damno. Orbum. id est, lumine orbatum. Lux nostra, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Sermo parentis, id est, uerbum patris, per quorū priorem restituit cæco lumen per posteriorē muto usum loquendi.

DE ERECTIONE MVLIERIS per annos 18. curuatę. Luc. 13.

VEnerat & mulier morbo contracta uetusto
Non senio, tremebūda, gemēs, incurua caducis
Vultibus, & solam despectans cernua terram.
Quæ domino miserante iuges post octo decemq́;

Membra

Membra leuat messes, cœlumq́; & sidera tandem
Cernit, & ardentem solis reminiscitur orbem.
Totum erecta uidens, quia quos malus opprimit hostis
Ima petunt: quos Christus alit, sine labe resurgunt,

COMMENTARII.

VEnerat. Quod incuruatā mulierem erexit atq; restituit saluator. Ex Luc. cap. 13. Contracta Id est, ut Euangelista dicit, Inclinata. Hos Græci bene uocant. Nam ὀπισθότονος, est quando contrahitur collum, & retrorsum torqueri, aut reuerberare nō potest. Morbo uetusto. Quo fuerat detenta duodeuiginti annos. Non senio. Quo senes incuruantur. Cernua, id est, in terrā prona. Messes, id est, annos continuos. Totum orbem solis, id est, solem, qui sphericum corpus habet. Ardentē. Ex opinione antiquorū, qui totū æthera dicebāt esse igneæ naturæ. Erecta. Quæ prius erant incurua. Quia quos. Moraliter exponit.

DE QVINQVE PANIBVS ET DVObus piscibus, uiris quinq; milium saturatis. Ioan. 6.

CVmq; dehinc populum sese in deserta sequutum
(Vt typicus Moses uerusq; propheta) uideret
Antiquam sentire famam, maioribus actis
Antiquam monstrauit opem, tunc alite multa

Carnis

Carnis opima dedit geminis modo piſcibus auxit
Sufficiens tunc manna pluit, modo panibus amplum
Quinq; dedit uictum per milia quinq; uirorum
Cætera turba latet, numero nec clauditur ullo
Maxima paruorum legio, uel maxima matrum,
Quodq́; magis ſtupeas, cophinos ablata repleruntur
Fragmina biſſenos, populisq́; furantibus aucta
Quæ redit à cunctis non eſt data copia menſis.

COMMENTARII.

CVmq́; dehinc. Quomodo ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque milia uirorum dominus ſaturauit. Ex Matth. cap. 14. In deſerta. Vbi hoc miraculum Dominus fecit. Moſes typicus. Quo duce in deſerto populus manna paſtus eſt.

Maioribus actis. Id eſt, miraculis. Antiquam opem. Id eſt, ſimilem illi antiquæ. Alite multa. Id eſt, multis coturnicibus. Opima carnis. Id eſt, carnes opimas & pingues. Auxit. Subaudi opem. Manna ſufficiens. Id eſt, quod ſufficeret ſatisq́; eſſet.

Cætera turba. Quod Euangeliſta dicit exceptis mulieribus & pueris. In illo numero. Scilicet, quinque mille uirorum. Legio. Hic pro multitudine. Matrum. Id eſt, mulierum, ſpecies pro genere. Quoq; magis ſtupeas. Hemiſtichium eſt. Iuuenalis in 6. Satyra.

Cophinos

Cophinos. Corbes ex uiminibus contextos. Quæ redit aucta. Quia plus redit à mensis quàm fuit appositum. Non est data. Scilicet cum in mensis positi sunt panes & pisces.

DE AMBVLATIONE DOMIni super aquas, & Petro mergente Domini manu leuato.

Matt. 14. Marc. 6.

IAmq; senescentem gelidi sub cærula ponti
Oceano rapiente diem, cum pallor adesset
Noctis & astriferas induceret Hesperus umbras
Discipuli solo terris residente magistro
Vndosum petiere salum, fluctuq; tumente
Torua laborantem iactabant æquora puppim
Aduersus nam flatus erat, tunc noctis opacæ
Tempore calcatas dominus superambulat undas
Et fasti premit arua freti, glauciq; fluentis
Circunfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors, sub calle pedestri
Nauigeras patuisse uias, at Petrus amicam
Doctus habere fidem, Christumq; agnoscere semper
In medias descendit aquas, quem dextra leuauit
Labentem domini nil tanto in gurgite passum.
Cui portus fuit illa manus, pelagiq; uiator

Libera

Libera per uitreos mouit uestigia campos.

COMMENTARII.

IAmq; Quomodo saluatore in terra manente discipuli nauigantes opprimebantur tempestate. Iesus ad eos ueniens super fluctus cœpit illos consolari: & quod illius iussu Petrus se ad illum ex naui demisit. Ex Matth. cap. 14. Oceano rapiente diem. Descriptio est occasus solis qui in oceano uidetur mergi cum occidit. Senescentem. Quia occasus solis respondet senectuti hominis. Sub cerula ponti, id est, sub pontum ceruleum, nam ille est color maris. Pallor, id est, nigror. Hesperus stella quæ alio nomine dicitur uenus: dicta hesperus cum post occasum solis uidetur. Vmbras astriferas. Quia astra nisi per umbras non uidentur. Solo magistro, id est, incomitato. Salum undosum id est, mare. Vergilius 1 æneid. Perq; undas superante solo. Torua æquora, id est, irata atq; perturbata, ut torua leena lupum sequitur. Aduersus, id est, non à puppe & secundus. Marmora glauci fluenti, id est, maria glauca fluentiaq;, est autem color maris in tranquilitate glaucus, id est, uiridis. Lambebant, id est, leuiter tangebant. Verg. 2 æn. Lambere flamma comas. Cohors discipulorum. s. sub calce pedestri, id est, sub planta pedis, cuius est calx posterior pars. Vias nauigeras,

 id est,

id est, per quas solæ naues eunt. Fidē amicā, id est fidē familiarem & sociam. Agnoscere quippe qui alijs addubitantibus dixit: tu es Christus filius dei uiui. Matth 16. In iurgite, id est, maris tempestate. Viator, scilicet, Petrus. Campos uitreos, id est, maria. Sicut Oui. 1 meta. Campoq; recepta liberioris aquæ.

DE CVNCTIS IN GENESAR INfirmis sanitatis fimbriæ dominicæ tactu. Matth. 15.

GEnezar inde soli domino ueniente coloni
Infirmos traxere suos, ut fimbria saltem
Vix attacta Dei, morbis medeatur acerbis,
Et quotquot tetigere iugem sensere salutem
Quàm preciosa fuit quæ nunquàm uendita uestis
Ipsa, omnes modici redimebat munere fili.

COMMENTARII.

GEnesar. Quomodo cum uenisset Iesus Genezareth, omnes infirmi qui tangebant fimbriam uestimenti eius sanabantur. Matth. cap. 14. Coloni habitatores. Soli Genesar, qui ab Hebræis dicta est Cenereth, postea ab Herode in honorem Tiberij Cæsaris Tiberias dicta. Salutem iugem, id est, non temporariam sed perpetuam. Nunquàm uendita fuit, subaudi. Sed an fuerit empta aut dono data saluatori nescio

Redime-

Redimebat, id est, à morbis liberabat.

DE FILIA CANANEAE A DOMINO liberata, Matth. 15. Marc. 7.

Hinc Tyrias partes Sydoniaq; arua petentem
Anxia pro natæ uicio (quam spiritus atrox
Vexabat stimulis) mulier Cananea rogabat
Se canibus confessa parem, qui more sagaci
Semper odoratæ recubant ad limina mensæ,
Assueti refluas dominorum lambere micas.
Vox humilis, sed celsa fides, quæ sospite nata
De cane fecit ouem, gentisq; in sentibus ortam
Compulit hebræi de gramine uescier agri.

COMMENTARII.

Hinc Tyrias. Ex Genesareth uenit Iesus in Phœnicen, quæ quondam fuit Cananæorum ubi sunt urbes præclaræ Tyrus & Sidon, ibiq; filia mulieris cananitidis curata est. Matth. 15 Petentem .i. Christum euntem. Pronatæ uitio. Erat enim dæmoniaca. Quæ more sagaci. Festus. Canes, inquit, indagatores sagaces sunt appellati, quia ferarum cubilia præsentiunt.

Odoratæ mensæ, id est, quam odore explorat. Ad limina .i. ad introitũ siue ad finẽ mensæ. Refluas, id est, cadentes, aut retrofluentes. Silius lib. 15 Refluusq; reciprocat æstus. Vox humilis, scilicet, fuit huius mulieris.

Sed celſa fides,id eſt,alta,ut humile opponatur alto. De cane. Cum per humilitatem ſe cani comparauit. Ortam,ſcilicet,ouem ex cane factam. In ſentibus gentis,id eſt,inter gentilium ſpinas. Compulit,ſcilicet,fides. Paſcier de grammine agri. Perſtat in tranſlatione eius quod dixit ouem.

DE DIVERSORVM TOTIVS VVLgi curatione morborum.

ALta dehinc ſubiens montis iuga plebe ſequēte
Milia cæcorum,claudorum milia paßim.
Leproſosq; ſimul populos,ſurdasq; cateruas,
Inualidasq; manus, & quicquid debile uulgi
Venerat,in priſcum componit motibus uſum
Et reuocata ſuis attemperat organa neruis.

COMMENTARII.

ALta de hinc. Quod aſcendens Ieſus in montem curauit multa genera languentium. Ex Matth cap.15. De hinc. Poſt Cananeæ filiā in Phœnice curatam. Subiens,id eſt,aſcendens. Quicquid dedile uulgi id eſt,omnes ex uulgo aliqua infirmitate debiles. Motibus. Qui prius erant impediti ,neq; poterant membra mouere. Attemperat organa, id eſt, diſponit membra ſiue inſtrumenta animæ. Reuocata, id eſt, reſtituta ſuis neruis.

DE

DE SATVRITATE QVATVOR MILIUM uirorum, ex 7 panibus, paucisque pisciculis. Matth. 15. Marc. 8.

CVmq; medens ægrum refouet uirtute tumultum
Tertia lux aderat, steriliq; in cespite nullum
Contigerat plebs tanta cibum, nimiosq; labores
Nutribat geminanda fames, si saucia callem
Turba per ingentem dapibus ieiuna rediret
Qua flexus pietate Deus, qui semper egentum
Panis adest, uictumq; locis sine frugibus infert
Pisciculis paucis, & septem panibus agmen
Pauit enorme uirûm, præterq; infirma secundi
Sexus, & ætatis saturauit quatuor illic.
Milia uescentum, plus ut mireris & auctas
Disce fuisse dapes, epulas nutriuit edendo
Vulgus & attritæ creuerunt morsibus escæ
Relliquiasq; suas sportarum culmina septem.
Expauit fugitiua fames, ubi fragmine sumpto
Vidit abundantem modico de semine messem.

COMMENTARII.

CVmq;.] *Alterum miraculum simile superiori de quinq; panibus et duobus piscibus, hic de septem panibus & paucis piscibus.* Ex Matth. cap. 15. *Tumultũ ægrum, id est, turbas ægrotantes. In cespite*

sterili, id est, in deserto. Geminanda fames. Quia non modo primæ dantur fame ex præteritis diebus contracta, sed etiam futura, dũ quisq; rediret domũ. Callem. i. uiam anfractuosam, qualis esse solet in locis desertis. Panis adest. Qui Ioan. 6. dixit: Ego sum panis uitæ. Sine frugibus, id est, sterilibus. Agmen grande uirûm, pro uirorũ. Infirma secundi sexus id est, alterius, hoc est, mulierũ. Et ætatis. i. puerorũ: quæ utraq; ætas & sexus debilis est. Edendo, hoc est mirandũ quod consumuntur dapes edendo: augenturq́;. Fugitiua fames. Fingit Ouid. in meta. Famem quasi deam quandam habitare in locis desertis, moresq́; illius pulchre describit. Nunc uerò dicit autor quod fames fugitiua, id est, quæ fugiebat turbas iam saturas. Expauit reliquas suas, id est, fragmenta quæ relicta fuerunt. Culmina septem sportarum, id est, septem sportas ad culmen summum plenas. Sumpto fragmine, id est, collectis fragminibus. De modico semine, id est, de septem panibus & duobus piscibus.

DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI, & Moysi pariter Heliaq; monstrato, Matth. 17. Marc. 19. Luc. 9.

NEc tamen humano quãuis in corpore Christum
Matris ab occasu mortalia membra gerentem

Clam fuit esse Deum, quia non absconditur unquàm
Vrbs in monte sedens, modio nec subditur ardens
Lichnus, anhelantem, sed spargens altius ignem,
Cunctis lumen agit, radians nam testibus amplo
Discipulis fulgore tribus, uelut igneus ardor
Solis, in ætheream uersus splendore figuram.
Vicerat ore diem, uestemq; tuentibus ipsam
Candida forma niuis domini de tegmine fulsit.
O meritum sublime trium, quibus illa uidere
Contigit in mundo, quæ non sunt credita mundo.
Quid quod, & Heliam, & clarum uidere Moysen
Ignotos oculis uiderunt lumine cordis,
Vt maior sit nostra fides, hunc esse per orbem
Principiũ ac finẽ hunc, simul Alpha uiderier hunc O,
Quem medium tales circumfulsere prophetæ
Alter adhuc uiuens, alter stans limine mortis
Sidereoq; sono, meus est hic filius, aiens.
Ostendit uerbo genitum uox patria Christum.

COMMENTARII.

NEc tamen.] Quo pacto corã tribus discipulis transfiguratus est: apparueritq; cum eo Moses & Helias loquentes ex Matth. 17. Nec tamen. Ordo & sensus est, nec tamen fuit clam, id est, occultum Christum esse Deum quamuis gerentem ab occasu

matris,id eſt à matre mortali mẽbra mortalia in cor=
pore humano. Eſſe deum inquam. Quia urbs ſedens.
Id eſt, fundata, & eſt ſumptum ex Matth. cap. 5. Non
poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem poſita, neq; ac=
cendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio: ſed ſu=
per candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt

Lychnus. Græce interpretatur lucerna, neque eſt ut
uulgus putat ex cera aut ſeuo, ſed quæ ex oleo tempe=
ratur. Nam teſtibus. Ordo eſt. Nam uerſus ſplendo
re, id eſt mutatus in æthercam figuram. Fulgore am
plo. Velut ardor igneus ſolis. Vicerat ore, id eſt, oris
ſplendore. Diem, id eſt, ſolem, & hoc tribus diſcipu=
lis teſtibus, ſcilicet, Petro, Iacobo, Ioanne. Candida
forma nimis fulſit de tegmine, id eſt, ueſtis mutata eſt
in formam niuis: diſcipulis intuentibus ipſam ueſtem.

Quæ non ſunt credita mundo, id eſt, incredibilia, aut
ad illud reſpicit, quòd mundus eum non cognouit. Mo
ſen hic ſcriptor recentẽ Græcam ſequitur & latinam
cum autores Græci & Latini nõ Moyſen, ſed Moſem
hunc uocent. Principiũ ac finem. Alpha atq; O, idem
eſt ex Apocalypſi cap. 1. Alter uiuens. Scilicet Heli-
as. Limine mortis. Scilicet Moſes. Hieronymus dat ſi-
gnum de cœlo Helia deſcendente, & Moſe ab inferis
reſurgente. Vox patria, id eſt, patris. Sidereo ſono

id eſt,

id est, à cœlo descendenti. Verbo genitum, Imò uerbum genitum.

DE LVNATICO CVIVSDAM filio patris supplicatione saluato. Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Postquàm corporeos uirtus regressa per artus
Texit adoratam carnis uelamine formam
Seq́; palam dominus populis dedit, ecce repente
Vir humilis mœsto deiectus lumina uultu
Procedit, simplexq́; manus, & brachia tendit
Imploratq́; gemens, unus mihi filius, inquit,
Est domine: horrenda lacerat quem spiritus ira,
Hæc linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris
Opprimat, atq; animam dubia sub morte fatiget.
Nunc precor expulso miseratus utrinq; furore
Redde mihi, uel redde sibi, ne cæca potestas
Expellat trepidam subtracto lumine uitam.
Dixerat, & genua amplectens genibusq́; uolutans
Hærebat, dominusq́; pio iam pectore uotis
Annuerat, tunc prædo furens, ac noxius hostis
Cui possessa diu est alieni fabrica iuris
Peruasa migrare domo compulsus in iram
Tollitur accensam, correptaq́; corpore membra
Nititur & frustra domino prohibente laborans

Fugit in obſcuras puero uiuente tenebras.

COMMENTARII.

*P*Oſtquàm corporeos. Poſt transfigurationem Chriſtus demoniacũ curauit. Ex Matth. cap. 17 Virtus diuina, ſcilicet, in qua reſplenduit. Regreſſa, id eſt, ſe recolligens recipienſq́;. Formam adoratam. Tunc, ſcilicet, à tribus diſcipulis alias adorandam.

Deiectus lumina. Synecdoche, id eſt, habens lumina deiecta. Vnus filius unus. Hæc geminatio unicum ſignificat. Spiritus lacerat. Euangeliſta lunaticum dicit, ut idem ſit lunaticus & dæmoniacus. Aquis aut ignibus. Matthæus. Nam ſæpe cadit in ignem & cerebro in aquam. Miſeratus utrunq;, ſcilicet, me atq; illum. Redde mihi. Subaudi filium. Redde ſibi. Subaudi ſeipſum, quia ille non eſt ſuus: qui non eſt dominus ſuorum membrorum actionumq́; ſuarum. Cæca poteſtas, id eſt occulta uis dæmonis. Subtracto lumine, id eſt, amiſſa luce huius uitæ. Volutans. Pro uolutatus, aut quemadmodum euangeliſta dicit genibus prouolutus, & eſt participium præſentis in ſignificatione paßiua, quod & Verg. poſuit in 1 Geor. Tardaq́; Eleuſinæ matris uoluentia plauſtra. Et in eodem. Siliqua quaſſante legantem. Votis, ſcilicet, patris orantis pro filio. Fabrica iuris alieni, id eſt, domus al/

terius

rius domini. Domo peruaſa, id eſt, quam uiolenter inuaſit. Carpere, id eſt, uexare ac torquere. Fruſtra laborans. Quia puero non potuit nocere. In obſcuras tenebras. i. ad inferos, ubi eſt illi domiciliū proprium.

DE STATERE REPERTO IN ORE piſcis ad ſoluendum domino iubente tributum. Matth. 17.

REx etiam ſolus regum, & dominus dominorum
Non dedignatus Petro piſcante tributum
Soluere Cæſareum, medij de gurgite ponti
Hamum ferre iubet, gerulum didragmatis aurei
Incola mox pelagi pendentia fila momordit,
Iuſſa tributa ferens, grauiorq; onerante metallo.
Vilis honor piſcis precio maioris pependit.

COMMENTARII.

REx etiam ſolus. Quod ex gentibus tributū iuſſit Ieſus ſolui didrachmon in ore piſcis inuentum. Ex Matth. cap. 17. Rex regum. Qui dixit Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ioan. 18. Ideò ſolui tributum Cæſari imperat. Hamū ferre, id eſt in mare hamum mittere: qui piſcem aduncaret: in cuius ore inueniendum eſſet didrachmon, unde tributum Cæſari ſolueretur. Didrachmatis auri. Poteſt fieri ut didrachma & drachma fuerint ex auro: ſi ad pondus

referantur

referantur, aliâs drachma monetæ genus non est, nisi ex argento: sed tunc non drachmatis, sed drachmæ mittit genitiuum. *Incola pelagi*, id est, piscis. *Iussa.* A Christo persolui. *Vilis honor*, id est, parui precij. *Pependit.* Scilicet ex hamo.

DE EO QVOD DISCIPVLIS DE priuatu percontantibus humilem dixit fore maiorem.

Matth. 18. Marc. 9. Luc. 9.

DIscipulisq; suis se percontantibus aula
Cœlestis regni maior quis poßit haberi,
Vt Deus & doctor: mirabilis omnibus inquit,
Celsior est humilis cunctisq; potentior ibit,
Qui cunctis subiectus erit seseq; minorem
Demissa ceruice gerit, uelut iste uidetur
Paruulus, & monstrat puerum consistere paruum
Scilicet ingenium teneri sectemur, ut æui
Non annis, sed mente iubet, quia mollior ætas
Nil pompæ mortalis amat, non ambit honorem,
Nec resupina tumet, sic puræ semita uitæ
Quantum prona solo, tantum fit proxima cœlo:
Mens etenim uergens, altum petit, altaq; uergit
Inferiorq; gradus, quo uult descendere surgit.
Ecce humilem dominus de stercore tollit egentem

Et facit

Et facit egregios inter residere tyrannos:
At contra tumidum pugnaci menti rebellem
Præcipitem cœlo sub tartara iussit abire.
Parua loquor si facta Dei per singula curram,
Et speciale bonum cum sit generale reuoluam.

COMMENTARII.

DIscipulisq;. Interrogatus Iesus à discipulis, quis esset maior in regno cœlorum, statuto in medio puero dixit: oportere effici quasi paruulum illum uolenti intrare in regnum cœlorum. Ex Matth. ca. 18.

Se percontantibus, id est ipsum interrogantibus.

Demissa ceruice, id est, non dura & contumaci, sed prona & humili. Iste paruulus. Quem ut dicit Euangelista, Iesus statuit in medio discipulorũ. Ingenium æui teneri, id est, mores ætatis puerilis. Non annis sed mente. Quia ut dicit Arist. Nihil refert ætate quis iuuenis sit an moribus, & ediuerso cani hominis sapientia illius. Sap. 4. Quia mollior ætas, id est, tenera, hoc est puerilis. Nil Pompæ mundalis. Ecce puerorum mores. Non ambit, id est, non ambitiosus. Resupina. Id est, erecta, quod est contrariũ humilitati. Semita uitæ puræ, id est, incedentes puri sicut pueri per semitam uitæ: puer nanq; à puritate dicitur. Prona solo, id est in terram inclinata & humilis. Mens uergens, id est, incli=

inclinata absolute. Luca. in primo. Vergentibus annis Aliâs actiue. Vt Verg. in 4. Frontiq; inuergit uina sacerdos. Quò, id est, ea parte qua. De stercore. Psal. 112. De stercore erigens pauperem. Tyrannos. Hic pro reges accipit. Verg. 4 æn. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. Mente pugnaci, id est, contumaci & elata. Per singula. Quia quantumcunq; dixero minus est. Bonum speciale quod intra genus continetur. Quia bonum quanto communius est tanto diuinius existimandum.

COELII SEDVLII

MIRABILIVM DIVINORVM LIBER IIII.

DE DIVITE REGNVM DEI INtrare non potente. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

AM placidas Iordanis item transgressus harenas
Iudææ sectatus iter, sine nomine mœstum
Vulgus & innumeras releuans à clade cateruas,
Suscipit infirmos, & dat discedere sanos.

Nil

Nil igitur summo de se ſperantibus unquàm
Difficile eſt conferre deo, cui prona facultas
Ardua planare, & curua indirecta referre,
Et quicquid natura negat ſe iudice præſtat.
Namq; foramen acus, ſicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit, ſic diues opima
Fertilitate tumens, tenuem non poßit adire
Cœleſtis regni ducentem ad limina callem,
Ni genitor rerum (qui mundum lege coercet
Et nulla ſub lege manet, cui condere uelle eſt,
Quem frons nulla uidet, ſed totum conſpicit) ipſe
Hoc impoßibile eſt homini dixiſſet, & alto
Poßibile eſt ius omne deo, multisq́; moleſtum
Diuitibus tandem faceret miteſcere cenſum
Nam proprias bene tractat opes, cœloq́; recondi
Theſauros uult ille ſuos, ubi quicquid habetur
Non mordax erugo uorat, non tinea ſulcat,
Hæc male defoſſum famulatur furibus aurum,
Ieiunis quicunq; cibum ſitientibus hauſtum
Hoſpitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, perfouet ægros
Atq; alijs largus, ſibi tantum conſtat egenus,
Nec dubie in cœlum ſubſtantia peruenit illa
Quæ Chriſto collata datur ſub paupere forma

Quæ

Quæ damnis augmenta capit, quæ ſpargitur ut ſit
Quæ perit ut maneat, quæ uitam mortua præſtat.

COMMENTARII.

IAm placidas. Primo autor dicit difficulter diuitem intrare in regnum cœlorum. Ex Matth. 19. Item. Pro iterum. Arenas Iordanis, id eſt, ripas arenoſas. Iter Iudææ, id eſt, uenit in eam partē Iudææ, quæ eſt trans Iordanem. Vulgus ſine nomine, id eſt, ignobiles quoſdam homines. Suſcipit, id eſt, ad ſuam curam admittit. Diſcedere, id eſt, ut diſcedant. Ardua planare, id eſt, altas res planas facere. Indirecta. Ex Eſaia cap. 40. Erunt praua indirecta, & aſpera in uias planas: nam prauum dicitur quod eſt diſtortum. Præſtat ſe iudice, id eſt ſe arbitro & rerum domino & in cuius arbitrio ſunt omnia. Nanq;. Exponit quo modo intelligendum ſit illud quod Euangeliſta dicit. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, q̃ diuitem intrare in regnum cœlorum. Pro mole, id eſt, pro magnitudine. Callem. Vt ſæpe diximus uiam anguſtam. Coërcet, id eſt, coarctat & continet. Sub lege. Quia eſt ſolutus à legibus. Condere uelle eſt, id eſt, omnia quæcunq; uoluit fecit. Pſal. 113. Frons nulla uidet. Quia Deum nemo uidit unquàm. Ioannis 1. Moleſtum diuitibus. Quia non omnes diuites gaudent facere

cere censum, & augere patrimonium. Faceret mitesce/re censum, id est, uilescere & non crescere in infinitum Bene tractat. Subaudi, aliquis ex numero diuitum. Vbi id est, in quo, in cœlo. Mordax erugo, id est, flos aëris qui corrodit numismata ærea. Ex Matth. cap. 6. Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra ubi ærugo & tinea demolitur. Tinea sulcat, id est, corrodit, consumitq;. Male defossum, id est, furto, non ex uenis naturalibus, quia iure effoditur. Ieiunis. Qui misericordiæ opera enumerat, quorum materia sunt diuitiæ. Sibi egenus. Iuuenalis. Esto ut nunc multi diues tibi pauper amicis. De eo dixit qui contrarius est misericordi. Illa substantia, id est, ille census siue patrimonium. Sub paupere forma. Ex Matth. cap. 25. Quod fecistis uni de his fratribus meis minimis, hoc est, pauperibus: mihi fecistis. Damnis augmenta capit, id est, cum distribuitur: augetur. Spargitur ut sit, id est, ut permaneat. Perit, id est, perire uidetur cum reuera maneat. Mortua, id est, perdita opinione aliorum.

DE DVOBVS CAECIS POSCENTIBUS À DOMINO ILLUMINARI. Matth. 9.

PRæterea dominus geminos considere cæcos,
Dum quoddam transiret iter, comitāte caterua.

Conſpicit, extinctæ poſcentes munera formæ
Flebilibuſq; uagas implentes uocibus auras,
Nec cunctata ſolens pietas inferre ſalutem.
Quæ ſentit flagrare fidem, mox lumina tangens
Euigilare iubet, quæ ſomnus preſſerat ingens,
Atq; diu clauſas reſerans ſub fronte feneſtras,
Ingrediente die fecit diſcedere noctem.
Hinc repetita ſacri gradiens per mœnia templi
Lumina cæcatis dedit & ueſtigia claudis.

COMMENTARII.

PRæterea dominus. Egreſſo Ieſu ex Hiericho facti ſunt illi obuiam duo cæci, quos ſanitati reſtituitur, aliaq; deinde mirabilia fecit. Ex Matth. cap. 20. Geminos cæcos, id eſt, duos. Conſidere. Quia ſedebant ſecus uiam. Quoddam iter, ſcilicet ex Hiericho Hieroſolymas. Formæ extinctæ, id eſt, oculorum excæcatorum. Auras uagas. Per quas ſolent uoces diffundi. Solēs pro ſolita. Fidem illorum cæcorum. Lumina euigilare, id eſt oculos aperiri & uidere. Somnus ingens, id eſt, nox perpetua, cōtra illud quod dixit euigilare. Feneſtras clauſas. Trāſlatio eſt nota ut mors intrauit per feneſtras noſtras. Hier. 9. Die. i. luce. Noctē. i. tenebras Repetita, id eſt, quæ ſæpe repetebat frequentabatq;, & hoc ſumptum eſt ex eodem Matth. cap. 21. Lumina & ueſtigia. i. oculos & pedes.

DE

DE SANATIONE CAECORVM, claudorum multorum, & arefa*cta uerbo ficulnea. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 17.*

TAlia Dauidicam post facta reliquerat urbem,
Bethaniæ uicina petens, eademq; reuersus
Clarescente die properabat uisere tecta:
Ecce autem medijs astans sublimis in aruis
Frondea ficus erat, cuius in robore nullum
Repperit esuriens lustrato stipite pomum
Arboreisq; comis: Iam nunc ex germine uestro
Nullus ait fructus reliquum generetur in æuum,
Confestim uiduata suis ficulnea succis
Aruit, & siccis permansit mortua ramis.
Omnis enim quicunq; Deo nil fertile nutrit,
Ceu sterilis truncus: lignis æquabitur ustis:
At iustus palmæ similis florebit amœnæ
Semper habens frondes, & tanquàm Libana cedrus
Multiplicandus adest, & uertice sidera tanget.

COMMENTARII.

TAlia Dauidicam. Iesus è Bethania in urbem Hierosolymã rediens esurijt, cum uerò ad ficũ arborem accessisset: ut inde ficos decerperet, non inuentis indixit illi sterilitatẽ et cõtinuo arefacta est. Matth. 21

Vrbem Dauidicã. Sic enim Hierusalẽ, uel potius Syon appellatur urbs Dauid. Vicina petens. Distat enim Bethania à Hierosolymis duobus milibus passuum, Hieronymus & Eusebius autores. Eadem die, scilicet, intra 25. horas postquàm uenit in Bethaniam. Clarescente, mane, dicit euangelista. Frondea pro frondosa. Verg. Nemo inter frondea turbam. Nulli pomum. Recte de ficis pomum dicitur. Ait comis arboreis, id est, frondibus arboris. Ex uestro germine. Propriè germen ut erũpunt fructus. Suis succis. Alimentis unde uirescit. Siccis. Sine alimento. Omnis. Quæ sequuntur moraliter dicta. Lignis ustis. Pro urẽdis. Palmæ similis. Ex Psal. 91. Iustus ut palma florebit, et sicut cedrus libani multiplicabitur. Sidera tangit. Quippe qui cedro cõparatur, quæ in Libano mõte mirũ in modũ in sublime crescit.

DE MVTO REDDITA LOquela dæmone pulso. Luc. 11

POst oblatus ei uirtutem sensit herilem
Insanus sermone carens, quem faucibus atris
Angebat, uis clausa mali, uitiumq; tacendo
Prodiderat. Sed cuncta solens infirma leuare
Conditor obsessa pepulit de fauce latronem,
Et uoci patefecit iter, nexuq; soluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.

Post ob-

COMMENTARII.

Post oblatus. Iesus mutum insanum eundemq; dęmoniacum curauit, sed de quo hic loquatur muto non uideo, cum præsertim ponit particulam continuatiuam, post, sed si ordinem non serues, Potest intelligi de illo de quo Matth. 12. Et Luc. 11. Virtutem herilem .i. domini. Sermone carens, id est, mutus. Vis mali clausa, scilicet, dæmon. Tacendo prodiderat uitium .s. per signa quæ faciunt oppreßi à dæmonibus. Latronem dæmonem fauces, illius occupantem. Nexu soluto id est, faucibus expedito.

DE DIMISSIS MVLIERIS PECCAtis quæ dominicos pedes lauit, lachrymis tersitq; capillis. Luc. 7.

Post dominus pharisæa petens conuiuia cœnæ
Orantis dapibus sese impartiuit amici,
Tunc mulier (quam fama nocens & plurima uitæ
Mordebant delicta suæ) clementia supplex
Corruit amplectens uestigia, quæq; profusis
Irrigat incumbens lachrymis, & crine soluto
Tergere nec cessat, nec sacras lambere plantas,
Vnguento fragrante fouens, sententia donec
Læta Dei (quem ferre manum non penitet unquàm
Si nos pœniteat ueterem quæsisse ruinam)

Vade fides mulier tua te saluauit ab omni
Dixisset, quodcunq; malo geßisse uideris.
Vtere pace mea, magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi, quoniam sua uulnera nutrit
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti,
En polluta diu modicum purgata receßit
Per gemitum proprijq́; lauans in gurgite fletus
Munda suis lachrymis redit, & detersa capillis.

COMMENTARII.

POst Dominus. *Cœnanti Iesu in domo Pharisæi, Maria unxit pedes, ab eoq́; est peccatorum suorum uenia donata.* Ex Luc. ca. 7. *Cœnæ pharisea, cõuiuia, id est, pharisæi qui illũ inuitauerat.* Impertiuit se *Id est, cõmunicauit se.* Mordebant. *Stimulabãt, quia male audiebat, id est infamata erat.* Vestigia clementia, *id est, domini clementis.* Incumbens, *id est prona ad illius pedes.* Lãbere plantas, *id est, osculari.* Fouens *ad recreationẽ inungens.* Sentẽtia dei lata, *id est letã faciẽs mulierẽ sicut ẽcõtrario. Iuue. De nobis post hæc tristis sententia fertur.* Et est ordo donec sententia læta dei dixisset. Vade mulier. *Tua fides saluabit te ab omni malo, quodcunq; uideris geßisse, & per parenthesim interposuit: quẽ non pœnitet ferre manũ, iuxta illud Iob 14. Operi manuũ tuarũ porriges dexteram*

ram. Si pœniteat nos quæsisse ueterē ruinam, id est, incidisse in aliquā peccati foßam. Vtere pace tua. Pro eo quod est, uade in pace. Abscondi, id est, si absconditur. Trepidat, id est, timet. Lauās, subaudi se, quanquàm elegantius dicitur, ego lauo, q̃ ego lauo me. Detersa, id est, mundata suis capillis.

DE DAEMONIS EXPVLSIONE fatentis ipsum esse Christum

Matt. 8. Marc. 5. Luc. 8.

IAmq; Capharneæ synagogam intrauerat urbis
Rite docens populos, quem cum uidisset iniquus
Humano sub corde latens, clamore proteruo
Spiritus infremuit, quid nobis & tibi dicens:
Perdere nos heu Christe uenis (Scio deniq; qui sis,
Et sanctum cognosco Dei, nec plura locutus
Imperio terrente tacet, hominemq; reliquit
Pulsus & inuacuas fugiens euanuit auras.

DE DATO LANGVORIBVS REMEDIO, & silentio imperato.

HIc etiam uarijs finem languoribus esse
Fecit, & exclusos semper reticere coëgit
Dæmonas, ac talem prohibet se pandere testem.
Olim quippe ferox, & nigræ mortis amator
Ille nocens anguis, deiectus culmine cœli.
Cum pompis socijsq; suis, omniq; nefandæ

Agmine militiæ Christum quem nouerat illic
Conspicit in terris, uelamine carnis opertum,
Et gemit esse homini dominum uirtutisq; amicum.

COMMENTARII.

IAmq; Capharneæ. Docente Iesu in synagoga, quæ erat Capharnaum, agnoscēs illum dæmon uexabat hominem, iussus est à saluatore tacere. Ex Marc. cap. 4. & Luc. 4. Iniquus spiritus. Id est, dæmon. Infremuit, id est uociferatus est. Quid nobis & tibi, id est quid tibi commune nobiscum. Qui sis. quia es Christus. Semen dei, id est, te genitum à patre deo. Imperio terrente. Quia interminatus est illi Iesus, atq; imperauit, ut taceret, hoc est, ne se apud multitudinē proderet. Auras uacuas. Opinione uulgi quod uacuum appellat, illud quod non est plenum corpore solido. Fecit finem. Quia cum exclusione dæmonum exclusit quoq; morbos comitantes. Talem testem, scilicet improbum atq; mendacem. Olim, scilicet cum primum creatus est, antea quàm caderet. Amator mortis. Nō mortis simpliciter: sed eorum quæ mortem consequuntur. Anguis nocens. Qui sub anguis specie decipit mulierem. Illic. Id est, in cœlo ubi erat. Velamine carnis, id est sub specie humana. Gemit. Dolet ex eo quod hominū generi inuidet, atq; multo magis ex quo

tempore

tempore carnem nostram suscepit. Dominum uirtutis, id est tantæ potestatis.

DE MVTO ET SVRDO, QVI ad tactum manus Dominicæ, & locutus est, & audiuit.

Marc. 7.

DVmq; Tyri transgressus iter, Sydonia rursus
Arua leges, placidas dominus calcaret harenas
Curauit gemino miserum spiramine clausum
Qui uocem non ore dabat, non aure trahebat,
Sidereæq; manus ruptis penetralibus omnes
Attactu patuere fores, lætusq; repente
Audiriq; loquens meruitq; audire loquentes.

COMMENTARII.

DVmq; Tyri. Venit Iesus in Phœnicem, ubi mutum, eundemq; surdum sanitati restituit. Ex Marco cap. 7. Sidonia arua rursus. Quia supra dixerat, illum uenisse in fines Tyri et Sidonis. Clausum gemino spiramine, id est, habentē duo spiramenta clausa, hoc est, gutture faucibusq; per quas loquimur, & auribus quibus uocem trahimus. Non ore dabat. Loquendo. Non aure trahebat. Audiendo. Omnes fores patuere. Scilicet os atq; aures quæ sunt quasi quædam ianuæ. Attactu. id est, pulsatione. Manus sidereæ.

id est, Christi. Ruptis penetralibus, id est, claustris, hoc est, impedimentis.

DE CAECO IN CVIVS OCVLVM expuit dominus, et sanatus est.

Marc. 8. Luc. 19.

TV quoq; uirtutis sensisti munus herilis
Procumbens oculis, cuius in lumina Christus
Expuit, & speciem simulatæ mortis ademit.

COMMENTARII.

TV quoq;. In Bethsaida Galileæ ciuitate Dominus cæcum illuminauit expuendo in illius oculos. Ex Marc. cap. 8. Tu quoq; procumbens oculis, id est, cui oculi procubuerunt, hoc est, prociderunt. In lumine, id est in oculis. Mortis simulatæ. Quia cæcitas est mortis similitudo.

DE COPIA PISCIVM QVAE duas impleuit, domino iubente, nauiculas. Luc. 10.

HInc maiora docens populus cœlestia, uerum
Se reserat sermone Deum, turbasq; frequentes,
Quæ nimis irruerant, cupiens uitare parumper
Stagna petit, paruaq; sedens Simonis in alno,
Littore sistentem firmabat ab æquore plebem,
Et dictis iam finis erat, tunc altius actam

In pelagus

In pelagus iubet ire ratim, uastoq́; profundo
Retia demitti piscantia, quæ nihil omnem
Claudere per noctem uacuo potuere labore
Simon paret ouans, & aquosis gentibus instans
Linea claustra iacit, tantumq́; immanis apertos
Impleuit captura sinus, ut præda redundans
Turbaret geminas cumulato pisce carinas.
Nam socia istic puppis erat, sic maxima sæpe
Gaudia non ferimus, propensaq́; uota tenemus.
Quodq́; Deo facile est, homines optare nec audent.

COMMENTARII.

Hinc maiora. Iesus in nauiculam conscendit, unde populos docebat. Petrus uerò cũ rete in mare iecisset, nihilq́; cœpisset, iussus à Saluatore iterum iacere, magnam uim piscium extraxit. Ex Luc. cap. 5. *Nimis* .i. plures. *Stagna petit.* Scilicet Genesareth, qđ aliâs stagnũ Tyberiadis appellatur. *In Simonis alno.* Lege Simonis in alno, ut stet uersus: nã Simõ penultimã genitiui producit. Alnũ uerò pro nauicula posuit per metonymiã pro naui facta ex alno arbore. *Sistentẽ plebẽ,* id est stantẽ. *Firmabat.* Scilicet in fide suis sermonib. *Finis,* id est finierat sermonẽ. *Altius,* id est, in mare profundius. *Claudere,* id est, in rhete cludere. *Labore uacuo,* id est ocioso & uano. *Aquosis genti-*

bus

bus, id est, piscibus in aquis uiuentibus. Linea clau- *stra, id est, retia ex lino, quibus pisces clauderentur: nam claustrum à claudendo dicitur.* Immanis captu *ra, id est, maxima. Virgilius 6. Aeneid. Posuitq́; imma nia templa.* Sinus, *id est, Rhetis receptacula.* Tur- *baret. Nam tanta fuit pisciũ uis, ut nauiculæ penè mer gerentur. Nam ut dicit Euangelista, duæ erant illic.* Propensáq; uota, *id est, maxima, ut quod hic contigit de piscium in altitudine quod erat optandum, sed parũ abfuit quin onustæ nauiculæ mergerentur.*

DE SVSCITATO VNICO FILIO uiduæ matris. Luc. 7.

TAlibus insignis uirtutibus ibat in urbem,
Quæ sit dicta Naym, populo uallatus opimo
Et grege discipulum, miserum tunc cominus ecce
Conspicit afferri iuuenem, gelidumq́; cadauer,
Pluribus exequijs, & inani funere passum.
Triste ministerium, cuius sors inuida matrem
Iamdudum uiduam, gemina uiduauerat urna.
Nec remorata diu pietas, inimica doloris
Auxilium uitale tulit, tactoq́; feretro
Surge ait ò iuuenis, parensq́; in tempore dicto
Mortuus assurgit, residensq́; loquensq́; reuixit,
Atq; comes genetricis abit, nam funere torpens

Et

Et licet amissæ passus discrimina uitæ,
Non poterat famulus, domino clamante tacere,
Nec uita præsente mori, mox agmine uerso,
Deponens trepidum rediuiuo tramite luctum.
Candida felicem reuocauit pompa parentem.

COMMENTARII.

TAlibus insignis. Cum uenisset Iesus in ciuitatem Naym, uidit iuuenem efferri per portam qui maris misericordiæ permotus mortuum uitæ restituit. Ex Luca capite 7. Naym. Oppidũ est, distans à monte Tabor contra meridiem duobus milibus passuum. Eusebius & Hieronymus autores. Opimo populo. Id est, copioso. Grege discipulum. Pro discipulorum. Afferre cominus, id est, propè. Triste ministeriũ Hemistichium est Virg. 6. Aeneid. Sors inuida. Forma quæ uisa est inuidere mulieri. Gemina urna. Pruna in qua mariti cineres composuit, & altera nunc filij compositura erat. Pietas inimica doloris. Quæ nõ patitur miserum diu dolere. Parens dicto, id est, obediens. Virg. 1. Aenei. Paret amor dicto charæ genetricis. Adsurgit. Ad uerba loquentis surgit. aliâs adsurgere est ad uenientem honoris gratia surgere. Virg. 2. Georg. Tmolus adsurgit, quibus & rex ipse Phanæus Funere torpens, id est, motu & sensu carens. Ilicet. Fe

stus

stus. Sine dubio interpretatur. Virg. 2. Aeneid. Ilicet ignis edax. Vita *præsente, id est, Christo, qui est uia, ueritas & uita. Ioan. cap. 14.* Agmine *uerso. Scilicet domũ unde funus extulerant.* Reciduo tramite, *id est remenso.* Pompa deponens *luctum, id est, uestes lugubres.* Candida, *id est, sumptis uestibus candidis.* Reuocauit, *id est, reduxit.* Fœlicẽ. *Cui tantũ boni euenit.*

DE SEPTEM DAEMONIIS MAria iußione Dominica depulsus. *Lucæ* 8.

NEc tibi parua salus Domino medicãte Maria,
Multiplici læsum curauit uulnere sensum,
Quam fera septenis rabies inuaserat armis,
Dæmonico cuneata globo, sed squameus anguis
Imperiosa sacri fugiens miracula uerbi,
Corde tuo depulsus abit, uolucresq; per auras
In chaos infernæ lapsus penetrale gehennæ.
Septem ingens gyros septena uolumina traxit.

COMMENTARII.

NEc tibi. *Ex Marc. cap. 16. & Luc. cap. 8. quo pacto Saluator Magdalenam à septem demonibus curauit.* Non parua salus. *Imò magna, quippe quæ profecta est ab ipsa salute mũdi.* Multiplici uulnere, *id est septem animi pestibus, quas septẽ dæmones intulerant.*

intulerant. Quā inuaserat fera rabies cuneata. id est in cuneū instructa quasi militarem. Nam cuneus agminis cuneati formam habet. Globo dæmonico, id est, acie conglobata & condensata. Squammeus anguis. id est, dæmon, q sub serpentis specie hominem decepit. Miracula imperiosa, id est, imperiū mirabile. Verbi sacri, id est, Christi, qui est uerbū patris. Lapsus. Cadens siue descendēs. In chaos. Vbi nullus ordo, sed sempiternus est horror. Gehennæ infernæ. Hoc nomine saluator noster primus inferos appellauit, alioquin gehenna uallis Ennon interpretatur, quē locum Deus in libris Regum, et in Ieremia se impleturum cadaueribus minatur, atq; inde saluator noster allegoricos gehennam locum pœnarū quas mortui subibunt, pulchre uocat. Septem gyros. Ex Virg. 5. Aeneid. sumptus est hic uersus: Et per gyros & uolumina spiras intelligit.

DE MISSIONE SEPTVAGINTA duorū discipulorum. Luc. 10.

NEue redundantē cumulato germine messem.
Exiguis dominus sineret languere colonis
Discipulos alios quorum mens conscia recti
Puraq; simplicitas numero meritoq; refulgens
Aurea libra fuit, uelut agnos præcipit inter
Sanguineos properare lupos, assumite dicens

Iura poteſtatis, nullum timeatis ut hoſtem
Vipereasq; minas, & ſcorpion. atq; inimica
Omnia, uirtutis ſenſu calcate fideli.
Nulla meis famulis feritas aduerſa nocebit,
Nec tantum hoc gaudete uiri, quid ſpiritus ater
Subiaciat uobis, quantum quod nomina ueſtra
Scripſit in æterno cœleſtis litera libro,
Ius eſt quippe dei, uitam præponere factis,
Nam merito ceſſante bono, miracula nil ſunt,
Quæ faciunt plerunq; mali, quibus arbiter orbis
Neſcio uos dicturus erit, diſcedite cuncti
Artifices ſcelerum, rebus qui ſemper iniquis
Diuinum ſimulaſtis opus, ſic tempore Moſi
Carminibus quidam uanis Memphitis in oris,
Signa dabant non ſponte Dei, ſed imagine falſa,
Viſibus humanis magicas tribuere figuras.

COMMENTARII.

NEúe redundantem. Quo pacto Saluator dedit duodecim diſcipulis ſuis facultatẽ eijciendi dæmonia, & curandi morbos. Ex Matth. cap. 10. habes. Ne dominus ſineret meſſem redundantem, id eſt, copioſam. Ex eodem Matth. cap. 9. Meßis inquit multa, operarij uerò pauci, id eſt, multi ſunt ægroti, medici uerò pauci. Languere, id eſt ægrotare. Exiguis co-
lonis

lonis,id est.paucis operarijs:et metaphora ſumpta ab agricolis.Diſcipulos alios.Ordo et ſenſus eſt.Saluator præcipit alios diſcipulos properare,uelut agnos inter lupos ſanguineos,id eſt,cruentos,et tamē per parentheſim.Quorū fuit mens conſcia recti.i.iuſticiæ, et eſt he miſtichium Vergilij ex 1.Aen .Et quorū fuit pura ſimplicitas , id eſt , non ſtolida aut ſubdola , & quorū fuit libra aurea,aut ſtatera:per quam ſignificatur iuſticia,aut pondus duodecim unciarū , ut referatur ad numerum Apoſtolorū.Refulgens dixit:quia aurea.Dicens diſcipulis,quos mittebat:aſſumite,&c.Senſu uirtutis fideli. Quia hæc poteſtas non poteſt niſi ex uirtute fidei prouenire. Scorpionum inimica uenena. Vt ſtet uerſus,lege.Et ſcorpij inimica uenena.Feritas, id eſt ferarum ſæuitia.Nec tantum.Hoc ex Luca.cap. 10 Sumptum eſt : ubi dicitur.Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes,& ſcorpiones,& ſuper omnem uirtutem inimici:& nihil uobis nocebit, ueruntamen in hoc nolite gaudere,quia ſpiritus uobis ſubijciantur,gaudete autē quod nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis.Spiritus ater.Diabolus.Aeterno libro.i. in libro uitæ,de quo Apoc.cap.21.Non intrabunt:niſi qui ſcripti ſunt in libro uitæ.Ius Dei,id eſt,lex diuina præcipit.Præponere uitā factis,i.uitæ innocētiā miraculis

Ex Matth. cap. 7. Multi dicent in illa die: Domine, domine in nomine tuo dæmonia eiecimus, et tunc confitebor illis, quia non noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Bono merito, id est, bonis operibus. Faciunt plerunq; mali, sicut Pharaonis sapientes qui per incantationes & ipsi fecerunt miracula. Exo. 7. Arbiter orbis, id est, mundi opifex idemq; iudex. Nescio uos. Ex Matth. ut diximus cap. 7. Tempore Mose Varijs modis declinatur: sed hic per primam græcam nostramq; declinationẽ. Moses Mosæ. Sicut Anchises Anchisæ. Carminibus uarijs incantationibus. Verg. Carmina uel cœlo possunt deducere lunam. Quidam sapientes, ut diximus Pharaonis. In oris Memphitis id est, in terra Memphitide, id est, Aegyptia ubi fiebant ea miracula: nam Memphis ciuitas est Aegypti non longe à Babylone Aegyptia, quæ nunc Cayrus dicitur. Sponte dei, id est, permißione diuina. Sed imagine falsa: quia illi non erant ueri serpentes, sed apparentes uisui hominum.

DE HYDROPICO SABBATIS IN domo Pharisæi domino iubente *sanato. Luc. 14.*

POst Phariseorum cuiusdam principis intrat
Clarificare domum, non escam sumere tantum

Ad

Ad quam tunc facili conuenerat ille precatu,
Hic homo perspicuo distentus uentre tumebat
Plenus aquis grauidamq; cutem suspenderat aluus
Inclusam paritura necem, iam membra fluebant
Accrescente sinu, miserosq; infusa per artus
Turgida perflatum macies tenuauerat ægrum,
Inq; uteri spacium totus conuenerat hydrops
Non tulit hanc speciem mundi Pater, & sua transit
Sabbata non curans, hominem curare paratus
Quem uoluit magis esse suum: nam sabbata propter
Condita sunt hominem, non est homo sabbata propter
Tunc pius humentem siccata corporis unda
Iussit abire luem, fluidus mox uiscera morbus
Deserit & uacuæ resident in pectore fibræ
Carnalemq; lacum, pestis lymphata reliquit.

POst Phariseorum. Quomodo in domo principis pharisęorum die sabbati curauit hydropicũ. Ex xij. Luc. cap. 14. Clarificare. Illustrare, quia locus ubi aliquod miraculũ fit, efficitur illustris. Ad quã domũ siue escã, hoc est, conuiuiũ. Facili precatu, quia facilius saluator precibus dabat locũ. Homo distentus. i. nõ modo plenus, sed refertus. Aluus suspenderat cutẽ. Grauidam subaudi aqua. i. uenter ipse suspensus est ex nimio tumore, quale est illud Persij. Pinguis aqualiculus pro penso sesquipede extat. Commenta

 Paritura

Paritura necem,id eſt,mortem allatura.Et macies infuſa per artus,quia creſcente aluo decreſcunt membra reliqua,et eſt hemiſtichiū Verg.ex 6 lib. Aen. Totosq; infuſa per artus.Mens agitat molem. Totus hydrops, id eſt,humor ille aqueus.Non tulit hanc ſpeciē. i.hanc rei indignitatem,& eſt Ver.2.Aen.Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorembus.Mundi pater .i. creator.Tranſit,id eſt,profanat,tranſgrediturq;.Sua ſabbata.Nā in Exodo & in Leuitico ſua ſabbata frequenter appellat.Non curans.Repete iterum ſabbata. Magis ſuū.Subaudi quàm ſabbata.Propter hominem. Vt tali die ceſſaret à labore,& uacaret diuinis. Luem humentē.i. peſtem illam ex nimio humore prouenientem Morbus fluidus.Ad aquæ naturā rettulit.Fibræ.i.uenæ tenues per quas labitur humor.Reſident,id eſt,contrahunt cum antea prominerent. Peſtis lymphata, id eſt, aquæ. Lacum carnalemq;. Nam tres hydropis ſpecies ſunt: tympanitis, aſcitis, hypoſarcea, de qua nunc loquitur,unde ſubcarnea interpretatur.

DE DECEM LEPROSIS DOminica iuſsione mundatis. Lucæ. 17

COeperat interea dominus Galilæa per arua
Tranſgrediēs ſancto qādā pede tangere caſtrū

Hunc

Hunc procul ut uidere decem maculosa gerentes
Leprosi portenta uiri, quos corpore fœdo
Discolor obscenis turpabat pœna figuris,
Præceptor miserere potes, namq; omnia Iesu
Clamantes dixere simul, tunc flexa potestas
Quæ nunquàm pietate uacat, clementior infit:
Ite sacerdotum conspectibus ora referte,

COMMENTARII.

COeperat. Quod ingrediens in quoddam castellum occurrerunt ei decem uiri leprosi, &c. Ex Luca cap. 17. Gerentes portenta maculosa, id est, lepras uarijs coloris. Vnde subdit pœna discolor, id est, morbus unde in Leuitico genera leprarum ex colore distinguuntur. Potestas, id est, Christus qui est patris brachium per quem operatur, & cui data est omnis potestas. Matth. ultimo. Infit, dicit.

Vnius ex decem gratitudo.

CVmq; uiam peterent subito mundata uicißim
Mirantur sua membra uiri, uariumq; tuentes
Esse nihil sese pariter speculantur, & omnes
Explorat proprias alterno lumine formas
Ex quibus ut grates agerent pro munere tanto
Vix unus reduci conuersus tramite, pronus
Sternitur ad terram, dominum uirtutis adorans,

Atq; sacerdoti uero sua protulit ora,
Deniq; pontificum princeps, summusq́; sacerdos
Quis nisi Christus adest, gemini libaminis autor
Ordine Melchisedech, cui dantur munera semper
Quæ sua sunt, segetis fructus & gaudia uitis.

COMMENTARII.

CVmq; uiam.] Ex eodē argumēto sumpto ex eodem Euangelista. Nihil uariū, Vt supra diximus uarij coloris: sed omnia erāt unicoloria. Alterno lumine, id est, alternatim se aspiciētes oculis. Reduci tramite, id est, uia illò reducēte, actiue alioq passionem significat, ut Virg. 1. Aene. Nanq; tibi reduces socios classemq́; relatā. Dominū uirtutis. Scilicet ad miracula facienda. Vero sacerdoti. Nā qui præcesserūt figurati erāt, puta Melchisedech et Aaron. Pontificū princeps. Idē est quod summus sacerdos, adest, pro est, hoc est cōpositum pro simplici. Autor gemini libaminis, id est, institutor sacrificij, cuius materia duplex est panis: uidelicet uinūq;. Munera, id est, sacrificia. Ordine Melchisedech. Ex Psal. 109. Tu es sacerdos in &c

Quæ sua sunt. Si igitur sua sunt, non dantur, sed redduntur. Fructus segetis, id est, panis. Et gaudia uitis, id est, uinum quod lætificat cor hominis. Ex Psalmo. 103.

DE

DE CAECO TYMAEI FILIO IMportunitate clamoris illuminato. Marc. 10. Luc. 18.

CVm residens cæcus Tymæi filius illud
Propter iter, dominũ per quod cognouerat ire
Vociferans crebro lumen clamore petisset,
Nec populo prohibente tacens, accedere iussus
Ad dominum, palpante manu uisumq́; recepit.
Et nullo docente redit, quàm fortiter instat
Importuna fides, quicquid res dura negârit
Sola frequens uotis oratio præstat honestis.

DE EO QVOD TRES AB INItio panes noctis silentio clamans importune extorsit. Lucæ. 11.

VNanimem panem sic ille petebat amicum
Qui foribus clausis per opaca silentia noctis
Obnixeq́; diu confidenterq́; neganti,
Vocibus aßiduis precibusq́; extorsit anhelis.

COMMENTARII.

CVm residẽs.] Quomodo restituit integritati luminis Timæi filiũ à natali cæcũ. Ex Luc. ca. 18 Propter illud iter. i. iuxta illud iter. Virg. in Buc. Propter aquæ riuũ uiridi procumbit in ulua. & est ordo,

cum uociferans, neq; tacens populo prohibente illum clamare. Palpante manu, id est, per tenebras explorante. Nullo docente, id est iter, per quod domum rediret, monstrante. Fides. Qualis fuit in cæco. Res dura, id est, difficultas. Sic Virgilius 1. Aeneid. Res dura & regni nouitas. Votis honestis. Nõ improbis, qualia sunt eorũ qui petunt bona fortunæ. Vnanimum amicum. Ex Luca capite 11. Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte &c. Per opaca silentia noctis, id est per noctem silentem & opacam. Precibus anhelis, id est, laboriosis.

DE SAMARITANA QVAE AQVAM dare dubitans peritura, agnoscẽs sua Domino pandente commissa, postulat sempiternã. Ioan. 4.

PRæteriensq; uiæ dominus loca Samaritanæ
Humanam flagrante sitim collegerat æstu
Fonsq; perennis aquæ, modicam desiderat undam
Vt biberet, quia corpus erat, tunc accola gentis
Stans mulier, daruum puteo quæ traxerat haustum.
Cum dare cunctatur perituræ munera lymphæ.
Agnoscens propriam numeroso coniuge uitam,
Orat inexhausti tribui sibi dona fluenti
Aeternam positura sitim, qua nemo carere

Dignus

Dignus erit domini, nisi mersus iurgite Christi
Percipiat placidas animæ, non corporis undas.

COMMENTARII.

Præteriens. Quod Saluator cum iter faceret per Samariam, atq; ex uia fessus ad puteum collecta siti sederet, cum muliere Samaritide collocutus est multa. Ex Ioan, cap. 4 Humanam sitim, id est qua parte homo erat, unde languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Esa. 53. Fons perennis aquæ de quo Psalmo 35. Apud te est fons uitæ. Et Esaiæ 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Qua corpus erat, id est homo corporeus. Tunc accolla gentis, quid si legas incola. Paruum haustum, id est, breuem urnam. Lymphæ perituræ, Non qualis illa de qua Saluator tunc dixit. Fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Numeroso coniuge. Quippe quæ uiris quinq; nupserat. Fluenti inexhausti, id est, fluminis perennis. Gurgite Christi, id est, baptismate spiritussancti. Animæ. Quoniam ex anima lauatur. Non corporis. Quoniã effectus sacramenti non corpore, sed anima terminatur.

DE CVLPA MVLIERIS IN ADVLterio deprehensæ, sub conditione ulterius non peccandi soluta. Ioan. 8.

Dvmq́; sui residens media testudine templi
Ore tonans patrio, directi ad peruia callis
Errantem populum monitis conuertit amicis,
Ecce trahebatur magna stipante caterua
Turpis adulterij mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisæa manus placido sub iudice sistens
Cum damnare parat, plus liberat, omnibus illis
Nam simul è turbis, proprio sine crimine nullus
Accusator erat, saxum qui mißile primus
Sumeret obscœnæ feriens contagia mœchæ
Nec poterat quisquàm festucam uellere paruam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret inesse trabem, profugus sic ille receßit
Impetus, & clemens donat sententia culpam.
Iam non peccandi sub conditione solutam
Nam uomitum quicunq; suum canis ore relambit.
Nec ueterem studet hic ueniam, nec habere futuram,
Huius damna tenens, huius compendia perdens.

COMMENTARII.

Dvmq́; sui.] Quo pacto mulierem adulterã Saluator absoluit. Ex Ioanne capite 8. Dumq́; residens. Subaudi Saluator. Media testitudine templi. Ex Virgilio 1. Aeneid. Tum foribus diuæ media testudine templi. Sui, id est, sibi dicati. Ore tonans

patris

patris Quia ipse uerbum patris est. Ecce trahebatur. Versus est cōpositus ex duobus hemistichijs Virgilianis. primum ex 2. Aeneid. Ecce trahebatur passis Priameia uirgo. Alterum ex 1. Aeneid. Magna iuuenū stipante caterua. Lapidanda. Ex lege Mosis Leui. ca. 20. Sistens. Statuens. Omnibus illis: quia illorū comparatiōe mulier iustior est inuēta. Saxū missile, id est mittendū. Feriens contagia mœchæ, id est, mœcham, quæ malo exemplo aliarū peccauit. Festucā paruam. Ex Matth. cap. 7. Quid uides festucā in oculo fratris tui, et trabē in oculo tuo nō uides. Quisq̄ illorū accusatorum. Vellere festucam, id est, damnare peccatū leue. In proprio lumine, id est oculo suo. Grandē trabē, id est maius peccatū. Impetus, id est, Pharisæorū furibundus conatus. Clemēs sentētia. i. clementis iudicis censura. Donat culpā, id est, remittit peccatū. Sub cōditione. Nam mulieri Saluator dixit: Vade, & iam amplius noli peccare. Nā uomitū. Hoc sumptū est ex Prouerb. ca. 26. Sicut canis inquit q̄ reuertitur ad uomitum suū: sic imprudēs qui iterat stultitiā suam. Canis ore, id est, ad morē canis. Veterē ueniā. Quoniam illam perdit, & non est dignus uenia futura si peccauerit. Damna huius, id est, ueniæ præteritæ. Perdens compendia huius, id est, futuræ ueniæ, & po

suit

ſuit compendia pro utili & commoda re, ſicut diſpen dia, ſunt detrimenta.

DE ILLVMINATIONE CAECI NATI & ipſius myſterio facti.

Ioan. 9.

INde means genitum cernit conſidere cæcum
Qui male prægnantis dilapſus uentre parentis
In lucem ſine luce ruit, tunc ſanguinis ille
Conditor humani, mundiq́; orientis origo
Imperfecta diu proprij non paſſus haberi
Membra operis, natale lutum per clauſtra genarum
Illiniens, hominem de ueteri ſemine ſupplet,
Nec uiſum tamen ante capit, quàm uoce iubentis
Accepta domini Syloam ueniſſet ad undam.
Et conſanguinei uotus medicamina limi
Pura oculos fouiſſet aqua, mox ergo gemellæ
Vultibus effulgent acies, tandemq́; merentur
Ignotum ſpectare diem, cognoſcite cuncti
Myſtica quid doceant animos miracula noſtros.
Cæca ſumus proles miſeræ de fœtibus Euæ
Portantes longo natas errore tenebras
Sed dignante Deo, mortalem ſumere formam
Tegminis humani, facta eſt de uirgine nobis
Terra ſalutaris, quæ fontibus oblita ſacris,

Clara

Clara renaſcentis reſerat ſpiramina lucis.

COMMENTARII.

INde means. Quomodo Saluator cæcum, à die genituræ ſuæ reſtituit luci. Ex Ioanne cap. 9. Inde, id eſt, à templo ubi cum Phariſæis diſputauit. Genitum cæcum, id eſt, natum. Male dilapſus, id eſt, infeliciter ortus. In lucem, ſiue luce, id eſt, in hanc uitalem auram ſiue lumine oculorum. Conditor ſanguinis humani, id eſt, generis. Virgilius. Nec puerum noſtri generis, nec ſanguinis edunt. Origo, id eſt, principium. Membra imperfecta, id eſt, orbata lumina. Proprij operis, id eſt, hominis quem creauit. Natale lutum, id eſt, connaturale, quia homo ex luto factus eſt. Vnde & Adam dictus ab Adama, quod ex Hebræo terra interpretatur. Per clauſtra generum, id eſt, palpebrarum, quæ ſunt quaſi ianuæ oculorum. Suplet, id eſt, quod deeſt apponit. De ſemine ueteri, id eſt ex materia de qua primum creatus eſt. Ad undam Siloam. Vade inquit Dominus, & laua in natatoria Siloë: & ſubdit Euangeliſta, quod interpretatur miſſus. Limi conſanguinei, id eſt eiuſdem naturæ, ut dixit. Fouiſſet, id eſt, recreaſſet lauiſſetq;. Gemellæ acies, id eſt, orbes oculorum pares. Effulgent uultibus, id eſt, in facie ſplendent. Ignotum diem, id eſt, ſolem quem nunquam

quàm uiderāt. Cognoſcite cuncti. Ad cognoſcendam allegoriam hortatur. Nam per cæcum intelligimus genus humanum, quod iam inde ab initio mundi tenebris inuolutum à uia recta declinauit. Sed dignante Deo. Quando uenit plenitudo temporis, cum miſit deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret. Ad Gal. cap. 4.

Teguminis humani. Ad Philippenſes cap. 2. In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit ſemetipſum. Terra ſalutaris, id eſt, Christi humanitas, quæ ſalutem attulit toti generi humano. Abluta fontibus ſacris, id eſt, baptiſmate, à peccato originali mundata, non in Chriſto, ſed in nobis qui cum illo ſumus unum corpus myſticum. Referat ſpiramina clara, id eſt, feneſtras aperit. Lucis renaſcentis, id eſt, ex cecitate reſtitutæ.

DE LAZARO QVADRIDVANO mortuo ſuſcitato. Ioan. 11.

BEthaniæq; ſolum repetens, intrarat, ibiq;
Lazarus occidua tumulatus ſorte iacebat.
Iam quarto ſine luce die, clauſusq; ſepulchri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem,
Flebant germanæ, flebat populatim præſens,
Flebat & omnipotens, ſed corpore non deitate,

Exani-

Exanimesq; artus, illa pro parte dolebat
Qua moriturus erat, lachrymisq; impleuit amicum
Maiestate deum: quid credere Martha mcraris
Quidue Maria gemis, Christum dubitatis, an unum
Possit ab infernis hominem reuocare cauernis?
Qui dabit innumeras post funera surgere turbas,
Ergo ubi clamantis domini sonuit tuba dicens:
Lazare perge foras, magno concussa pauore
Tartara dissiliunt, Erebi patuere recessus,
Et tremuit lethale chaos, mortisq; profundæ
Lex perit, atq; anima proprias repetente medullas
Cernitur ante oculos uiuens astare cadauer.
Postq; sepulchralem tanquàm recreatus honorem
Ipse sibi moriens, & posthumus extat & hæres.

COMMENTARII.

Bethaniæq; solum.] Quo pacto precibus sororum permotus Iesus Lazarum ex quadriduo mortuum uitæ restituit. Ex Ioanne capite undecimo. Bethaniæ solum. Villa siue potius uicus erat Lazari sororumque eius secundo à Hierosolymis miliario montis Oliueti, autor Eusebius. Occidua sorte. Quia statutum est hominibus semel mori. Sepulchri marmore, id est, marmoreo sepulchro. Exhalabat. Spirabat. Populatio præsens, id est, Iudæi qui

qui uenerant ut sorores consolarentur, & posuit im= proprie populationem pro populo. Sed corpore, id est, qua erat homo, non qua deus erat. Artus exani mes, Id est Lazarum mortuum. Dolebat illa pro par te. Scilicet humanitate, quam assumpsit. Impleuit a= micum, id est, sparsit Lazarum quem amabat. Quid moraris credere. Nam uidebatur subdubitare, cũ Chri sto pollicenti fratris suscitationẽ, respondit: Scio quod resurget in nouißimo die. Quid úe Maria gemis. Prostrata ad pedes Saluatoris. Dubitatis, deest par ticula interroganti ne uel an: ut sit sensus, an dubitatis quod Christus &c. Tuba. Quia uoce magna clama uit: Lazare ueni foras. Tartara dißiliunt, id est, inferi dehiscunt. Erebi recessus, id est, inferorum penetra- lia. Lœthale chaos, id est, mortis locus. Lex perit. Quia contra legem mortis Lazarus ab inferis est re- uocatus. Medullas, id est, corporis loca ubi est ani mæ sedes. Cadauer uiuens. Non quòd cadauer uiuat, sed quod cadauer quod fuerat mortuum, nunc uiuit ho mo. Post honorem sepulchralem, id est, post exequias in honorem defuncto peractas. Ipse sibi ordo est. Mo riẽs recreatus extat sibi posthumus & heres, id est, si- bi ipsi successor & superstes: nam posthumus est, qui mortuo patre nascitur. Extat, id est, permanet.

DE SES-

DE SESSIONE ASELLI, ET DE turbis deum laudantibus. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

VTq́; caduca uagi contemnens culmina ſecli,
Monſtraret ſe rite Deum, non curribus altis
(Qui pompæ mortalis honor) rapidisq́; quadrigis
Puluerium ſulcauit iter, nec terga frementis
Ardua preßit equi, faleris qui pictus & oſtro
Ore cruentatum mandendo concutit aurum.
Sed lento potius geſtamine uilis aſelli
Rectori ſuffecit honos; leuis ungula cuius
Vt tanto ſeſſore decus mirabile portans,
Nobilior ſub faſce foret, non illius impar
Qui patulo Chriſtum licet in præſepe iacentem
Agnouit tamen eſſe Deum, plebs omnis adorans
Inſolito molles ſubiecit tramite ueſtes,
Dicite gentiles populi cui gloria regi
Talis in orbe fuit, cui palmis compta uel unquàm
Frondibus arboreis, laudem cœleſtibus hymnis
Obuia turba dedit, domino niſi cum patre Chriſto,
Qui regit æthereum princeps in principe regnum
Cui ſanctus ſemper conregnat ſpiritus æque

COMMENTARII.

VTq́; caduca. Quod Ieſus Lazaro ſuſcitato uenit

Hierosolymas, ubi magnifice fuit susceptus ac clamantibus cunctis: Osanna filio Dauid. Ex Matth. ca. 21 et Ioan. cap. 12. Vtq; caduca. Ordo est, ut Christus monstraret se deum, non sulcauit iter puluereum equo sed asello parui præcij, &c. Contemnens culmina, id est, superbiã. Secli uagi, id est, fluctuantis in hoc magno mari & spacioso. Monstraret se deum, contemnendo ea quæ ab hominibus magni æstimantur. Curribus altis more triumphantium. Quadrigis rapidis, id est, quatuor equis sub curru iunctis. Iter puluereum. Quia puluis excitatur equorum cursu. Equi frementis, hinnientis. Verg. 1 Georg. Tuq; ô cui prima frementem fudit equum. Pictus & ostro, id est, stragulo purpureo. Et est Vergilij 4 Aen. Ostroq; insignis & auro. Stat sonipes & frena ferox spumantia mandit. Lento gestamine. Quia asinus ingressu lentus est. Verg. 1 Georg. Tardi costas agitatur aselli. Rectori. Sessori. Leuis ungula. Atqui asellus ut dixit tardus est, quomodo igitur nunc leuis dicitur, sed posuit leuis pro uilis ut supra. Foret nobilior sub fasce, id est, quod gestatio illa Christi honorifica esset ipsi asino uehenti. Fascem uerò posuit pro onere. Verg. in Bucco. Ego hoc te fasce leuabo. Non illius, scilicet, asini, alluditq; ad illud Esaiæ cap. 1. Cognouit bos possessorem suum. & asinus

asinus præsepe domini sui, quod est adimpletum in eo quod scribit euangelista, quod reclinauit Iesum recens natum in præsepio, quia non erat locus in diuersorio.

Qui peratulo in præsepe. Lego patula, ut stet ratio Grammaticæ, nam hæc præsepis dicitur: ut apud Catonem & Varronem sæpe. Insolito tramite, id est, insueto: quia nunquam tale aliquid est factum, in honorem hominis mortalis. Cui regi. Ac si dicat nulli. Cui sub regi. Turba compta, id est, ornata siue coronata palmis uel frondibus arboreis. Obuia. In occursum procedens. Dedit laudem hymnis cœlestibus, id est, soli deo debitis: ac si dicat. Nulli nisi Christo domino nostro per redemptionem. Cum patre. Cui æquus datur honos. Qui princeps, scilicet, pater. Regit regnum æthereum. In principe, id est, in filio per quem omnia creauit & in quo omnia moderatur ipso dicente: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

COELII SEDVLII

MIRABILIVM DIVINORVM LIBER V.

DE EO QVOD PROPINQVANTE Pascha exclamante domino: Pater clarifica nomen tuum. Paterna ei sit cœlitus uoce responsum. Ioan. 11 & 12.

HAS inter uirtutis opes, iam proxima Paschæ
Cœperat esse dies, domini cum gloria uellet
Ponere mortalem, uiuamq; resumere carnem
Non aliam, sed rursus eam quam munere plenam
Lucis, ab infernis releuans ad sidera duxit,
Exclamansq; palam Pater ista memet in hora
Saluifica, sed in hanc ideò ueni tamen horam
Clarifica nomenq; tuum per magnaq; cœlo
Vox resonans uenit per nubila: clarificaui
Clarificabo iterum, quid apertius est, patre teste,
Cœlo assertore. Ac nec sic cognoscere Christum
Gens uoluit Iudæa Deum, pars esse ferebat
Hoc tonitrum, pars angelicam crepuisse loquelam,
O gens cæca oculis, ô gens durissima corde.
Nam tonitrus potuit Christum, siue angelus ullus,
Autorem

Autorem generasse suum, qui nomine Patris
Audito responsa daret, sed ab ore tonantis
Natum agnoscentis, populus quo crederet astans
Vox emissa suo respondit consona uerbo

COMMENTARII.

HAs inter uirtutis. Quod ante sex dies paschæ quo tempore habitu triumphali intrauit Hierosolymas adstantibus discipulis & alijs ex populo Iesu dicente. Pater clarifica me: ex hac hora uenit uox de cœlo dicens: & clarificaui & iterum clarificabo Ex Ioanne cap. 12. Inter uirtutis opes, id est, diuinæ potentiæ miracula. Domini gloria, id est, dominus ut ita dixerim gloriosus. Carnem mortalem, id est, hominem moriturum. Viuam, id est, immortalem post resurrectionem. Non aliam. Sed eandem numero quale est illud Iob. Quem uisurus sum ego ipse & non alius. Ideò subdit. Sed eam quam plenam munere, id est, locupletatam inferorum spolijs. Duxit ad sidera. Cum post resurrectionem cœlos ascendit

A lucis infernis. Non quod apud inferos sint arbores, sed allusit ad etymon nominis quo per κατὰ ἀντίφρασιν dicitur lucus, quasi luce carens. Verg. 6. Aen. Lucis habitamus opacis. Cœlo assertore .i. uoce de cœlo descendere, et iunxit genus masculinū neutro

ſicut illud tempus repertor. Suũ autorem, id eſt, conditorem omniũ rerum. Nomine patris. Scilicet cum filius illum patrem uocauit. Suo uerbo, id eſt, filio.

DE HVMILITATIS EXEMPLO quo pedes ſeruorũ dominus *lauans, nec Iudam excepit traditorem. Ioann. 13.*

ANnua tunc ſacræ celebrãs per munera cœnæ
Paſchales ex more dapes, humilemq́; miniſtrũ
Se faciens, & grata ſuis exempla relinquens
Aſſurgit famulisq́; libens famulatur, & omnem
Linteolo accinctus tantum inclinauit honorem,
Diſcipulis ut ſponte lauans ueſtigia cunctis,
Nec Iudam exciperet, quem proditionis iniquæ
Nouerat autorem, ſed nil tibi gloria ſæue
Traditor illa dabat pedibus conſiſtere nudis
Qui ſenſu pollutus eras, uelut omne ſepulchrum
Exteriora gerens albæ uelamina formæ,
Sordibus interius fœdoq́; cadauere plenum.

COMMENTARII.

ANnua tũc ſacræ.] *Quòd Ieſus à cœna ſurgẽs depoſuit ueſtes, & accepto lintheo miſit aquã in peluim et cœpit lauare pedes diſcipulorum.* Ex Ioanne cap. 13. *Celebrãs. Scilicet Chriſtus cũ diſcipulis ſuis.*

suis. Paschales dapes, id est, agnum illum paschalem. Ex more iuxta legis præceptum. Exod. 12. Per officia annua. Quia phase quotannis celebrabatur. Assurgit. A cœna surgit. Tantum honorem. Quamuis erat Christi dei hominisq;. Nec Iudam: Quia et ipsi pedes quoq; lauit. Illa gloria. Quod Christus tibi pedes lauerit. Nil dabat. Pro non dabat. Sensu. Mente Velut omne sepulchrum. Ex eo quod Saluator comparat hypocritas sepulchris à parie exteriori depictis ab interiore scatentibus uermibus.

DE CONSECRATIONE PANIS ET uini, & proditore tincti panis porrectione monstrato, quem dicit melius fuisse non nasci.

Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioannis. 13.

NEc dominum latuere doli, sceirlisq; futuri
Prodidit autorem, panem cui tradidit ipse
Qui panis tradendus erat, nam corporis atq;
Sanguinis ille sui postquàm duo munera sanxit,
Atq; cibum, potumq; dedit quo perpete nunquàm
Esuriant, sitiantq; animæ sine labe fideles
Protinus in Iudam sedes ubi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus, armaq; sumens

In dominum seruile dedit consurgere bellum.
Pactus grande nefas parua mercede: neq; illi.
Culpa datur precio, sed inhærent crimina facto
Tantundem sceleris, terdena numismata sumens
Argenti, paruo cæcatus munere gessit.
Quantum cuncta simul terrarum regna, marisq;
Diuitias, omnemq; nagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat: neq; enim bona mundi
Sufficerent, magno fuso pro sanguine Christi.
Qui pater est mundi, qui fecerat hunc quoq; nasci.
Atq; utinam sterili damnatus matre nequisset
Natalem sentire diem, nec luminis huius
Hausisset placidas flabris uitalibus auras
Aeterno torpore latens, miseroq; fuisset
Sors melior nescire datam, quàm perdere uitam.
Aut male fusus humo, confestim munera lucis
Perderet, ut puluis quem uentus proijcit ingens
A facie terræ, rapidisq; uolatibus actus
Spergitur in uacuas nebulis obscurior umbras.

INVECTIO IN IVDAM, QVOD dux & signifer armatorum signo tradidit.

TV ne cruenta, ferox, audax, insane, rebellis
Perfide, crudelis, fallax, uenalis, inique,

Tardi/

Traditor immitis, ferè proditor, impie latro,
Preuius horribiles comitaris signifer enses,
Sacrilegamq́; aciem, gladijs, sudibusq́; minacem
Commoueas, ori ora premis, melleq́; uenenumq́;
Inseris, & blanda dominum sub imagine prodis,
Quid socium similas, & amica fraude salutas,
Nunquid terribiles aut pax coniurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno.

COMMENTARII.

NEc dominum.] Quod Iesus discipulis suis dicens, quòd unus ex illis esset eum traditurus, seq́; inuicem aspicerent: Ioannes admonitus à Petro recumbens supra pectus domini, accepit responsum. Ille inquit est: cui ego panem intinctum porrexero. Ex Ioanne cap. 13. Deinde autor inuehitur in proditorem.

Latuere doli. Virg. 1. Aeneid. Nec latuere doli fratrem Iunonis & iræ. Prodidit autorem, id est, Ioanni releuauit illũ esse cui panẽ esset porrecturus. Panis tradẽdus. Ego sum inquit panis uiuus, qui de cœlo descendit. Duo munera sanxit, id est, statuit hoc sacramentũ sub materia panis & uini. Quo perpete. i. continuato illo cibo & potu, nam perpes siue perpetuum significat aliquid continuatum. Fideles sine labe, id est, sine peccato. Protinus in Iudam. Ait namq; Euan

gelista. Et cum accepisset bucellam: introiuit in eum sathanas. Liuor habebat sedes, id est, habitabat inuidia, quæ fuit illum prodendi causa. Arma sumens in dominum, id est, cōsilia rebellandi & desciscendi à domino. Virg. 2. Aeneid. Et quærere conscius arma. Bellum seruile. Quod serui mouent contra dominos, qualia fuerunt multa apud Romanos. Illi precio scilicet paruo. Quia nō in precij quātitate est culpa, sed in facto. Tantundē sceleris. Ordo est. sumens terdena numismata argenti, id est, triginta argēteos, cœcatus paruo munere. tantundē sceleris gessit, quantū gesturus erat si caperet cuncta regna &c. Aethrā, id est, ætherē aliâs ætheris est splendor. Sufficerent. Scilicet ad emptionem. Qui pater est mundi, id est, creator. Hūc nasci, id est, per quem & in quo est creatus. Atq; utinam sterili. Ex eo sumptū est quod Euangelista scribit Christū dixisse de proditore. Væ homini illi per quē filius hominis tradetur, bonū erat ei, si natus nō fuisset homo ille sterili matre, id est, quod genitus non fuisset sed quomodo damnatus si nō est, nimirum: quia hoc ipsum nō fuisset malum, quod ille postea designauit, ut ille apud Ciceronem in Tusculanis argumentatur.

Nec luminis huius. Ex Vergilio 1. Aeneid. Auras uitales carpis. Flabris uitalibus. Scilicet spiritibus af-

flando

flando dictis in quibus est hominis uita. Torpore, id est, motus & sensus priuatione. Sors melior. Idem sed alijs uerbis dicit. Aut male fusus, id est, infeliciter natus, in terra positus ex antiquorum consuetudine, qua recens nati in terra sistebantur, et tamen leuabantur, unde est dea Leuana. Augustino in 4. de ciuitate.

Vt uentus. Ex Psalmo 1. accepta est hæc comparatio. Actus. Excitatus & commotus. Volatibus rapidis, id est, uolucribus uentis. Obscurior umbris. Ob pulueris spißitudinem. In uacuas nebulas. In aëris inanitatem, in qua nebulæ consistunt. Tu ne cruente. Acerbe inuehitur in proditorem appellans illum multis infamiæ nominibus. Præuius comitaris. At contraria sunt, præire & comitari: sed stare possunt simul diuersis rationibus: nam quia præcedit ducens alios esse præuius, quia iungit se Centurioni est comes Ore ora præmis, id est, oscularis. Sub imagine blanda, Sub osculo quod est signum pacis. Pax nõ coniurat in enses, id est, nunq̃ pax & bellum possunt stare simul. Porrigit oscula. Sed aperta fronte adoritur.

QVOD TRADITVS ABSCISAM auriculam dominus tangendo reddiderit seruo. Marc. 9. Luc. 22. Ioann. 18.

Tardia

TRaditus ergo uiris operator sanctus iniquis
Consuetam non liquit, opem, pueroq; reuulsam
Ense Petri (ne qua pius à pietate uacaret)
Reddidit auriculam, nec enim uindicta tonanti
Conueniens humana fuit, qui milia patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere pœnas
De meritis, quàm sponte suas ignoscere plagas.
Tunc parci mucrone iubet, quia uenerat ipse
Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquàm.

COMMENTARII.

TRaditus.] Quod Petrus amputauit auriculam uni ex Satellitibus nomine Malcho, quam Iesus illi restituit &c. Ex Matth. cap. 26. Consuetā opem. Quia semper miseris opitulari consueuit. Puero, Id est, seruo principis sacerdotū: nam puer pro seruo frequenter accipitur etiam in sacris literis. Vindicta humana, id est, more hominum expetita. Quia milia. Ordo est, qui posset patrem poscere dari sibi duodena milia legiones angelicas, ex corrupta loquendi consuetudine pro duodecim legiones millenos milites continentes, aut ternos millenos. Ponere animam. Quod solus Christus potuit facere. Iuxta illud Ioannis cap. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.

DE

DE PRAEDICTIONE QVOD PEtrus ante galli cantũ ter esset Dominum negaturus.

IAmq; Petro clara iamdudum uoce fatenti
Cum domino se uelle mori, prius aliger, inquit:
Quàm gallus cantet, hac me ter nocte negabis,
Non reprobando fidem, sed prædicendo timorem.

COMMENTARII.

IAmq; Petro.] Affirmanti Petro se nõ deserturum Christum etiam si alij discipuli desererent, dixit, quòd ter erat illum negaturus antequàm gallus cantaret. Ex Matth. cap. 26. Fatenti. Profitenti. Gallus aliger. Ad differentiam Galli sacerdotis Cybeles, aut uiri ex Gallia. Non reprobando fidem, id est, non tam ut reprobet: quàm ut prædicendo timorem inuincibilem confirmet.

DE FALSIS TESTIBVS, ET CONcionato contra dominum Caipha præsidente concilio.

Matth. 22. Marc. 14.

COntinuo ad tristes Caiphæ deducitur ædes
Ille sacerdotum fuerat tunc deniq; princeps,
Et princeps scelerum, nanq; hoc residente cathedra
Pestifera, falsis agitatum testibus ardet.

Concilium

Concilium, iamiamq́; uolant mendacia mille
In dominum, uanis hominum conflata labellis,
Et pereunt leuitate sua, uelut ignis oberrans
Arentes stipulas, uires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, uictoq; furore
Labitur inualidæ deformis gloria flammæ.

COMMENTARII.

Continuo.] Quod Iesus ducitur ad domū principis sacerdotum, qui uocabatur Caiphas, apud quem insimulatur à falsis testibus. Ex Matth. cap. 26. Vastas ædes. Amplas. Princeps scelerum. Is enim dixerat: Expedit ut unus homo moriatur pro populo. Cathedra pestifera. Ad illud Psalmista respicit In cathedra pestilentiæ non sedit, & subintelligitur, in præpositio. Concilium agitatum. Congregatum & cōmotum. Mendacia conflata. Falsa testimonia conficta. Labellis uanis, id est, mendacibus. Virg. 1. Aeneid. Vani docuere parentes, quod Seru. exponit pro mendacibus. Leuitate sua. Quia non constant sibiipsis: & subdit similitudinem, uelut ignis oberrans stipulas, sub. perit. Cui. Scilicet igni. Materies infirma. Qualis est arentium stipularum. Rapit uires, id est, subtrahit. Cremandi summa, id est, in maxima quæq; si contingeret sibi solidior materia. Victo furore.

rore. Primo illo impetu. Gloria deformis. Quia breui momento euanescit.

DE SACRILEGIO QVO DOMINUM sputis, palmis & colaphis illuserunt. Matt. 17. Marc. 15. Ioan. 18.

POstquàm nulla dolis patuit uia, brachia tolli
Armat in insontē sæuus furor, heu mihi quantis
Impedior lachrymis, rabidum memorare tumultum
Sacrilegas mouisse manus, non deniq; paßim
Vel colaphis pulsare caput, uel cædere palmis
Aut spuere in faciem plebs execranda quieuit,
Ille tamen patiens subiecto corpore totum
Sustinuit, nostræq; dedit sua membra saluti,
Nanq; per hos colaphos, caput est sanabile nostrum
Hæc sputa per dominum nostram lauere figuram
His alapis nobis libertas maxima plausit.

COMMENTARII.

POstquàm nulla dolis. Quod Iesus illusus est à Iudæis colaphisq; & palmis cæsus. Ex Matth. ca. 26. Nulla uia. Quia nullum est inuentum uerum testimoniū. Armat, id est, parat. Tolli brachia, id est, ad tollendum brachia, ut alapis cædant. Non deniq;. Ordo est, plebs execranda Iudæorum non quieuit, id est, cessauit mouisse manus &c. Subiecto corpore, id est

exposito ad omnia ludibria, nostræ saluti, iuxta illud Esaie cap. 63. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & quæ sequuntur. Libertas plausit nobis, id est, arrisit: cum antea essemus in seruitute.

DE NEGATIONE PETRI, SED fletu culpa soluto.

*AT senior cui cuncta potēs prædixerat autor
Quæ uentura forent (quoniā transire nequiuit
Infectum quod Christus ait) se prorsus adesse
Ipsius ex socijs, semel ac bis terq; negauit
Et gallus cecinit: completa est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petri: memor ille malorum
Immemoris damnauit opus, gemituq; sequente
Culpa fugit, cedunt lachrymis delicta profusis
Et dulcem ueniam, fletus generastis amari.*

COMMENTARII.

AT senior.] Quod Petrus iuxta domini præscriptum magistrū & dominum ter negauit. Ex Matth. cap. 26. & est ordo. At senior negauit semel, bis & ter se prorsus esse è socijs ipsius: Et posuit adesse pro esse, hoc est, cōpositum pro simplici, & per parenthesim interposuit, quoniā quod Christus ait, id est, dixit, Nequiuit, id est nō potuit esse. Infectū, id est non

non factum. Sanctio, id est, decretum & statutũ. Sensus rediere, qui fuerant sopiti: quod Euangelista dicit. Recordatus est Petrus uerbi Iesu. Memor malorũ. s. quod Christum abnegauit. Damnauit opus immemoris, id est pœnituit illum quod fuerit oblitus promißi. Delicta cedunt, id est, uincuntur. Fletus amari. Ad illud quod Euangelista dicit: Et egressus foras fleuit amarè.

DE RELATO SACERDOTIBVS à Iuda precio, ac suspendio eius Matth. 26. Luc. 22.

IAmq; dies aderat, nocturna mœstior umbra
Flagitium uisura nouum, tenebrisq; remotis
Pandebat populis Iudææ crimina gentis
Mox igitur dominum Pilati ad mœnia duci
Nexibus astrictum, Iudas ut uidit iniquus
Diriguit, scelerisq; sui commercia reddens
Incassum facti precium, non facta reliquit
Quidnam etenim prodest, illic trepidare timore
Nullus ubi timor est, aut quæ confeßio retro
Lucet in inferno, cum iam demissa securis
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina uertat
Funditus & dignis pereant mala robora flammis
Continuoq; trucis correptus mente furoris,

Se quoq; morte petit, tanquàm tunc ſanior eſſet
Cum ſcelus ulciſci præcurreret, ipſaq́; diræ
Guttura uocis iter, cuncti quæ uendere mundi
Auſa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo ſuſpendit ab alto,
Lenior ira quidem tanto pro crimine culpæ
Cunctorum cui nulla foret, par pœna malorum,
Exitus hic mortis, tamen & ſublime cadauer
Oſtendit populis, quanto de culmine lapſus
Pridem diſcipulus, qui eſt nunc reus, alta relinquens
Sidera tartareum deſcendit aduſq; profundum
Tunc uir apoſtolicus, nunc uilis apoſtata factus.

COMMENTARII.

IAmq́; dies.] Quomodo poſteriori die Ieſus ductus eſt ad Pilatum ut reus mortis ageretur: Iudas quoque pœnitentia ductus ſceleris admiſſi laqueo ſe ſuſpendit. Mœſtior. Triſticia temporis à nobis ſumitur ſecundum affectus. Pandebat. Quaſi uelit dicere quod ſcelera noctis heſternæ latebant in tenebris: quæ uerò nunc gerentur populo teſte, fient. Ad mœnia Pilati, id eſt, ad ædes ſiue prætorium: nam & de priuatis ædibus etiam mœnia dicuntur. Verg. 2. Georg. Fuſi per mœnia teucri. Conticuere. Nexibus aſtrictum id eſt, modis colligatum. Diriguit, id eſt, obſtipuit.

Commercia sceleris, id est, tringinta argenteos proditionis precium, quanquàm commercium est mercium commutatio. Incassum, id est, inuanum. Reliquit. Apud principes sacerdotum in templo. Non sacra, id est, proditionem factam. Trepidauerunt timore. Ex Psal. 13. Quoniam illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor: quasi dicat. tunc oportuit Iudam timere, cum aggrediebatur scelus: quia timor est perturbatio de malo futuro. Confeßio in inferno. Ex Psal. 6. In inferno quis confitebitur tibi. Demersa securis, id est, impacta radicibus ut arbor procumbat. Ex Matth. cap. 2. Iam securis ad radicem posita est, omnis arbor quæ non facit fructum bonum: excidetur et in ignem mittetur. Vertat, id est, euertat. Feralia germina unde mites fructus debuit germinare: & produxit feros. Iuxta illud Esa. 5. An quod expectaui ut faceret uuas, & fecit labruscas. Mala robora. Iuue. Sterilis mala robora fici. Mente furoris, id est consilio furioso Petit se morte, id est, consciscit sibi mortem. Tunc sanior esset. Ac si dicat, tunc fuit insanior cum properauit ulsciſci scelus. Angens, id est, constringens. Guttura apposi tiue uocis iter. Verg. æn. V daeq; uocis iter. Infœlicem animam. i. se infelicem. Lenior ira, id est, uindictæ appetitus, id quod præcedit pro eo quod sequitur.

Sublime cadauer, id est, in aëre pendens. De quanto culmine lapsus, id est, de quanto dignitatis gradu cadens. Pridē, id est, olim: Nunc reus, scilicet, crimine proditionis. Apostata, id est, deficiens & absistens à domino eius cui obseq debet, ab ἀφίστημι qd' est absisto

DE CRIMINE QVOD SE DOMInus regem dixerit esse. Matth. 26. Marc. 19. Luc. 22.

AT dominus patiens cū præsidis ante tribunal
Staret, ut ad iugulum ductus mitißimus agnus
Nil inimica cohors, insontis sanguine dignum
Comperiens, regem quod se rex dixerat esse
Obijcit, & uerum mendax pro crimine ducit,
Nec mirum, si iura Dei gens perfida uitet
Imperiumq; neget, lucos quæ semper amauit,
Idola dilexit, simili nam more furentes
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam
Damnatoq; pio, conseruatoq; proteruo
Mutauit per utrumq; uiam sententia iustam,
Autor mortis erat iussus, qui sumere lucem.
Autor lucis erat, iussus qui sumere mortem
Credite iam Christum, pro cunctis credite passum,
Quid dubitatis adhuc, en sectus terga flagellis
Subditus opprobrijs, pœnas amplectitur omnes

Ne dignus sentire necem ceu latro periret.

COMMENTARII.

AT dominus.] Quod Iesus stans ante præsidis tribunal accusatur læsæ maiestatis, qd' dixißet se Iudæorum regem. Ex Matth. 28. Mitißimus agnus Iuxta illud Esaiæ cap. 4. Sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente: se obmutescet. Mendax: scilicet, cohors Iudæorum, quia patrem habet mendacem. Ioannis cap. 8. Verum ducit pro crimine: quia rex erat, sed accusatur ueritatis. Iuxta illud Iuuenalis. Accusator erit. Qui uerum dixerit hic est. Imperium neget. Detrectet. Idola. Recte producit penultimam, tametsi alio in loco posuit eandem breuem, & quod Hebræi coluerunt idola plenum est uetus instrumentum. Dilexit lucos, id est, syluas arborum alicui Dei consecratas, quod à deo prohibetur, Exodi capite. 34. Confringe inquit eorum statuas lucosq; succide. Et in Deutero. capite septimo. Lucos succidite & sculptilia, & sæpe in alijs locis horum lucorum meminit. Baal. Qui & Bel & Beel frequenter in sacris litteris appellatur à quo populum Israël adulteratum dominus frequenter conqueritur. Barabbam. Qui erat insignis latro, seditiosus & homicida & est notanda lite-

da literatura quod per unum r scribitur, et accentus acutus in penultima. Pilatus donat plebi legiq; Barabbam, interpretatur nanq; filius patris, autor Ambrosius super Lucam. In Hebræo tamen, autore Hieronymo super Matthæũ. Barabbas, hoc est filius magistri legitur. Sententia Pilati postulantibus Iudæis. Per utrũq; scilicet, per Iesum & Barabbã. Autor mortis. Quia homicida erat Barabbas. Autor lucis id est, uitæ Christus. Credite passum pro cunctis. Iuxta illud Esa. 63. Vulneratus est propter iniqtates nostras. Et illud: Propter scelera populi mei pcußi eum.

DE ABLVTIONE MANVVM Pilati. Matth. 27.

HEu falx torua patrum, segetẽ cæsura nepotum
Heu facinus Pilate tuum, quod gesseris uno
Crimina iudicio uigili si mente notares,
Non solas lauisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum ueniæ spectare lauacrum
Corporis insontem, sistis sub præside regem,
Præponisq; humana deo, qua morte teneris
Qui dominum numerosa cruci per uulnera figis?

COMMENTARII.

HEu falx torua.] Quod Pilatus cũ apud Iudæos nihil proficeret, lotis manibus Iesum flagellatũ

tradit

tradidit illis ut crucifigeretur. In quem ſatis acerbè. Autor inuehitur. Falx torua. An irata ut quod eſt perſonæ detur inſtrumento, an potius legendũ falx curua qualis eſt meſſaria. De cuiuſmodi falce loquitur. Ioã. Apocal. cap. 14. Nepotum. Ad illud reſpicit quod ſcribit Euangeliſta. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Sacrum lauacrum. Baptiſma quod te totum ablueret. Corripis ad mortem rapis. Sub præſide, id eſt, ſub te qui præſes es. Poſt uulnera. Quia flagellatum, crucifigendum dedit.

DE CHLAMYDIS COCCINEAE & coronę ſpineę, & harundinis myſterio. Matth. 17. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

CVmq́; datus ſæuis ad pœnam ſanctus abiret
Militibus, rubri uilem ſub tegmine cocci
Veſtitur chlamydem, ſpecies ut cuncta cruenta
Mortis imago foret, ſpinis circundedit amplum
Nexa corona caput, quoniam ſpineta benignus
Omnia noſtrorum ſuſceperat ille malorum,
Implet harundo manum, ſceptrũ quod mobile ſemper
Inualidum, fragile eſt, uacuum leue, moxq́; alienos
Deponens habitus, proprium ſuſcepit amictum
Scilicet humanæ poſiturus tegmina carnis

Et ſumpturus item nil iam ut mutabile ferret
Poſt mortem propria cum maieſtate reſurgens
Humano ponens mortalem tegmine carnem.

COMMENTARII.

CVmq; datus.] Quod milites quibus traditus eſt Ieſus, crucifigendum induerũt eum chlamydem coccineam, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in manus eius collocarunt. Ex Matth. cap. 27. Vilem chlamydem. Non ſi tuit eſſe uilis, id eſt, parui præcij ſi chlamys erat, et po coccinea, ſed uilis exponendum eſt, in uilipendum Chriſti adhibitam. Mortis imago. Quia mors illa cruenta erat, ideò induitur ueſte coccinea. Sic Virg. 5. Aenei Purpureosq; facit flores. ad imitationem inquit Seruius ſanguinis, in quo eſt anima. Amplum caput. Honeſtum, unde & amplitudo pro honore. Spineta noſtrorum laborum. Iuxta illud Eſaiæ. Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portauit. Harundo. Pro ſceptro q͛d' mũdi huius deſignat leuitatem Mobile. Qualis eſt harundo. Alienos habitus. Chlamydem ſcilicet illam purpuream. Propriũ amictum. Quod ſignificabat, quia depoſiturus erat carnem humanam, & poſtea reſumpturus. Item pro iterum. Nil tam mutabile. Quia reſurgens cum corpore glorifica

-ficato; iam non est moriturus. Ponens carnem mortalem, & subaudi resumens eandem immortalem, quæ quidem est tegmen humanum sub quo diuinitas latet.

Nec sine. Quod posteaquàm Iesus perductus est in caluariæ locum porrexerunt ei felle uinum admixtum quod cum gustasset, noluit bibere. Ex Matth. cap. 27. Sine diuino moderamine. Videlicet ut adimpleretur illud Psal. 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, quod etiam significabat, quòd breui tempore mortẽ erat degustaturus tristem saporem, id est amarum. Virgilius 1. Georg. Tristes lupinos dixit, quod Seruius exponit amaros.

DE VINO CVM FELLE MIXTO tacto labijs & remoto.

Matth. 27. Ioan. 19.

NEc sine diuino constat moderamine gestum,
Quod uinũ cum felle datũ, tristemq; saporem
Suscipiens, tetigit labijs, & ab ore remouit,
Quippe necem paruo degustaturus amarum.
Tempore quam reduci contemnere carne pararet.

COMMENTARII.

NEcem amaram.] Eccles. ca. 41. O mors quàm amara est memoria tua. Carne reduci. Restituenda simul et glorificanda: nã reduces dicuntur à peri

 culo

culo liberati. Contemnere mortē. Quia mors illi ultra non dominabitur. Ad Rom. cap. 6.

DE SALVTIFERAE CRVCIS quadripartita positione.

PRotinus in patuli suspensus culmine ligni
Relligione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, uiolentaq́; robora membris
Illustrans proprijs, pœnam uestiuit honore,
Suppliciumq́; dedit signum magis esse salutis
Ipsaq́; sanctificans in se tormenta beauit,
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam
Quæ dominum portauit ouans ratione potenti
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis
Splendidus autoris de uertice fulget Eous
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ
Arcton dextra tenet, medium leua erigit axem,
Cunctaq́; de membris uiuit natura creantis,
Et cruce cōplexum Christus regit undiq; mundum.

COMMENTARII.

PRotinus.] Quod Iesus crucifixus est, quæ cū fuerit nocētium pœna ignominiosa in Christo nobilitata est. Ex Matthæo. capite. 27. Patuli ligni in aperto positi & expaßi. Mutans iram religione, nisi mendum aliquod subest hoc in loco uult significare quod

quod crux quæ solebat esse ignominiosa seruorum pœna ab iratis dominis inflicta, nũc mutata est in honorificam religionẽ. Fuit pax crucis, id est, conciliauit nobis crucem, unde & nos prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalũ, gentibus autem stultitiam. Violenta robora; id est, crucem ex robore quæ mortem uiolentam inferre solebat. Illustrans, id est, clariorem faciens. Pœnam uestiuit honore, id est, quod antea erat ignominia conuersum est in honorem

Esse colendam. Ex eo scilicet quòd omnia complectitur. Ouans. Triumphans cum Christo uictore.

Ratione potenti, id est, efficaci & maxima. Colligit id est, cõplectitur. Orbis quadrati, id est, in quatuor mundi cardines diuisi. Eous, id est, oriens, unde & Eos aurora. De uertice. Fingit perinde ac si Christus cruci applicitus, omnia cõtineat foueatq́;. Occiduo sidere, id est, sole occidenti. Lambuntur. Tanguntur leuiter. Arcton. Partem septentrionalem. Medium axem, id est, meridionalẽ polum. Cuncta natura, id est, omnes res naturales, hoc est, cœlum & omnia quæ sub cœlo sunt.

DE TRILINGVI TITVLO SVper caput regis Iudæorum posito.

Scribitur

Scribitur & titulus Iesus rex hic Iudæorum est
Quò nihil à deitate uacet: nam cœlitus actum
Hoc Hebræa refert, hoc Græca, Latinaq; lingua.
Hoc docet una fides, unum ter dicere regem
Huius in exuuijs sors mittitur, ut sacra uestis
Intemerata manens, à Christo scisma uetaret

COMMENTARII.

Scribitur et titulus.] Quòd Pilatus præcepit scribi titulum, in quo significaretur causa cur sit affixus cruci, idq; Græce, Hebraice & Latine, quæ omnes tres linguæ Hierosolymis erant notæ, & quod milites sortiti sunt uestes Christi. Ex Matth. cap. 27.

Quò nihil uacet, id est, ut omnia sint plena diuino mysterio. Nam cœlitus actum, id est, diuinitus huius gestū est, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorū, & omnis lingua confiteatur quod Christus est in gloria patris. Ad Philip. cap. 2. Ter dicere regem, id est, in tribus linguis, Hebraica, in qua est scripta religio: Græca, in qua sapientia humana: Latina in qua potentia romana, quæ omnia in Christum collata sunt. Intemerata, id est, integra & non discissa: nam cum milites uellēt illam inter se diuidere, dixerunt: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Schisma, id est, diuisionem, à

σχίζω, quod est scindo, non ut uulgus nunc loquitur schisma.

DE SORTIONE VESTIS NON scissę, & duobus latronibus.

QVin etiam insontis latere ex utroq; cruentos
Constituere uiros, meritũ licet omnibus unũ
Non faciat similis quamuis sententia, namq;
Inter carnifices sancto pendente latrones
Par est pœna trium, sed dispar causa duorum
Hi mundo sunt quippe rei, pro crimine multo
Huic reus est mundus, saluatus sanguine iusto,
Supplicijsq; tamen rerum dominator in ipsis
Iura potestatis non perdidit, æquus utrunq;
Iudex namq; tuens, hunc elegit, hunc reprobauit
Amborum merita præcelso examine pensans,
Vnus enim quem uita ferox, nec morte reliquit,
In dominum scelerata mouens conuicia dictis
Mordebat proprijs, & tanquàm setiger hircus,
Ore ueneno so uitem lacerabat amœnam,
Alter adorato per uerba precantia Christo
Saucia deiectus flectebat lumina, tantum
Lumina, nam geminas arcebant uincula palmas,
Quem dominus ceu pastor ouem deserta per arua
Colligit errantem, secumq; adducere gaudet,

In campos

In campos paradise tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumq; uoluptas
Irriguis nutritur aquis interq; benigne
Conspicuos pomis non deficientibus hortos
Ingemit antiquum serpens habitare colonum,
Ambo igitur uarium diuerso calle latrones
Aggreßi facinus, uiolentum grande patrarunt
Internas addit ille fores, addit iste supernas,
Ille profunda petens penetrauit claustra gehennæ
Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.

COMMENTARII.

QVin etiam.] Quod duo latrones cum Christo sunt crucifixi. Ex Matt. ca. 27. *Insonti,* id est cũ innocēte. *Cunctos uiros.* i. homicidas, *unum* id est, causam cur paterētur. Similis sentētia. Quia omnes tres sunt cōdemnati, sed ex diuersis causis.

Mundo sunt rei, id est, toto mũdo ideò morte sunt digni ob multa illorũ crimina. *Reus mundus,* id est, obligatus & iusta seruitute obnoxius propter redemptionē. *Nō perdidit iura potestatis.* Quia cũ sit à deo cōstitutus iudex uiuorũ et mortuorũ. Act. ca. 10. *Alterũ absoluit et alterũ condēnauit. Tuens.* Intuēs. *Examine præcelso pēsans.* Translatio ab ijs sumpta, q in statera appendũt. Virg. In uiro bono iusto trutinæ se examine

mine pensat. Nec more reliquit. Ex Virg. 6. Aeneid. Ferox non ipsa in morte relinquit. Dictis proprijs, id est, suis et tali persona dignis. Setiger hircus, id est qui uestitur nõ lana sed setis. Similitudo est. Nã quemadmodũ hircus infigit dentẽ uenenatũ uiti: ita & hic latro in Christũ. Virg. 2. Georg. Duriq; uenenũ Dentis & admorso signata in stirpe cicatrix. Vitem amœnã, id est, Christũ qui se uitẽ uoluit appellare. Ioan. ca. 15. Ego sum uitis uera. Saucia lumina, id est, morientia lumina habẽs in humũ deiecta. Lumina nam geminas. Ex Virg 6. Aeneid. de Cassandra. Quẽ errantem. Ex Luca cap. 15. de oue quæ aberrauit ex grege centũ ouiũ. In campos paradise tuos. Paradisus hortus interpretatur, sed per paradisum intelligimus statum innocentiæ, in quo primi parentes sunt creati, & in paradiso uoluptatis à deo positi, unde per peccatum deiecti sunt. Gramineus ager. Perstat in translatione

Antiquum antiquũ colonum. Primũ parentem. Quẽ deus posuit in horto uoluptatis, quid si legas antiquus serpens. Iuxta illud Apocal. cap. 12. Draco ille magnus serpens antiquus, qui uocatur diabolus. Ingemit. Quia inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum. Variũ facinus alter. Scilicet peßimũ facinus alter preclarũ facinus. Diuerso calle, id est, tramite,

quanquàm ille qui tendit ad inferos latus sit, qui ad superos arctus. Ex Matth. cap. 7. Grande uiolentum, id est, grandem uiolentiam: quia malus latro per uiolenta latrocinia sua descendit ad inferos, bonus latro per uiolentiam ascendit ad superos. Ex Matth. cap. 11 Regnũ cœlorũ uim patitur, & uiolenti rapient illud.

DE TENEBRIS HORARVM DIei trium. Matth. 27. Marc. 15.

INterea horrendæ subito uenere tenebræ
Et totum tenuere polum, mœstisq; nigrantem
Exequijs texere diem, sol nubæ choruscos
Abscondens radios, tetro uelatus amictu
Dilituit, tristemq; infecit luctibus orbem,
Hunc elementa sibi meruerunt cernere uultum
Auxilijs orbata patris, lœtata per ortum
Mœsta per occasum. Nam lux ut tempore fulsit
Nascentis domini, sic hoc moriente recesșit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spacium secreta suum, quippe ut tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cœli,
Sic dominus clausit triduo tulit antra sepulchri.

COMMENTARII.

INterea.] Quod à sexta hora usq; ad nonam tenebræ factæ sunt super uniuersam terram. Ex Matth. cap. 27.

cap.27. Mœstis exequijs, id est, quasi in exequias funerales. Texere diem, id est, diei lucem operuerunt. Tetro amictu. Verg. 1 Georg. Cum caput obscura nitidum ferrugine texit: & quod subdit. Supraq; æternam timuerunt secula, noctē. Delia. Luna à Delo insula, ubi cum Apolline est nata. Suberat terris. Qui si tunc plena erat luna, quod uidelicet quartadecima die mensis pascha celebratum est: necesse quoq; fuit solem hora diei sexta esse in culmine cœli, & lunam in angulo noctis mediæ. Elementa. Sol cum cæteris mundi elementis. Cernere sibi, quasi dicat, induere sibi uultum lugubrem. Auxilijs patris, id est, Christi qui est sol iusticiæ. Lætata per ortum. Quia tempore natalis lux orta est mundo. Lucæ. cap. 2. Quod statim declarat dicens: Nam lux ut tempore fulsit nascentis domini. Non diu mansura absens. Quia tantum per tres horas obscuratus est sol, quod significabat per tres tantum dies saluatorem in sepulchro permansurum.

DE TERRAE MOTV EIVSDEM temporis. Matth. 27.

NEc tellus sine clade fuit quæ talia cernens
Funditus intremuit, dubioq; in fine, supremum
Expauit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens succumbere molem,

Autoremq; sequens per tartara mundus abiret
Sed pietas immensa uagas properabat ad umbras
Perdita restituens, non consistentia perdens.

COMMENTARII.

NEc tellus.] Quod domino moriente factus est terræ motus. Ex Matth. cap. 27. Talia cernens, id est, tam indigna. Sine dubio. Nam uisa est natura dubitare de suo fine, cum ipse deus natura pateretur. Supremum modum, id est, finem. Summus apex petens inferna, id est, Christus qui est in summo rerum omnium apice constitutus. Cogeret omnem molem, id est, omnia traheret secum ad inferos. Autorem. Subaudi suum per quem omnia facta sunt. Per tartara. q.d. in antiquum chaos confunderetur. Vagas umbras. Ex more poëtarum loquitur qui faciunt animas per inferos uagari. Restituens perdita id est, nõ tam ut consistentia linqueret, quàm ut perdita restitueret.

DE ACETO IN SPONGIA IAM domino in cruce pendenti porrecto. Matth. 27. Ioan. 19.

NVlla tamen tanti meruerunt signa pericli
Qui dominum fixere cruci, quin insuper haustum
Cum peteret sitiens, unus de plebe nefanda

Peni-

Peniculo infusum calamo porrexit acetum
Mameribus populis in deteriora uolutis,
Conueniens liquor ille fuit: nam dulcia uina
Sicut in horrendum cum conuertuntur acetum,
A mensis proiecta iacent, sic tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.

COMMENTARII.

NVlla tamen.] Quod quamuis elementa sunt mota suo autore moriente: qui fixere Christi cruci non sunt permoti, quin potius acetum illi porrexerunt. Ex Matth. cap. 27. Cum peteret sitiens, quod factũ est cum Iesus dixisset sitio. Ioan cap. 19. Peniculo Euangelistæ spongiam dicunt infusam aceto illius ori appositam. Sed peniculi, autore Festo Põpeio, dicũtur spongiæ longiores propter caudæ similitudinem: nam penis caudam significat. Mameribus populis, id est, nothis siue spurijs, & ex fornicatione procreatis. q. uelit dicere illegitimis, & est mamer hebraica dictio. Conueniens liquor, & in quo sit conueniens, statim subiungit. Gens accepta deo. Deuter. cap. 7. Te elegit deus ut sis ei populus peculiaris. Propago odiosa, genus homini deo atq; perinde gentibus inuisam.

DE MORTE DOMINI IN QVA petræ ſciſſæ ſunt, & cæteris ſignis tunc peractis. Matth. 27.

ERgo ubi cuncta boni completa eſt paßio Chriſti
Ipſe animam proprio dimiſit corpore ſanctam,
Ipſe iterum ſumpturus eam, quia mortuus idem
Idem uiuus erat, membris obeuntibus in ſe
Non obeundo deo, Cuius uirtute retrorſum
Infernæ patuere uiæ, ruptæq́; pateſcunt
Diuiſa compage petræ, rediuiua iacentum
Corpora ſanctorum, fractis abiere ſepulchris
In cineres animata ſuos ſubitoq́; fragore
Illud ouans templum, maioris culmina templi
Procubuiſſe uidens, ritu plangentis alumni.
Saucia diſciſſo nudauit pectora uelo,
Interiora ſui populis arcana futuris
Iam reſeranda docens, quia lex uelamine Moſi
Tecta diu, Chriſto nobis ueniente pateſcit.

COMMENTARII.

ERgo ubi cuncta. Quod mortuo Chriſto multa corpora ſanctorũ ſurrexerunt et uenerũt in ſanctam ciuitatem, & alia miranda quæ tunc contigere. Ex Matth. cap. 27. Dimiſit animam. Ex Ioan. cap. 10. Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem

habeo

habeo iterum ſumendi eam. Mortuus quantum attinet ad humanitatem. Viuus quantum ad diuinitatem, quod ipſe ſtatim declarat. Membris carne. Patuere retroſum. Ita ut animæ quæ apud inferos erat, collocatæ poſſent duce Chriſto redire ad ſuperos. Petræ. Sepulchrum, ſcilicet. Diuiſa compage, id eſt, lapidum ſepulchri iunctura. Rediuiua, id eſt, uitæ reſtituta. Iuuenalis. Rediuiuus pullulet arca numus. Subitoq; fragore. Ex ruptura ueli, uel potius ſuperliminaris, ut in euangelio Matthæi Hebraico legitur ſuperliminare templi ſciſſum eſt. Illud templum ouans, ſcilicet, quod fuerat à Salomone extructum applaudens Chriſto morienti. Maioris templi, id eſt, Chriſti qui ſe templum quoq; appellauit cum dixit Ioannis cap. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Procubuiſſe, id eſt, mortuum eſſe. Nudauit pectora. Translatio ſumpta ab ijs qui in funere ſuorum ſcindunt ueſtimemta, & tundunt pectora palmis. Interiora ſui, id eſt, adita: ubi erat arca teſtimonium. Exodi capite 26. Facies inquit uelum, intra quod pones arcam teſtimonij: quo & ſanctuarium, & ſanctuarium ſanctuarij diuidentur. Lex tecta uelamine Moſe, aut lex Moſe, quæ tecta erat uelo, ſicut & arca teſtimonij: quo ſciſſo arcana

patuerunt, aut de uelamine intelligit, quod Moses ori prætendit, de quo Apostolus in epistola ad Cor. secunda cap. 3. Non sicut Moses ponebat uelamen super faciem suã &c. Veniente nobis, id est, causa nostra hominem assumens. quid si legas, nobis morienti.

INVECTIO ADVERSVS mortem. Ozeæ. 3.

Dic ubi nunc tristis uictoria, dic ubi nunc sit
Mors stimulus horrenda tuus, quæ semp opimis
Instaurata malis, cunctas inuadere gentes
Pœnali ditione soles, en pessima non tu
Peruenis ad Christum, sed Christus peruenit ad te
Cum † licuit sine morte mori, quiq; omnia gignens
Omnia constituens, te non formauit, ut esses
Semine uipereo, culpa genetrice crearis,
Et uenia regnante peris.

† Cui

COMMENTARII.

Dic ubi nunc.] In mortem quæ generi humano dominabatur ante Christi passionẽ inuehitur. Ex 1. Cor. ca. 15. Absorpta est inquit mors in uictoria ubi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus, stimulus mortis peccatũ est &c. & est ordo. O mors horrẽda tuis stimulis dic, ubi nunc est tristis uictoria.

inquam

Tristis inquam ab effectu, aliâs læta est. Hor. 1. Cita mors uenit aut uictoria læta. Instaurata. Renouata & repetita. Opimis, id est, copiosis. Pœnali. Quia mors peccati fuit pœna. Non tu peruenis ad Christũ, quasi ad inuitũ: nam oblatus est, quia ipse uoluit, unde subdit. Sed Christus peruenit ad te, scilicet uolens. Sine morte. Quia mors illi ultra nõ dominabitur. Ad Ro. cap. 6. Culpa genetrice. Quia subdit, Stipendiũ peccati mors est. Semine uipereo. Quia propter inuidiam diaboli est introducta, cum in specie serpẽtis Euam decepit. Venia regnante, id est, misericordia dei, qui nobis largitur ueniam.

EX CHRISTI LATERE SANguine cum aqua fluxisse.

IAm spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo iam frigida ligno
Viscera pendebant, & adhuc furor arma ministrat
Cuspide perfossum uiolat latus, èq; patenti
Vulnere, purpureus cruor, & simul unda cucurrit
Hæc sunt quippe sacræ pro relligionis honore
Corpus, sanguis, aqua, tria uitæ munera nostræ,
Fonte renascentes membris, & sanguine Christi
Vescimur, atq; ideò templum Deitatis habemur,
Quod seruare Deus nos anniat immaculatum.

Et faciat tenues tanto mensore capaces.

COMMENTARII.

IAm spiritus.]Quod mortuo Christo, cum latus illius fuisset perforatum cõtinuo exiuit sanguis & aqua, unde sacramenta ecclesiæ uim habent. Ex Ioannis cap. 19. *Ad tempus.* Quos resumpturus erat die tertia. *Furor arma ministrat.* Ex Virg. 1. Aenei. *Hæc sunt.* Ordo est, hæc tria sunt munera uitæ nostræ, scilicet corpus, sanguis & aqua. 1. Ioan. cap. 5. Hic est qui uenit per aquam & sanguinem. *Templum deitatis* 1. Cor. 3. Nescitis quia templum dei estis. *Tenues,* id est, pauperes & indignos. *Capaces tanto mansore,* id est, dignos in quibus per gratiã Christus inhabitet.

DE CVSTODIENDO MOnumento. Matth. 27.

ERgo ubi depositi thesaurum corporis amplum
Nobilis accepit domino locus ille iacente
Nobilior surgente tamen: generatio fallax
Augebat sub corde nefas, quod nocte silenti
Discipuli Christum raperent, & abisse referrent
Ter redeunte die, sicut prædixerat ipse
Quo stimulante metu, uigilum munimina poscunt
Plura dari, sæuaq; locum obsidione teneri,
Si nondum post uincula crucis, post uulnera ferri

Post

Post obitum mortis, numerosa cæde cruentum.

COMMENTARII.

ERgo ubi.] Quod Christi corpus mandatum est sepulturæ, & quid Iudæi fecerint circa eius custodiam timētes ne surriperetur à discipulis. Ex Mattheo cap. 28. Locus ille nobilis. Monumentum quod Ioseph uir nobilis exciderat in petra, ubi ipse mortuus sepeliretur. Thesaurum amplum, id est, honorificū uel potius magnum. Nobilior. Quia maior fuit gloria sepulchri, resurgentem reddentis quàm fuisset retinentis

Augebat nefas. Cum potius debuerit admissorū pœnitentiam agere, dicentes, scilicet. Quod discipuli raperent Christum, id est, rapturi essent, & referrent, id est, dicturi essent. Abijsse, id est, surrexisse die tertia. Munimina, id est, defensores & custodes. Obsidione. More illorum qui arces aut oppida obsident.

Si nondum. Pendet sensus usq; in locum illum peioribus aptos &c. Vincula crucis. Quibus Christū cruci affixistis. Vulnera ferri. Clauorum & lanceæ.

INVECTIO IN IVDAEOS.

CArnifices implestis opus, nec creditis illum
Qui totiens imis animas produxit ab umbris
Posse suam reuocare magis, peioribus aptos
Consilijs armate dolos, signate sepulchrum,

Ponite custodes, monumento aduoluite saxum
Quis poterit seruare deum, cui cardine rerum
Cuncta patent, undis habitat, per tartara regnat
Et cœli de nube tonat, Quid sæue tumultus
Excubijs deperdis opus, quid niteris illam
Explorare fidem, cui non uis credulus esse?

COMMENTARII.

CArnificis opus.] Qui solet dãnatos plectere. *Peioribus cõsilijs.* Sub quã illum prius morti tradidistis. *Cardine rerũ.* Deest præpositio in aut ex ut sit in cardine rerũ, aut ex cardine rerũ, hoc est, ex ipsius mundi penetralibus, quibus orbis innititur.

Per tartara. Iuxta illud Psalmographi. Si descendero in infernũ ades. *Et cœli de nube.* Imitatur Lucanum in 1. Pharsaliæ. Tarpeia de rupe tonãs. *Deperdis opus tumultus* i. tumultuosum. *Excubijs.* Excubãdo uigilans ad custodiã sepulchri. *Explorare fidẽ.* Volẽs experiri certitudinem rei, cui non es fidẽ adhibiturus.

DE RESVRRECTIONE CHRIsti. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 29. Ioannis. 20.

COeperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A domino dominante trahit, primusq; uidere

Prome-

Promeruit nasci mundum, atq; resurgere Christum
Septima nam Genesis cum dicat sabbata, claret
Nunc orbis caput esse diem, quem gloria regis.
Nunc etiam proprij donans fulgore trophæi
Primatum retinere dedit, hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæq; simul cum munere matres
Meßis aromaticæ, noctu uenere gementes
Ad tumulum, uacuumq; uident iam corpore factum,
Sed plenum uirtute locum. Nam missus ab astris
Angelus, amoti residebat uertice saxi
Flammeus aspectu, niueo † præclarus amictu, † uestitus
Qui gemina specie terrorem, & gaudia portans
Cunctaq; dispensans custodibus igne minaci
Venerat, in forma Christum quærentibus alba,
Illæ igitur dominum calcata uiuere morte,
Angelica didicere fide, perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine uitam,
Deserta statione fugax, testisq; timoris
Vera refert gratis, sed post data munera fallit.
Discipulumq; globum placidi sub tempore somni
Clam sibi nocturna Christum abstraxisse rapina
Compositus simulator ait, fare improbe custos
Responde scelerata cohors, si Christus (ut audes
Dicere) concluso furtim productus ab antro

Sopitos

Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus
Cuius in exuuias sedet angelus, an ne beati
Corporis ablator, uelocius esse putauit
Soluere contectum, quàm deuectare ligatum,
Cum mora sit furtis contraria, cautius ergo
Cum domino potuere magis sua lintea tolli,
Mentita est uox uana sibi, tamen ista figuram
Res habet egregiam, Iudæis constat ademptum,
† pectore Quem nos deuoto portamus † corpore Christum.

COMMENTARII.

Coeperat.] Quo pacto saluator tertia die posteaquàm passus est, resurrexit à mortuis. Ex omnibus Euangelistis. Tristia sabbata, id est, post dies tristes, nam sabbatum aliquando pro die quocunq; accipitur, ut Luc. cap. 18. Ieiuno bis in sabbato. quid si legas post tertia sabbata. Culmen alti nominis, id est, dignitatem, quippe quæ denominatur dominicus à domino. Mundum nasci. Quia tali die mundus est creatus, in eodemq; Christus resurrexit. Genesis qui liber est primus legis, cuius capite 2. legitur. Cõpleuit deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo &c. Caput orbis, id est, principium. Gloria regis, id est, rex glorificatus. Fulgore trophæi, id est, triumphum more triumphantium præ se ferens

sanctorũ

ſanctorum animas reſurexit. Primatum. *Vt ſit primus in ordine dierum.* Virgo parens. Hoc non dicunt Euangeliſtæ. Ioannes Mariam Magdalene tantum dicit ueniſſe. Matthæus adiungit alterā Mariam. Marcus duabus adiungit tertiam. Meſsis aromaticæ. *Ad illud quod ſcribit Marcus, quòd Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata ut uenientes ungerent Ieſum.* Noctu. *Ioannes cum adhuc tenebræ eſſent, cæteri Euangeliſtæ diluculo mulieres ueniſſe ad monumentum ſcribunt.* Plenum uirtute, *id eſt miraculis, quæ non poterant niſi diuina potentia fieri* Ab aſtris. *De cœlo ut inquit Matthæus.* Amoti. *Quod ipſe angelus amouerat, nō quod reſurgēte Chriſto fuerit reuolutus ut pictores effingunt: nam quid attinet Chriſtum in gloria ſua reſurgentem euoluere lapidem ſepulchri.* Angelus. *Vt Matthæus & Marcus dicunt, unus, ut Lucas & Ioannes, duo.* Flammeus. *Erat enim ut ſcribit Euangeliſta aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimentum ſicut nix.* Gemina ſpecie. *Scilicet terribili in cuſtodes ſepulchri milites: nam præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes.* Et gaudia. *Diſcipulis & mulieribus.* Cuncta diſpenſans, *id eſt, diſtribuens, ſcilicet, hos deterrens, illos conſolans.* Igne minaci *id eſt, fulgore illius.* Calcata morte, *id eſt, ſuperata.*

Iuxta illud Prophetæ. Ero mors tua ò mors, morsus tu- us inferne. Statione deserta, id est, uigilia et custodia. Gratis, id est, non accepto munere. Postquàm data munera. Scilicet à Iudæis, quia ut scribit Euangelista. Principes sacerdotum grandi pecunia milites corrupe- runt, à discipulis Christum fuisse subreptum ipsis dor- mientibus. Compositus simulator, id est, subornatus & ex composito falsum testimonium proferens. Im- probè custos, id est, falsum testē inuehitur instans con- iecturis. Productus. Subreptus. Antro. Sepulchro. Latuit sopitos, id est, dormientes custodes. Amictus. Linteamina & sudariū quibus fuerat corpus inuolu- tum. Ad eximias, id est, iuxta spolia. An ne beati, ac si dicat nō est uerisimile. Mētita est. Ex psal. 26. In- surrexerūt in me testes iniq et mentita est iniquitas si- bi. Vana uox. i. mendax. Virg. 1. Aenei. Vani docue- re parētes. Ademptū Iudæis. i. ab illorū custodia sub ductū. q. d. quē illi amiserūt nos inuenimus. Acto. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quo- niam repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.

DE ABIECTIONE SYNAGO- gæ, & uocatione Ecclesię.

PLange sacerdotes perituros, plange ministros,
Et populum Iudæa tuum pro talibus ausis.

Non

Non tuba, non unctus, non tam tua uictima grata est
Quæ nam bella tibi clanget tuba rege perempto?
Quis tuus unctus erit, quæ uerum † amiseris unctum? † occideris
Victima quæ dabitur, cum uictima pastor habetur?
Discedat synagoga suo fuscata colore
Ecclesiam pulchro Christus sibi iunxit amore,
Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater
Semper uirgo manet, huius se uisibus astans,
Lucæ palàm dominus prius obtulit, ut bona mater
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.

COMMENTARII.

PLange sacerdotes.] In Iudæos Christi occisores inuehitur, ostendens quanta bona àmiserit, & in quot damna incurrerint. Sacerdotes & ministros perituros. Quia Iudæorum sacerdotium quod erat penes Leuitas translatum est in Christum qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Ad Hebræos capitulo 7. Pro talibus ausis, id est, quæ talia es ausa facere, & est clausula uersus Virgiliani 2. Aeneidos.

Tuba. Qua utebantur sacerdotes ad conuocandum populum & in bello ad inuadendas pugnas.

Vnctus. Quia sacerdotes & reges ungebantur, sed

ſed unctio illa translata eſt in ſanctum ſanctorum, hoc eſt, in Chriſtum ex prophetia Danielis cap. 9. Victima, id eſt, quia in eius locum altera erat ſucceſſura uictima, id eſt, Chriſtus pro omnium peccatis immolanda Paſtor. Qui Ioan. cap. 10. dixerat: Ego ſum paſtor bonus. Habetur uictima, id eſt, ſacrificatur. Fuſcata ſuo colore, id eſt, denigrata non aduentitio ſed ſuo: nam cũ Eccleſia in Canticis dicit. Nigra ſum ſed formoſa, ſubiunxit: Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim quia decolorauit me ſol, quod Eccleſia quæ ſucceſſit ſynagogæ & peculiariter uirgo deipara poteſt recte de ſe dicere. Clarifico, id eſt, præclaro. Prius obtulit. Hoc Euangeliſtæ nõ narrant, eſt tamẽ uero perquàm ſimile. Aduenientis. Cum ex ipſa carnem ſuſcepit. Redeuntis, id eſt ad ſuperos reſurgentis ab inferis.

DE AGNITIONE DOMINI in fractione panis.

MOx alijs conuiua potens in fragmine panis
Agnitus enituit, qui uerus panis apertis
Semper adeſt oculis, fidei quos gratia claros
Efficit, ut dominum uiuentem cernere poſsint
Cum foribus clauſis reſideret turba fidelis,
Sæpe dehinc proprios diuerſi temporis horis
Diſcipulos manifeſtus adit, ueſcentibus illis,

Extemplo nunc ora ferens, nunc piscis obusti
Atq; faui mandens epulas, quò rite doceret.
Corporeas res esse dapes, seseq; uideri
In membris, quibus ante fuit, formidine rursus
Plebis apostaticæ, dominum quæ cæca negasset
Pace salutantis sese intulit, atq; foratas
Expandens palmas, nudat latus, ast ubi Thomas
Cui Dydimus cognomen erat, cum fratribus unà
Non fuerat, dubiamq; fidem sub corde gerebat
Donec rursus eo pariter residente ueniret,
Qui nunquàm subtractus erat. Tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactuq; probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantem,
Agnitus hinc potius, quod sit dubitantis amicus
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
Instruit, & uanas cupit exercere figuras,
Non uult agnosci, non uult sua facta requiri,
Vt lateant sub nube doli, nebulaq; recludens
Omnia sollicitos odit simulatur amicos.

COMMENTARII.

MOx alijs. Quod saluator adiunxit se comitem duobus discipulis euntibus ab Hierosolymis Emmaunta: agnitusq; est ab illis in fractione panis. Ex

Luca cap. 24. Alijs. Duobus, *scilicet, illis discipulis. Verus panis.* De quo Ioan. cap. 6. *Panis uerus qui de cœlo descendit. Apertis oculis. Nam euangelista dicit: quod aperti sunt oculi eorum. Viuente, id est, Christum de quo Luc. 24. Quid quæritis uiuentē cum mortuis. Sæpe dein. Quod saluator uisus est postea discipulis alijs præbens seipsum uidendum, tum manifeste, tum multis argumentis. Ex Luca in apostolica historia*

Vescentibus illis. Ad illud respicit quod Lucas scribit. Et *conuescens præcepit illis ab Hierosolymis ne discederent, quanquàm in Græco non conuescens, sed conuersans legitur, hoc est,* συναλιζόμενος. *Ora ferens, id est, ueram faciem pre se ferens. Piscis obusti, id est, assi, & mellis. Ex Luca capite 24. Seseq; uideri. Subaudi doceret.*

Formidine rursus. Quod cum fores essent clausæ propter metum Iudæorum uisus est Iesus, discipulis. Ex Ioan. cap. ult. Turba fidelis, id est, Christi. Pace salutantis, id est, dicens pax uobis, &c. Expediens palmas, id est, expeditas ostendens. Et latus, lancea perfossum. Didymus. Ex Græco interpretatur geminus. Dubio sub corde. Dicebat enim nisi uidero in manibus eius figuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam. Nunq̃ subtractus erat.

Ipso

Ipſo Chriſto dicente Matth. cap. ult. Ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Probari, id eſt, in experimentum ſe præbere. Mentem labantis, id eſt, dubitationem amici titubantis. Agnitus hinc. Ex uulnerum commonſtratione. Factus eſt amicus. q. d. quod hoc fecit, ut amicum dubitantem conſeruaret. Quiſquis enim, ſenſus eſt, qui fraude quempiam uult decipere: laborat ne in furto deprehendatur, & omnia ſub tenebris inuoluit. Fraudes artifices, id eſt, artificioſas paßiue. Perſius. Artificemq; tuo ducit ſub pollice ulni. Figuras uarias, id eſt, res fictas & non ueras: nam figura ueritatis eſt imago. Sua facta requiri, id eſt, examinari. Sub nube: ſub tenebris ut lateant doli. Recludens omnia, id eſt, claudens, cum recludere ſit potius aperire. Vergilius. Veteres tellure recludit. Theſauros. Simulator, id eſt, qui ſimulat id quod non eſt. Solicitos, id eſt, curioſos & diligentes.

PISCANTIBVS PETRO, THOMA & filijs Zebedeis dominum apparuiſſe. Ioan. 21.

GNarus item dominus Petro piſcāte per æquor
Cum ſocijs captum eſſe nihil: dimittere lina
In dextras hortatur aquas, mox gurgite clauſo

Pendula fluctiuagam traxerunt retia prædam,
Per typicam noscenda uiam: nam retia dignis
Lucida sunt præcepta dei, quibus omnis in illa
Dextra parte manens concluditur, ac simul ulnis
Fertur apostolicis, domini ad uestigia Christi.

DE HOC, QVOD DISCIPVLI COgnouerunt Christum in comestione piscis aßi, ac eius mysterio. Lucæ. 24.

NEc piscis prunæq; uacant, & panis in uno
Discipulis inuenta loco, quis nã ambiget unam
His rebus constare fidem, quippe est aqua piscis
Christus adest panis, sanctus quoq; spiritus ignis,
Hinc etenim abluimur, hinc pascimur, inde sacramur.
Tunc epulis præceptor eos inuitat edendis
Alloquijs de more pijs, mensamq; petentes
Vnanimes, nota domini pietate fruuntur.
Et Christum sensere suum, modicoq; paratu
Postquàm uicta fames, & surrexere relictis
Rite thoris, an corde Petrus se diligat alto
Explorat dominus, Petrus annuit, ergo nitentes
Pastor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commendat oues, commendat & agnos
Hæc terno sermone monens, ut terna negantis

Culpa

Culpa recens, parili numero purgata maneret.

COMMENTARII.

GNarus.] Quomodo piscanti Petro cum Thoma & duabus filijs Zebedei Iesus uisus est in littore, qui cum nihil cœpissent iussa saluatoris misit rhete in dextram nauigij partem, unde facta est magna piscium captura, &c. Ex Ioan. cap. 21. Cum socijs, scilicet, Thoma, Iacobo, Ioanne, Nathanaële. Gnarus, id est, sciens nihil esse captum. Lina rhetia. Ex lino, Gurgite clauso. Quippe qui nihil piscium illis dederat. Rhetia pendula, id est, predentia cum extrahuntur ex mari. Prædam fluctiuagam, id est, pisces per mare uagantes. Noscenda .i. quæ rhetia figurate aliquid significant, aliud quàm qd' præ se ferunt. Nã rhetia dignis .i. electis siue prædestinatis. Lucida præcepta. Ex Psal. 18. Præceptum domini lucidum illuminans oculos In dextra parte manens, ad illud respicit quod legitur Matth. cap. 20. Statuet oues à dextris & hedos à sinistris, & quæ sequuntur. Nec pisces dicit enim euangelista, quod cum discipuli descendissent in terram uiderunt prunas & piscem superpositum & panem quæ omnia quid significent exponit. Nam piscis est aqua per quam regeneramur. Panis. Qui descendit de cœlo quo pascimur. Pruna, id est, ignis spiri-

tus sanctus quo sanctificamur. De more. Quo illos consueuerat alloqui cum inituri erant cœnam. Bonitate domini, id est, largitate quadam profusa. Suum Christũ, id est quo frequenter usi sunt in conuictu et familiaritate. Relictis rite toris, hoc est cum gratiarũ actione. Alto corde, id est, medullitus & ex animo. Explorat, id est, inquirit. Petrus annuit, id est, assentitur, dicens: Tu scis domine quia ego amo te. Pastor amans, id est, cupiens. Greges nitẽtes, id est, pingues nam pinguitudinem sequitur nitor. Bono operario, id est, Petro omni ex parte bono, quippe q plus quàm alij Christũ amabat. Terno sermone, id est, triplici admonitione: ut Ioan. scribit. Vt qui ter negauit, ter fateretur se plurimũ amare: terq; illi Saluator tanquàm fideli dispensatori oues suas commendaret.

CHRISTVM DISCIPVLIS SVIS apparuisse, de pace uera præcepta inculcans. Ioan. 14.

INde sequenda docens pacem omnes inquit habete
Pacem ferte meam, pacem portate quietam
Pacem per populos monitis dispergite sanctis.
Et mundum uacuate malis: gentesq; uocate.
Finibus è cunctis, latus qua tenditur orbis.
Iussis mando meis omnesq; in fonte lauari.

COM-

COMMENTARII.

INde sequenda quod Iesus apparuit discipulis dicẽs: Pax uobis, & instituit illos omnibus in rebus quas erant facturi, baptizarentq; omnes gentes: in nomine patris, & filij, & spiritussancti, ex Ioan. & cæteris in fine suorum euangeliorum. Pacem meam. Ioan. ca. 14. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis.

Gentesq; uocate. Matth. cap. ultimo. Euntes in uniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ. Lauari in fonte, id est, baptizari. Verg. in Buc. Omnes in fonte lauabo.

ASCENDISSE AD COELOS CHRIstum præsentibus discipulis, prædicandi potestate data. Marc. 16.

HAec ubi dicta pio dominus sermone peregit.
Bethaniæ mox arua petit: coramq; beatis
Qui tantum meruere uiris spectare triumphum
Aetherea euectus abit sublimis in auras.
Ad dextram subit ipse patris, mundumq; gubernat.
Iure suo, qui cuncta tenens excelsaq; & ima.
Tartara post cœlum penetrat, post tartara cœlum
Illi autem læti cernentes uultibus altas:
Ire super nubes dominum, tractusq; coruscos.
Vestigijs calcare suis, uenerantur, adorant.
Sidereasq; uias alacri sub corde reportant,

Quas cunctos doceant, testes nam iure fideles
Diuinæ uirtutis erant, qui plura uidentes,
Innumerabilium scripserunt pauca bonorum,
Nam si cuncta sacris uoluissent tradere chartis
Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
Sufficeret, densos per tanta uolumina libros.

COMMENTARII.

HAec ubi dicta.] *Quod posteaquã Saluator admonuit discipulos faciendorum, duxit illos in Bethaniã, & benedicens illis in cœlum assumptus est.* Ex Luc. cap. 24. *Subit.* Ascendit. *Mundumq́; gubernat.* Ipso dicente. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. cap. ultimo. *Post cœlum, id est, trans cœlum: quia non continetur cœlo diuina maiestas.* Et *post cœlum tartara: quia ubiq; est per præsentiam, & inane quod ultra cœlum cogitamus implet.* Vias sidereas, *id est, ipsi discipuli.* Iuxta illud Luc. cap. 24. & Acto. cap. 1. *Vos eritis mihi testes in Hierusalem &c.* Qui plura uidentes. *Ad illud respicit quod scribit* Ioannes *in calce sui* Euangelij. *Multa quidem et alia signa fecit* Iesus *in cõspectu discipulorum suorũ suorum: quæ non sunt scripta in hoc libro.* Bonorum, *id est, miraculorum.* Cingere, *id est, cõplecti.*

EXPLICIT LIB. V. PASCHALIS CARMINIS SEDVLII.

INCIPIT HYMNVS EIVSDEM, IN QVO CARMINE reciproco dimidium uerſus primi, finem cõplectitur uerſus ſecundi.

CAntemus ſocij, domino cantemus honorem,
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus,
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum cuncti periere minores,
Saluantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua ianua lœtho,
Et qua uita redit, ſola fuit mulier.
Frater iniquus erat, iuſtum qui perculit olim,
Damnator Chriſti, frater iniquus erat,
Tranſitus ille † monet, quid prima amiſit origo, † docet
Quid uentura parent tranſitus ille monet.
Arca uelatur aquis, homines ne perderet æquor
Ne pereant homines, arca leuatur aquis,
Sume pater populos, pro nati uulnere cunctos,
Cum ſumis Chriſtum, ſume pater populos.
Hoſtia ſumma patris, tacitis ſignata figuris,
Quam referat Chriſtus, hoſtia ſumma patris
Claudicat ecce uidens, dominũ dum præualet hæres,

Aspera gens Christum claudicat ecce uidens.
Reppulit ille famem, distractus crimine fratrum,
Venditus † est Christus, reppulit ille famem.
† à Iuda
Perfide corde peris, dum uastant omnia plagæ.
Dum cessant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoste sacer, reuocauit sanguine patres,
Sanguine nosq; refert agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas, populo gradiente per æquor,
Nunc populis mundis obruit unda nefas,
Murmurat impietas, manna ueniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat
Abstulit heu Christum, plebs sibi dura caput,
Lex dedit indicium ueteris de crimine pœnæ
Quodq; salus ueniat, lex dedit indicium
En lapis irriguis saciare incredule fonte
Qui Christum reprobat, en lapis irriguis,
Carpitur igne sacro munus uotumq; piorum
Seditiosa tribus, carpitur igne sacro.
Regna beata patris, legis non contigit hæres
Iesus dispensat, regna beata patris.
Destruit arca Dei muros, dum circuit hostem,
Sic hostem mundi destruit arca Dei.
Area uellus habet madido, sed uellere sicca est

Siccum tota madens, area uellus habet
Vincis honore Dei promiſſo munere gentes
Affectum natæ, uincis amore Dei.
Tu decus omne tuis, qui ſternis cæde Goliam
Qui uincis mundum, tu decus omne tuis
Maxima dona dei cuncti cecinere Prophetæ
Impleuit Chriſtus maxima dona Dei.
Pondera dura tulit, mandatum legis & iram
Gratia mandati pondera dura tulit
Virgo Maria nitet, nullo temerante pudorem
Poſt partum pueri, uirgo Maria nitet
Filius hic hominis fit maxima quæſtio mundi
Nobiſcum Deus eſt filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus hæc ſentit, & ambit,
Reſpuit heu mundus gaudia magna Dei.
Signa mouent populos cernunt magnalia cæci
Nulla tamen duros, ſigna mouent populos
Aſpera mors populis, ligno deducta cucurrit
Aufertur ligno, aſpera mors populis
Ipſe tulit dominus, pro pœnis munera ſeruis
Pro ſeruis pœnas, ipſe tulit dominus.
Vita beata necem miſeris auertere uenit
Pertulit à miſeris uita beata necem,
Lumen adeſſe Dei perſenſit tartarus ingens

Nec cernunt homines, lumen adesse Dei.
Mors fera per hominem miserum sibi subdidit orbem
Subdita contremuit, mors fera per hominem
Suscitat ecce genus, morti pater ille prophanus
Ad uitam Christus, suscitat ecce genus.
Hic populus dominum dura ceruice negauit,
Suscepit primus, hic populus dominum.
Sanguine læta redit fuso gens impia Christi
Gustato Christi, sanguine læta redit
Crimina cuncta suis terrenus contulit autor
Dissoluit Christus, crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus deuinxerat olim
Nunc reficit Christus, libera corda sibi.
Fortia uincla dedit peccati sæua potestas
Dulcis amor Christi fortia uincla dedit.
Iamq; super astra sedet, cuncti exultate fideles.
Perfide quid sæuis, iam super astra sedet
Mortuus ille tonat, cœlum terramq; subegit
Quid facient hostes, mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die Christi ueniente figura
Christus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent, & signa & secula prima
Nos sacra quæ gerimus, te properare docent.
Vnicus aduenięns firmauit uota piorum,

Vota dedit nobis, unicus aduenicns.
Paßio Christe tua, compleuit munera legis,
    Munera nostra replet, paßio Christe tua.
Hic homo qui Deus est, spes est antiqua piorum
    Spes in fine pijs, hic homo qui Deus est.
Munus erat fidei, toto credentibus æuo
    Qui dedit ut credat, munus erat fidei.
Te ueniente Deus, mundanus concidit error
    Occubuit mundus, te ueniente Deus.
Gratia plena Dei est, quæ totis gentibus extat
    Ascendant sectæ gratia plena Dei est
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem
    Discedant corui, sola columba redit
Adueniet dominus, dare digna pijs mala prauis
    Credite iam miseri, adueniet dominus.
Visio Christe tui, tormentum & pœna malorum est,
    Gloria cuncta bonis, uisio Christe tui.
Gloria magna patri, semper tibi gloria nate,
    Cum sancto spiritu, gloria magna Patri.

COMMENTARII.

CAntemus socij.] Sunt qui dicunt hoc opuscu-lum non esse editū à Sedulio, sed inter illius scri pta inuentum, quod satis est, ut Sedulij putetur esse. Nam & aliorum scriptorum opera non alia ratione

certis

certis autoribus accõmodatur, nisi quod illorum nomine prætitulata inueniuntur. Carmen est inuitatorium ad diuinas laudes canendas, in quo ueteris Testamenti miracula cum Noui miraculis comparat: atque iucundissima repetitione eodem hemistichio uersum penthametrum claudit quo hexametrum incipitur.

Cantemus honores, id est, laudes. Ore pio, id est, religioso. Personet Christo, id est, in honorem Christi. Primus superbus, id est, lucifer, qui propter superbiam ad inferos deturbatus est. Primus homo, id est, Adam, cũ tumuit, ex admonitione diaboli putauit ex pomi esitatiõe se futurũ deo parem. Vnius ob meritũ, id est, peccatum primi hominis. Minores, id est posteri

Vnius ob meritũ, id est, Christi: nam meritũ & in bonum et in malũ accipi potest. Sola mulieri, id est Eua quæ nos morti obnoxios fecit. Sola mulier, id est, uirgo deipara, quæ nobis ad uitã iter patefecit. Frater iniquus, id est, Cain, q̃ Abel testimonio Saluatoris iustum occidit. Frater iniquus, id est, Iudas Iscariotes, qui Christũ prodidit. Transitus ille. i. primi hominis præuaricatio. Prima origo. i. homo in statu innocentiæ creatus. Transitus ille, id est, Christi ad cœlos ascensio, quo & nos uenturi sumus. Arca leuatur, id est machina illa in modũ nauis iussu dei à Noë fabricata,

Arca

Arca leuatur, id eſt, Chriſtus qui ſumpta humanitate nos ſaluauit. Summe pater, id eſt, ò Abrahã qui propterea quod non dubitaſti filium tuũ Iſaac ſacrificare eſt tibi multarum gentium ex ſemine tuo repromiſſo. Geneſis cap. 22. Sume pater populos. Quos tibi filius per ſanguinis ſui redemptionem tibi recõciliauit. Hoſtia ſumma patris, id eſt, Iſaac quem pater hoſtiæ deſtinauit, quæ figura erat Chriſti pro nobis immolandi. Quam Chriſtus reſerauit, id eſt, aperuit.

Claudicat ecce uidens. De Iacob intelligit, qui poſteaquàm cum angelo luctatus eſt. Pede claudicauit. Quia emarcuit neruus fœmoris eius. Geneſis cap. 22. Videns dominum. Nam ſubdit, uocauitq́ue Iacob nomen loci illius Phanuël dicẽs: Vidi dominũ. &c

Hæres ſcilicet repromiſſionis primum factæ Abraham. Aſpera gens. Scilicet Iudæorũ quæ deũ exacerbauit. Claudicat uidẽs, id eſt, præuaricatur et uidens Chriſtum nõ uidet malignitate obcæcata. Repulit ille famẽ. Scilicet Ioſeph, q̃ uenditus à Iuda fratre cõſentientibus reliquis fratrib. in Aegyptũ ductus atq; Pharaone rei frumẽtariæ præfectus futuræ fami proſpexit. Ex Gene. ca. 37. Venditus à Iuda. Scilicet Iſcariote, qui uendidit Chriſtum. Perfide corde peris. De Pharaone intelligit: qui poſt conſumpta omnia

plaga

plagarum genera Hebræos abeuntes insecutus fluctibus maris obrutus est. Corde peris. Ad illud respicit quod scriptura dicit. Induratum est cor Pharaonis.

Perfide corde peris. De diabolo superato morte Christi potest intelligi, uel de eo eodem Iuda proditore qui se laqueo suspendit. Agnus ab hoste. De agno typico intelligit, quem iussit deus populo Israël assumere quartadecima die primi mensis, qui significabat uerum agnum, qui pro salute hominū immolatus est. Ex Exod. cap. 12. Conduxit patres. Id est, patriarchas ex captiuitate Aegyptiaca. Obruit unda, id est, fluctus maris rubri. Mersit nefas, id est, nefarios Aegyptios

Obruit unda nefas, id est tollit peccatū originale per baptisma. Murmurat impietas, id est, populus impius atq; deo rebellis. Manna ueniente, id est, cadente de cœlo. Exod. cap. 17. Panis Christus. Qui dixit: Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Murmurat impietas. Obtrectans facta Christi. Plebs sibi dura caput. De uitulo intelligit, quem populus sibi conflauit dum Moses faceret in monte moram. Exod. 32. Cultoris terræ caput; id est, uitulum animal ad arandum natum. Abstulit caput. Christum scilicet qui omnium est caput mysticum quem à se abalienauerunt. Lex dedit iudicium. De lege ueteri intelligit, quæ tota ad

pœnæ

pœnæ rigorem intendebat. Lex dedit indicium, ſcilicet euangelica, cuius autor fuit Chriſtus ſaluator, quæ condita eſt miſericordia. En lapis irriguus. De petra Oreb ex qua erupit aqua percutiente iſtā Moſe baculo. Lapis irriguus, id eſt, Chriſtus lapis angularis, ut inquit apoſtolus qui fecit utraq; unum, ex quo erumpit aqua ſaliens in uitam æternam. Ioan. cap. 4. Carpitur igne ſacro munus, id eſt, holocauſtū, qd' abſumebatur igne de cœlo deſcendente. Seditioſa tribus. ſ. Datan, Abiron & qui murmurauerunt contra Moſen, ex quorum numero ducentos quinquaginta ignis de cœlo combuſsit. Legis hæres, id eſt, populus Iſraël cui facta eſt repromiſsio. Chriſtus diſpenſat. Quia abdicato populo Iſraëlitico adoptatur in regnum cœleſte populus gentilis. Deſtruit arca Dei. Quæ ſepties circunducta Hiericho corruit. Ex Ioſua cap. 6. Arca Dei, id eſt, Chriſtus qui ut dictum eſt per arcam ſignificatur. Area uellus habet. Ex libro Iudicum cap. 6. de uellere Gedeonis quod in area poſuit, madefactumq; eſt, terra circumiacente ſicca, atq; iterum terra madefacta eſt uellere manente ſicco, quod utrunq; ſignificat fœcundæ uirginitatis incorruptionem. Vincis honore Dei. Ex libro Iudicum capite undecimo, quomodo Iephte iudex Iſraël uouit ſe ſacrificaturum quod-

cunq; ex domo sua primum illi occurreret: si filios Amon debellaret: cunq; filia primum illi occurrisset illam ex uoto deo immolauit. Effectum natæ. Lego effectum quia filiæ amorem religioni postposuit. Qui sternis cæde Goliam. Ex primo Regum cap. 17. Quo pacto Dauid Goliam philistæum superauit in certamine singulari. Tu decus omne tuis. Ex Verg. in Buc. usurpauit hoc hemistichium. Qui uincis mundum. Hic est Christus. Maxima dona dei, id est, beneficia homini conferenda restituendo illum pristino statui: quod prophetæ prædixerunt, & Christus impleuit. Pondera dura tulit, id est, attulit lex Mosis. Et iram. Nam præcipiebat sæuiendum esse insontes: Sed gratia mandati, id est, lex gratiæ, hoc est, euangelij. Tulit, id est, abstulit pondera dura, Christo dicente: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Filius his hominis, id est, puer ex uirgine natus. Fit quæstio mundi, scilicet, alius de illo aliud sentiente appellando fabri filium, cum peccatoribus consuetudinem habentem. Nobiscum deus est. Ad illud respicit quod scribitur Esaiæ cap. 7. Vocabitur nomen eius Immanuel quod interpretatur nobiscum deus. Mundus percepit & ambit, id est, continet ex Ioan. cap. 1. In mundo erat & mundus eum non cognouit. Signa mouent populos

id est

id est, gentes qui miraculis permoti crediderunt. Duros populos, id est, iudæos duræ ceruicis & rebelles. Mors ligno dedicata, id est, ex eo quod Adam de fructu ligni quod erat in medio paradisi comedit. Aufertur ligno, id est, cruce atq; Christi passione. Ipse tulit dominus. Pro contulit munera seruis pro pœnis, quas ab illis passus est. Ipse tulit dominus pœnas, id est, pertulit pro seruorum redemptione. Vita beata, id est, Christus qui huiusmodi uitam homini attulit. Auertere necem, id est, prohibere mortem, quæ ut dicit Apostolus stipendium peccati est. Lumen dei. Iuxta illud Esaiæ cap. 9. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Lumen Dei. Iuxta illud Ioannis capite 1. Et uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. Per hominem, id est, per primum parentem. Per hominem, id est, per Christum qui mortem moriendo destruxit. Pater iste prophanus, id est, diabolus. Suscitat genus, subaudi humanum adigendo ad mortem. Per hominem, id est, per primum parentem. Per hominem, id est, per Christum qui mortem moriendo destruxit. Pater ille prophanus, id est, diabolus. Suscitat genus. Subaudi humanum adigendo ad mortem. Dura ceruice. De Iudæis duræ ceruicis populo loquitur. Hic populus, scilicet, gentilis. Gens

impia Iudæorum, scilicet, qui Christum morti tradidere. Sanguine læta redit. Subaudi gens Christianorum refecta sanguine Eucharistiæ. Autor terrenus, id est, Adam ex terra formatus, qui mortem intulit mundo. Christus, scilicet, secundus Adam, id est, homo. Facinus definxerat, id est, peccatum Adam quod illum ex libero fecit seruum. Christus reficit, id est, restituit ex seruitute libertatem. Fortia uincla. Quibus homines per peccatum, quasi compedibus sunt impliciti. Et quibus arctissimè per charitatem Christo copulamur. Cœlum terramq; subegit. Matthæi cap. ultimo. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Pellitur umbra die, id est, figurata in lege ueteri reserantur in lege euangelica. Addit gentes. De uocatione gentium, & abdicatione Iudæorum plenum est testamentum uetus. Te properare docent, id est, prophetæ significabant Christum breui nasciturum ex uirgine. Sacraq; gerimus, id est, lex euangelica, quæ significat breui futurum diem iudicij. Vota priorum, id est, desideratus à sanctis patribus. Vnicus, id est, dei filius. Compleuit munera legis. Ipso Christo attestante in passione cōsummatū est. Spes priorū, id est, prophetarū. Spes cum fine id est, quem finem nos speramus. Munus fidei, id est,

merces

merces & præmium. Qui dedit, id est, per gratiam fecit. Concidit mundus, id est, hominum uitia: nam in hac significatione plerunque in sacris literis accipitur Totis gentibus. Quia peculiariter apud gentiles gratia manet. Sola columba, id est, Christiana simplicitas. Et alludit ad illud quod scribitur in Genesi capite octauo. De coruo & columba. Iuuenalis. Dat ueniam coruis uexat censura columbas. Quæ autem sequuntur patent.

SEDVLII PRESBYTERI HYMNVS IAMBICVS DImeter de Christo, succincte ab incarnatione usq; ad Ascensionem, eius opera complectens.

A Solis ortus cardine
Ad usq; terræ limitem
Christum canamus principem
Natum Maria uirgine.
Beatus autor seculi.
Seruile corpus induit.
Vt carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit

Castæ parentis uiscera
Cœlestis intrat gratia.
Venter puellæ baiulat
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit dei.
Intacta nesciens uirum
Verbo concepit filium.
Enixa est puerpera
Quem Gabriel prædixerat.
Quem matris aluo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit.
Paruoq́ꝫ lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet Chorus cœlestium,
Et angeli canunt deo.
Palamq́ꝫ fit pastoribus
Pastor creator omnium.
Hostis Herodes impie.
Christum uenire quid times?
Non arripit mortalia.
Qui regna dat cœlestia.

Ibant

Ibant magi, quam uiderant
Stellam ſequentes præuiam.
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Caterua matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora.
Quorum tyrannus millia
Chriſto ſacrauit uictimam.
Lauacra puri gurgitis
Cœleſtis agnus attigit.
Peccata quæ non detulit.
Nos abluendo, ſuſtulit.
Miraculis dedit fidem,
Habere ſe deum patrem.
Infirma ſanans corpora,
Reſuſcitans cadauera,
Nouum genus potentiæ.
Aquæ rubeſcunt hydriæ.
Vinumq́ iuſſa fundere
Mutauit unda originem.
Orat ſalutem ſeruulo
Flexus genu centurio.
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.

Petrus per undas ambulat,
Christi leuatas dextera.
Natura quám negauerat,
Fides parauit semitam.
Quarta die iam fœtidus,
Vitam recepit Lazarus.
Cunctisq; liber uinculis
Factus superstes est sibi.
Riuos cruoris horridi
Contacta uestis obstruit.
Fletu rigante supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore
Iussus repente surgere,
Suis uicissim gressibus
Aeger uehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex
Ausus magistrum tradere
Pacem ferebat osculo
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius.
Cruciq; fixus innocens,
Coniungitur latronibus.

Xeromyrrham post sabbatum
Quædam uehebant corpori,
Quas allocutus angelus
Viuum sepulchro non tegi.
Hymnis uenite dulcibus
Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum,
Qui nos redemit uenditus
Zelum draconis inuidi.
Et os leonis pessimi
Calcauit unicus dei,
Seseq́ꝫ cœlis reddidit.

COMMENTARII.

A Solis ortus.] *Hymnus hic à Sedulio compositus est, constatq́; dimetro iambico, digestusq́ꝫ est per tria & uiginti tetrastica, quæ incipiuntur secundum ordinem alphabetarium, in quod luserunt plerunque instrumenti ueteris autores: nam & David Psalmum centesimum decimum octauum, & Salomon librum Prouerbiorum, & Hieremias Threnos hac serie composuit. Aduertendum tamen etsi autor sua inuentione delectatus k literam suo in loco ponat, dicens: Katerua matrum personat, non sic debere scribi, sed per c literam. Quintilianus namque*

libro 1. eos reprehendit, qui dicebant cum sequeretur a uocalis loco c, k debere scribi, ut: Kartago, kaput, & quod hoc in loco Sedulius scribit caterua, & subdit causam cum c litera sit, quæ in loco k successerit. Præterea quod scribit hymnus sine aspiratiõe in principio, cum omnis dictio ab ypsilo incipiens, aspiretur. Sunt autem omnia manifesta: nisi quis dubitet, quid sit Xeromyrrha: nam cũ sit duplex myrrhæ genus, altera facta, id est, stillatitia, & altera fictitia, erit Xeromyrrha, id est sicca myrrha, erit opinor quæ ex ligno myrrhæ eliciur eo modo quo Xylobalsamum.

IVVENCI PRESBYTERI HISPANI POETAE CHRISTIANI

LIB. III. de historia Euangelica, emendati & multis erroribus purgati.

COMMENDATIO IVVENCI & operum eius.

D. Hieronym. de illustrib. uiris.

Iuuencus nobilißimi generis Hispanus, presbyter, quatuor Euangelia hexametris uersibus ad uerbum pene transferens, quatuor libros cõposuit: & nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia, floruit sub Constantino principe.

Idem in epistola ad Magnum urbis oratorem.

Iuuencus presbyter sub Constantino hystoriã domini Saluatoris uersibus explicauit, nec pertimuit Euangelij maiestatem sub metri leges mittere.

Idem super Matthæum.

Pulcherrime munerũ sacramenta Iuuencus Presbyter uno uersiculo comprehendit dicens: Aurum, thus, myrrham, regiq; hominiq;, Deoq; dona ferunt.

PETRVS CRINITVS DE VITA Iuuenci Hispani.

IVuencus poëta, natione Hispanus, familia insigni maximeq; illustri natus est, ut ab Hieronymo traditur. Præcipue floruit imperantibus Cõstantio & Constante: qua tempestate in eloquentia apud Latinos clari fue

rũ fuerũt Tiberianus, Nazarius. & Flauius Vopiscus qui de gestis Romanorum principũ libros composuit, Inter alia poëmata quæ dicuntur ab eo edita, scripsit quatuor Euangelia hexametris uersibus, qua in re maiori diligentia usus est in seruãda rerũ historia, quàm in demonstranda ingenij sui elegantia. Idem. Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facile indicauit se optime meritum de religione Christiana. Neq; dubiũ est fuisse illum inter sacerdotes Christianos, ut ueteres autores testantur. Diuus Hieronymus alicubi repetit Iuuenci carmina, cunq; ut eruditũ et elegantẽ poëtã cõmendat.

IOANNES TRITENHEYM ABBAS Spanhemensis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis.

Iuuencus præsbyter, natione Hispanus, uir nobilis atque doctißimus philosophus, poëta, rhetor & theologus insignis, & non minus conuersatione quàm scientia scripturarũ ecclesiæ uenerabilis. Edidit pro ædificatione legentiũ tam metro q̃ prosa multa præclara uolumina, sed pauca ad noticiam meam peruenerunt. Legi opus insigne quod hexametris uersibus cõposuit de quatuor Euãgelijs: libros quatuor. Inmortale nihil mundi compage tenetur. De Sacramentis libros duos.

cõpoſuiſſe dicitur ad manus noſtras nõ uenerũt. Claruit ſub Cõſtantino Magno et filijs eius. Anno Domini CCC. XXX. Baptiſta Mantuanus.

Volo ante iſtorũ oculos Iuuencũ Hiſpanum ſtatuere, quẽ inter illuſtres uiros et in doctiſsimorũ Chriſtianorũ catalogo Hieronymus enumerat, ut accidat eis quod à Perſio dicitur. Virtutẽ uideant intabeſcãtq; relicta, Prodite ô zoili noſtri. Videte uirum ſacris initiatum, myſterijs lauro coronatũ, muſis undiq; cinctum, lyram tenentẽ, currite ad rarum hoc et grande ſpectaculum: ſed cauete ne repente culpetis, laudatur à Hieronymo: hic igitur immenſam Euangelicæ legis maieſtatem uerſibus includit heroicis.

FRANCISCVS PETRARCHA IN Bucolicorum ſuorũ egloga decima, quæ laurea occidens inſcribitur.

Tum pinea late
Sylua uirens dulceſq; oleæ, gremioq; decorum
Clara fouens roſeo puerum ſtat limine uirgo.
Hæc matrona fuit hortis, quæ lecta remotis
Vimineis calathis templo aurea poma ſacrauit.
Mira loquarq; ſupra fidem, ſed carmina uidi
Hic hominis pariterq; aquilæ, bouis atq; leonis
Hiſpanum noſtra modulantem uoce Iuuencum.

IVVEN

IVVENCI HISPANI PRESBYTERI IN QVATVOR Euangelia Dominicalia,

PROLOGVS.

IMmortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea ſidera cœli.
Nam ſtatuit genitor rerum irreuocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat, flamma ultima mūdum.
Sed tamen innumeros homines ſublimia facta,
Et uirtutis honos, in tempora longa, frequentant,
Accumulant, quorum famam, laudesq; poëtæ.
Hos celſi cantus Smyrnæ de fonte fluentes,
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipſorum † diſcurrit gloria uatum, † decurrit
Quæ manet æternæ ſimilis, dum ſecla uolabunt,
Et uertigo poli terras atq; æquora, circum,
Aethera ſidereum iuſto moderamine uoluet.
Quod ſi tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ ueterum geſtis hominum mendacia nectunt,
Nobis certa fides, æternæ in ſecula laudis
Immortale decus tribuet, meritumq; rependet.

Nam

Nam mihi carmen erunt Christi uitalia gesta,
† populos *Diuinum in † populis falsi sine crimine donum.*
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus, hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc, cum flammiuoma descendet nube coruscans
Iudex altithroni genitoris gloria Christus.
Ergo age sanctificus aßit mihi carminis autor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
Dulcis Iordanis, ut Christo digna loquamur.

COMMENTARII IODOCI
Badij Ascen.

IMmortale nihil &c.] *In hoc prologo, seu potius præcentu autor proponit, & inuocat non sine operis sui, ob argumenti præcellentiam immerita commendatione, ut certe pudori esse debeat Christiani nominis Poëtis, tam paucos in uinea Euangelica laborasse, ut sint qui comperta ueritatis luce errorum umbras nebulosas adhuc sectentur. Sed missa hæc faciamus. Autor in hoc prologuio facile ostendit, quo sit ingenio præditus, & q̃ auream habeat in carmina uenã, nisi eã fidei, quæ captiuat omnẽ sensum & sobrietati euangelicæ cohibere malit. Vix enim quicq̃ aut sententiosius, aut delitiosius hoc Procemio inuenias.*

Confirmat

Confirmat autem illud Maronis in Georg. 2 Illum nõ populi fasces: non purpura regum Flexit. &c. Non res Romanæ perituraq; regna, &c. In quo secundum diuum Augustinum in propria persona loquens Poëta. Est romana regna peritura dicit: cum in persona falsi Iouis dicat Aeneid. 1. de Romanis. His ergo nec metas rerum, nec tempora pono. Imperium sine fine dedi. Sunt igitur regna Romæ peritura. unde dicit in arte Flaccus. Debemur morti nos nostraq;. Item. Mortalia facta peribunt. Et ut Fortunatus ait. Omnia prætereunt præter amare deum. Et ut ueritas in Euangelio. Cœlum & terra transibunt. Ordo autem hic est Nihil tenetur immortale, id est, incorruptibile, compage, id est, in cõpactione & cõstructione mundi, scilicet uniuersi quantũ est de natura eius. Non orbis, scilicet terræ est sup. immortalis non regna hominum, non Roma aurea, id est pulcherrima, unde Maro. Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma. Non mare repete semper est immortale: non tellus, non sidera ignea, id est de natura ignis aut ignei coloris. Nam genitor rerum, id est creator omnium deus, statuit tempus irreuocabile, id est, quod à nemine reuocabitur, quo flamma ultima, scilicet ignis cõflagrationis torrens, id est, per modum torrentis æstuans aut torrens, id est ar

dens, rapiet cunctum, id est, simul totum mundum. Sed tamẽ, id est, nihil ominus facta sublimia, id est præstantia. Et honos, id est, decus uirtutis, id est, uirtuti debitũ frequentãt, id est, celebrant innumeros homines in tem/pora longa, scilicet usq; ad cõsummationẽ seculi. Quorũ, scilicet, hominũ poëtæ accumulãt, id est, acumulando augent famã & laudes. Celsi cantus, id est, altisoni uersus fluentes de fonte Smyrnæ, id est, Homeri Smyrnei sup. celebrant hos, id est, quosdam ex illis & dulcedo, id est, camena Maronis, id est, Virgilij. Minciadæ id est, accolæ Mincij fluuij apud Mantuam fluentis, et ita ab eo denominãdi celebrãt illos, id est, alios. Nec, id est, & nõ et gloria ipsorũ uatũ, id est, poëtarũ, scilicet Homeri & Maronis, nõ discurrit minor quã eorũ qui cecinerũt, quæ, scilicet, gloria manet similis æternæ nõ tamẽ est æterna dũ secula, id est, tempora uolabunt, id est, celeriter transibunt. Et dũ uertigo, id est, motus poli, id est, cæli uoluet iusto moderamine, id est, mensura & pondere ac numero æthera, id est, cœlũ sidereũ, id est, stellatũ circũ terras atq; æquora. quod si [respicit ad se] carmina quæ nectũt mendacia gestis ueterũ hominũ, id est, id est poëtica meruerunt tã longã famã fi/des, id est, persuasio certa fundata super firmã petrã: tribuet nobis immortale decus [Iuxta quod Hierony

mus

mus: discamus scientias in terris quæ nobiscũ manebũt & in cœlis] in secula æternæ laudis, et respondet meritũ, id est, premiũ. Nã gesta uitalia, id est, ad uitã ducentia, aut æterna Christi: appositorie donũ diuinũ in, id est, erga populos. Sine crimine falsi. id est, falsitatis. Erunt mihi carmen, id est, materia carminis. Nec metus sup. est quia uerba Christi nõ transibunt. Ergo age. inuocat faciẽs mentionẽ nõ fontis musarũ, sed Iordanis in quo uis mundatiua cõperta. Cætera patent.

IVVENCI PRESBITERI DE EVANGELICA HIstoria Liber primus.

DE PARENTIBVS ET CONCEptione Ioannis Baptistæ præcursoris Domini, Lucæ. 1

Rex fuit Herodes Iudæa in gente cruentus,
Sub quo seruator iusti templiq; sacerdos
Zacharias, uicibus cui templum cura tueri,
Digesto instabat lectorum ex ordine uatum.
† Cuius inhærebat thalamis dignissima coniunx,

† Huius

Cura ijs ambobus parilis moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit ijs soboles, iam tunc uergentibus annis
Gratius ut donum iam desperantibus esset.
Sed quum forte adytis arisq; inferret odores
Xacharias, † uisus cœlo descendere aperto
Nuntius, & soli iussas perferre loquelas.
(Cætera nam foribus plebes astrata rogabat,)

† iußus

COMMENTARII

Rex fuit Herodes. Exprimit principium euangelij Lucæ dicentis. Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia. &c. Rex cruentus: ut qui tot innocentibus trucidatis, ne proprio quidem filio pepercit. unde dicunt Augustum dictitare solitũ: se male esse porcum quàm filiũ Herodis: quia cũ inter Iudæos uiueret suilla carne abstinebat, non tamen erat Iudæus. Qui ideò commemoratur rex, ut quia sceptrum ablatum erat à Iuda, uenturũ sciamus qui mittendus erat iuxta prophetiam Iacob. Gene. 49 Non auferetur sceptrũ de Iuda & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Seruator, id est, obseruator iusti, id est, iusticiæ: & sacerdos non tum ut multi uolunt summus. Vicibus, id est, per uices: sic enim seruebant. Ipse autem erat de uice Abia

tia. Ex ordine uatum, id est, prophetarum digesto, id est, in seriem reducto. Instabat scilicet officio uicis suæ. Coniunx, scilicet, Elizabeth de filiabus Aaron: moderaminis, id est, temperamenti æqui. id est, æquitatis, hoc est iustitiæ: quia erant ambo iusti. Præcepta legis tenebant ambos. Significantius quã si diceret ambo tenebant præcepta, ut uis præceptorũ dei significetur: urgentibus, id est, tendentibus ad finem ætatis. Gratius, &c. pulchra est ratio. Adytis sanctis sanctorum. Odores, id est, incensum thus. Astrata iuxta fores orans prostrata: quia omnis multitudo populi erat orans foris.

Quid tibi terribilis concussi corda pauore
Visus: tum læti sermonis munere placat?
Iam me propicius rerum pater unicus, alto
A cœli solio tibi nunc in uerba uenire
Præcipit: & chara tibi mox de coniuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat.
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.
Istius hic populi partem magnamq; docendo
Ad uerum conuertet iter dominumq; deumq;
Continuo primus noscet, plebemq; uocabit.

Quem gratia placet

Nomine Ioannem, quem tu uocitare memento.
Illi confusa respondit mente sacerdos.
Aemula promißis obsistit talibus ætas:
Nec senibus soboles poterit contingere feßis
Quàm deus auertens primeuo in flore negauit.
Hæc trepidans uates, cui talia nuntius † infert. ‡ addit
Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus.
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens insistere uerbis.
Nunc ego, quem dominus cæli terræq; † repertor ‡ Creator
Ante suos uultus uoluit parere ministrum:
Auribus ingratis hominis uisuq; receptus
Summi iussa dei non contemnenda peregi.
Quare promißis manet irreuocabile donum
Sed tibi claudetur rapidæ uox nuntia mentis,
Donec cuncta dei firmentur munera uobis.
Hæc ait † & subito tenues se misit in auras. ‡ & sese teneris immiscuit auris.
Interea populus miracula longa trahebat,
Quid tantum in templo uellet cessare sacerdos.
Egressus trepidæ numen uidisse supernum
Nutibus edocuit, miseræ & dispendia uocis.
Inde domum, remeat completo ex ordine uates ‡ rediit
Officio, amissamq; leuant promissa loquelam,
Nec dilata diu uenerunt munera prolis.

Anxia

Anxia sed uentris cælabat gaudia coniunx
Donec quinq; cauam complerent lumina lunam.

COMMENTARII.

QVid tibi. Ordo est. Et nuncius qui Græce dicitur ἄγγελος, missus proferre soli, id est, ad solum Zachariam [nam cætera plebes, id est, plebs astrata. sup. erat ad orandũ, foribus, id est. iuxta fores et ita foris] loquelas, id est, mandata dei rogabat. i. interrogabat eũ quod. i. ad quid ego uisus tibi terribilis cõcußi corda. s. tua pauore, tũ id est, deinde placat, id est mulcet & leuit eum munere, id est, officio sermonis læti. Dixit enim: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Rerum pater unicus, id est Deus qui solus omnium uisibilium & inuisibilium creator est, propicius, id est, misericors, aut miseratus uenire in uerba, id est, ad te loqui, grandis rerum, &c. Erit. enim magnus coram domino, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Sobrius, quia abstemius, uinũ & siceram non bibet numine claro, id est, spiritum prophetæ, quia, Et spũsancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Et multos filiorum Israel conuertet ad dominum deum ipsorum. Si Euangelium Lucæ conferas nihil sit obscuritatis. Confusa mente: dixit enim unde hoc sciam? Ego enim sum senex, &c.

Emula, id est, aduersatrix & inimica talibus promißis, scilicet de filio generando. Deus auertens, id est indignatus aut dedignatus non tali munere. Hæc trepidans, id est, cum trepidatione sup. respondit uates scilicet, futurus. Quando canet. Benedictus dominus deus Israël &c. Cunctatio, id est, dubitatio & mora in credendo. Nunc ego, scilicet, Gabriel dixit enim: Ego sum Gabriel qui asto ante deum &c. Peregi, id est, plene exposui Iussa, id est, mandata dei. Donum, scilicet, dei, id est, filius dono dandus: uox nuncia mentis, quia uoces sunt signa conceptuum mentis, quæ rapida est: quia unico momento cœlos penetrat. Interea populus trahebat, scilicet, animo, id est, agitabat longa miracula. Qui, id est, cur, uel ad quod &c. Nutibus quia mutus effectus erat. Dispendia, id est, amißionē leuant loquelam, id est dolorem de amißione leuans loquelæ. Cauam quia rugosam lunã, id est, donec quinque essent peracti menses.

ANGELVS GABRIEL MITTITVR à Deo ad Mariã uirginē. *Lucæ. 1.*

al's Tunc

NVnc maiora de hinc idem mandata minister
Detulit, ad Mariæ demissus uirginis aures.
Hec desponsa suo per tempora certa propinquo
Abdita uirgineis caste pubescere tectis

Et

Et seruare diem, iußis permissa parentum.
Ad quam tranquillum sermonem nuncius † Infert.
Salue † progeniem terris paritura salubrem.
Desine conspecta mentem turbare uerendo
Nam tua concipient cœlesti uiscera iussu
Natum, quem regnare deus per secula cuncta
Et propriam credi sobolem, gaudetq; iubetq;.
Huic ubi sub lucem dederis sit nomen Iesus:
Ad quem uirgo dehinc: pauido sic incipit ore.
Nullos conceptus fieri sine coniuge dicunt,
Vnde igitur sobolem mihi nunc sperabo uenire?
Nuncius hæc contra, celeri sermone profatur
Virtus celsa dei circumuolitauit obumbrans,
Spiritus & ueniet purus, lectißima uirgo.
Ac tibi mox puerum casto sermone iubebit
Magnificum gigni, populis quem credere sanctum
Supremiq; dei natum, uocitare necesse est.
Sic cognata tibi, sterilis quæ credita cunctis.
Zachariæ coniux, mortali germine nuper
Aeuo defeßis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis, parent sic omnia iußis
Virgo dehinc, domino famulam nunc esse iubenti
Vt tua uerba sonant cernis seruire paratam.
Nuncius abscedens uacuis se condidit auris.

als Infit
als progẽie terras iutura salubri
als fatetur

COMENTARII.

NVnc maiora mandata, quas cõmißiones uulgus uocat: maiora quia maior est dominus quod seruus, rex quàm præco, deus quàm homo. Idem, scilicet, Gabriel qui in annũciatione dominica nominatur ut in negocio excellentißimo, unde eternũ meruit nomen. Detulit, id est deorsum à throno trinitatis in conclaue uirginis tulit. Ad aures, ut per quas conceptura erat. Suo propinquo, id est, consanguineo Ioseph: quia ambo fuerunt de domo Dauid, aliter Christus non fuisset naturalis filius, nec de fructu uentris Dauid: sed tantũ legitimus. Desponsa: quod euangeliũ dicit desponsata, utens pro desponsa, semel enim fuerat desponsa. Permissa iußis, id est, ex mandato et uoluntate parentũ Ioachim et Annæ: Pubescere, id est effici nubilis caste: quia in tectis uirgineis, id est, inter uirgines deo in tẽplo usq; ad annos pubertatis seruiẽtes. abdita, id est abstrusa, & ablata à cõspectu uirorũ. Ad quã, scilicet, Mariã uirginem. Tranquillũ, pacificũ: quia salutauit eam salubrem, quia saluatorẽ. Conspectu: euangelium tamen dicit turbatam in sermone, quia frequenter uiderat angelos: sed nunquàm talia audierat gaudet, scilicet, quantum ad se. Ex beneplacito suo, quia ipse est de quo dicit: in quo mihi conplacuit. & iubet quantum

tum ad uirginem: hoc est filius, altißimi uocabitur. Iesus bene trissyllabum, & secunda longa, & Mariæ ea dē breui posuit. Dicūt, scilicet, omnes physici. Circum uolitabit, id est, superueniet in te. Purus, nō corrumpēs sed purificans. Lectißima, id est electißima, quem necesse est populis: credere, id est, ut credant, si uolunt salui esse. Mortali germine, id est, ex semine hominis mortalis. Anxit miracula: quia supra naturæ uires concepit. Defeßis effetis æuo, id est senio, aut ætate senili Omnia iußis, scilicet, dei: quia non erit impoßibile apud deum omne uerbum. Vacuis auris, id est, euanuit ab oculis eius.

VISITATIO BEATAE MARIAE Lucæ. 1.

ILLA dehinc rapidis Iudæam paßibus urbem,
Zachariæq; domum penetrat, grauidamq; salutat
Elizabeth: clausæ cui protinus anxia prolis
Membra uteri gremio motu maiore resultant,
Et simul † exiluit mater concussa tremore, † exilijt
Diuinæ uocis completa afflamine sancto
Et magnum clamans, felix ô fœmina salue,
Felicem gestans uteri sinuamine fœtum.
Vnde meam tanto uoluit deus æquus honore
Illustrare domum, quam mater numinis alti

Viseret

Visceret? Ecce meo gaudens in uiscere proles
Exultat, Mariæ quum prima affamina sensit.
Felix quæ confisa fidem mox affore uerbis, — *credit finem mox affore uerbis*
Quod deus ad famulos, magnum dignando, locutus
Illa trahens animum per gaudia multa pudore
Suppresso, uocis pauitantia dicta uolutat.
Magnificas laudes animus, gratesq; celebrat — *Rependere*
Immenso domino mundi, uix gaudia tota — *Spiritus*
Ipsam te caperent, quod me dignatus in altum — *iste capit*
Erigere ex humili celsam, cunctisq; beatam
Gentibus, & seclis uoluit deus æquus haberi.
Sustulit ecce thronum sæuis, fregitq; superbos.
Immensis humiles opibus ditauit egentes. — *Largifluis*
Tunc illic mansi, ternos ex ordine menses,
Ad propriamq; domum repedat iam certa futuri. — *remeat*

COMMENTARII.

ILla dehinc Mira breuitate transit ad narrationem de uisitatione Mariæ. Nam per ea quæ dicit dat intelligere ea, quæ nõ dicit, ut post habitum cõsensum statim grauidam effectam, & mox Elizabeth uisisse. Rapidis passibus: abijt enim cum festinatione: nam ne scit tarda spiritus sanctus molimina. Penetrat, id est penitus intrat. Sequitur autem textum euangelicum fere ad uerbum. Membra anxia, id est, commota & ex-

ultan-

ultantia præ gaudio. Exiluit quia exclamauit uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres. Sinuamine, id est complexu recuruo. Vnde meam, &c. id est. Et unde hoc mihi ut ueniat, mater domini mei ad me. Felix quæ credit finem, &c Sunt qui legant. Felix quæ confisa fidem mox affore uerbo, id est que confisa es fidem id est promissum aut fidelitatem, &c. dicere posset. Exultauit ubi tua primum affamina sensit. Tuq; beata fidem domini quæ uerbo habuisti. Perficientur enim tibi quæ promiserit ille. Ordo est, felixque confisa sup. es fidem, id est effectum affore mox uerbo, quod deus locutus sup. est, ad famulam sup. suam dignando, id est, dignam faciens, aut repugnando magnum, id est, magnifice, ut sit pro aduerbio positũ aliter diceret magnus aut magno, unde & uirgo dictura est: quia fecit mihi magna, &c. Magnificas laudes celebrat, hoc est animus magnificat dominum. Vix tota gaudia mundi caperent te ipsum: aut ad deũ id dicit, aut ad animum: quia exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Thronum, id est, soliũ, quia deposuit, &c. Futuri scilicet partus. aut monitus Ioseph. Repedat, id est redit pedibus, tamen ut pie creditur post natiuitatem Ioannis.

NATIVITAS SANCTI IOhannis Baptistæ.

Luce. 1.

IAmq; aderat tempus, quo sarcina deserat aluum
Elizabeth; liquidas soluenda in luminis auras
Ad partus fama tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum, per gaudia mira frequentes
Concelebrant, nomenq; iubent genitôris habere.
Abnuit hoc genitrix, sed Iohannes uocitetur
Ingeminat, placuit muti tunc iussa parentis
Consulere in † scripto rogitantq; edicere nomen. († scriptoq; rogant.)
Sed prò mira fides, tabulis quum scribere tentat
Implicitam soluit per uerba sonantia linguam.
Mox etiam † assuetam penetrant spiracula mentem. († assueta)
Completusq; canit uentura conscia dicta.
Concelebrent cuncti laudes, gratesq; frequentent.
Astrorum & terræ, pontiq;, hominumq; parenti,
Visere qui uoluit, propriamq; absoluere plebem.
En beat antiquam gentem, cornuq; salutis
Erecto, indulget Dauidis origine lumen.
Hoc est quod prisci cecinere ex ordine uates,
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, ut iuste iusto seruare queamus.
Et tu parue puer, sanctus dignusq; propheta

Diceris

Diceris: dominum mox † progrediere uiandó. † *prægrediere*
Illius & populum duces per lumen apertum.
Errorem per te spernent, mortisq; tenebras,
Abrumpent omnes tua qui præcepta sequentur.
Ex hinc secretis in uallibus abdita semper
Vita fuit puero, donec poscentibus annis,
Vatis ad officium, pleno pubesceret æuo.

COMMENTARII.

IAmq; aderat. Prosequitur natiuitatē diui Baptistæ, & prophetiam Zachariæ in circuncisione pueri. Aderat, quia impletum est Elizabet tempus pariendi. Sarcina, id est, onus, scilicet, proles soluenda, id est, edenda turba collecta. fama, id est, per famam iubent. scilicet, die octauo. nomen genitoris, scilicet Zachariæ Iohannes primū producit, more Græcorum. Ingeminat id est, affectanter dicit, iussa, id est, uoluntatem, in scripto, unde postulans pugillarem scripsit, dicens: etiam uoce. Iohannes est nomen eius. Tabulis scilicet ceratis, hoc est pugillaribus. implicitam, scilicet prius innexam & impeditam. spiracula, id est, diuinæ inspirationes & potestates prophetandi. Complexus, scilicet spirituſancto. conscia uenturi, id est, rerum futurarum. concelebrent, cuncti, quia Benedictus dominus deus Israel. Parenti, id est, patri, &

creato/

creatori propriam,id est,suam,scilicet populum Israël.Beat,id est beatificat,quia erexi cornu salutis.Et tu puer,scilicet.Iohannes, diceris,id est,uocaberis progrediere,id est preibis uiando,id est,eundo.lumen apertum,quia uisitauit nos illuminare,id est,ut illuminet iis qui in tenebris,&c.Ex hinc pertransitum percurrit uitam Iohannis Baptistæ,sicut & Lucas.Puer autem crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis, usq; in diem ostensionis suæ ad Israël,quod hic dicit uatis ad officium.Pleno æuo,quia ubi creuerat in uirum.

IOSEPH COGITAT DImittere Mariam.

Matthæi. 1.

INterea Mariæ sponso miracula mentem
Sollicitant,manifesta uteri quod pondera uidit,
Et secum uoluit,qua nam ratione propinquæ
Dedecus oppressum cælet,thalamosq; recuset.
Talia tractanti torpescunt membra sapore.
Mox stertente: dei uox est audita monentis.
Tu sponsas capias uacat omni pactio fraude.
Spiritus impleuit sancto,cui uiscera fœtu.
Hanc cecinit uates uenturam ex uirgine prolem
Nobiscum deus est,cui nomen protinus ille

Hæc

Hæc præcepta ſequens, ſeruat ſponſalia pacta.

Aliud exemplar hos uerſus ſic habet.

Audiuitq; Dei ſuper horrida ſomnia uocem,

Accipe coniugium nullo cum crimine pactæ.

COMMENTARII.

Interea &c. Recitat quomodo Ioſeph cum eſſet uir iuſtus, & nollet uxorem traducere, id eſt, diffamare traducendo, cogitabat eam occulte dimittere: Non tamen licet autor id ſentire uideatur: omnes ita interpretantur ut putârit eam uitio ſuo grauidam: ſed cum non poſſet tantum peccati in ea credere, ſciret tamen de ſe non concepiſſe, cogitabat eam occulte dimittere neq; excuſans, nec accuſans eam. Miracula neſciuit tamen eſſe miracula, uoluit duarum ſyllabarum à uoluo, id eſt, cogitauit. Propinquæ, ſcilicet conſanguitate Dei monentis, ſcilicet, per angelum. Pactio, id eſt, contractus matrimonialis. Vacat, id eſt, uacua & immunis eſt. Vates, ſcilicet, Eſaias, nobiſcum deus, id eſt, Emanuel, ut notum per ignotum.

DE NATIVITATE SALVATOris noſtri. Lucæ. 2.

SED † cum ſorte † nouus capitũ diſcuſſio cenſus † tum
† Cæſareq; Auguſto iuſſus per plurima ſcribi: † noui
Deſcribebatur Syriæ, quam iure regebat † Cæſaris

S Cyrius Auguſti

iußis per Cyrinus: proprij cui tota per oppida fines
plurima ter Addebant populi, uires nomenq́; † genusq́;.
ræ. Vrbs est Iudææ Bethleem: Dauida canorum
† proprios Quæ genuit, generis censum, quæ iure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quod uterq; tradebat
Desponsamq́; sibi scribens, grauidamq́; professus:
† cõplures Hospitium amborum Bethleem sub mœnibus urbis
Augusti fuerant per parua habitacula ruris
Illic uirgo nouum † completo tempore fœtum
Edidit, & leni pannoso tegmine motu
Texit, cui durum cunas præsepe ministrat.

COMMENTARII

SEd cum forte nouus. &c. Describit natiuitatem dominicam de qua Lucæ 2. Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à preside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam ciuitatẽ Ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eò quod esset de domo & familia Dauid ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit & reclinauit in præ

sepio

ſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Hæc canit. Ordo in principio eſt. Sed cum cenſus nouus, appoſitorie diſcuſsio, id eſt, diſquiſitio capitum, id eſt, quot capita eſſent ſub Romano imperio. Et iuſſus, id eſt, imperatus ſub Cæſare Auguſto. Scribi per plurima ſcilicet, loca mundi [unde quod dicit Lucas uniuerſus orbis intelligitur illius regionis] deſcribebatur Syriæ id eſt, in Syria: quã, &c. Dauida accuſatiuus à Dauid Dauidos. Nouũ fœtum, quia ex ſpiritu ſancto conceptum. Cunas, id eſt, cunabula.

ANGELVS NATIVITATEM Chriſti paſtoribus nunciat Lucæ ſecundo.

Circa ſollicitæ † pecudes cuſtodia noctis — † pecorum
Paſtores tenuit uigiles per paſcua læta
Ecce dei monitu † uiſus deſcendere cœlo — † iuſſus
Nuntius ac † ſubito terror tremefacta pauore — † ſubitus.
Proſtrauit uiridi paſtorum corpora terræ.
Talis & attonitis cœlo uox miſſa cucurrit.
Ponite terrorem mentis, mea ſumite dicta
Paſtores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer eſt, Dauidis origine clara,
Qui populis lucem mox lætitiamq; propaget.
Hoc ſignum dicam, puerum quod cernere uobis

Iam licet implentem gracili præsepia uoce
Talia dicenti iunguntur millia plebis
Cœlestis cunctiq; Deum laudantq; rogantq;
Talis & uniti uox agminis aëra complet:
Gloria supremum comitetur debita patrem,
In terris iustos homines pax digna sequetur.
Et simul ijs dictis, cœli secreta reuisunt.
Pastores properè ueniunt, puerumq; iacentem
Præsepis gremio cernunt, post inde † sequentes
Dispergunt late celebris uaga semina famæ
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quod uera recurrant.

† frequentes

COMENTARII

Circa sollicitæ. Prosequitur illud ibidē. Et pastores erant in regione eadem, uigilantes & custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos & claritas dei circumfulsit illos. Et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudiū magnū, quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate David. Et hoc uobis signū. Inuenietis infantē pannis inuolutū: et positū in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantiū deū et dicentium

centiū: Gloria in altßimis deo: & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Et factū est ut discesserunt ab eis angeli in cœlū. Pastores loquebantur adinuicem. Transeamus usq; Bethleem, & uideamus hoc uerbum quod factū est, quod fecit dominus, & ostendit nobis Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam et Ioseph & infantē positū in præsepio. Videntes autē cognouerunt de uerbo quod dictū erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia uerba hæc conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes deū, in omnibus quæ audierant & uiderant sicut dictū est ad illos: hæc dicit. Ordo est. Custodia noctis sollicitæ, id est, sollicitantis, aut si est aduerbium. custodia noctis circa pecudes tenuit pastores uigiles sollicite. Per pascua læta, id est pinguia. Ecce nuntius, id est angelus uisus est, sup. eis Descēdere, id est labi. cœlo, monitu dei ac terror prostrauit corpora pastorū uiridi terræ, id est, in uiridē terrā. Tremefecta pauore subito. Et talis uox cucurrit missa celo, id est, cœlitus. attonitis, scilicet pastoribus. &c. Propaget, id est, gignet et producet. Gracili uoce infantili uagitu. Plebis tapinosis, id est humilitas sermonis est: quia euangelium dicit. militiæ

 celestis

cœlestis. Talis uox. Valla autem docet græce non esse hominibus bonæ uoluntatis: sed hominibus bona uoluntas, aut beneplacitum. Reuisunt, id est, repetant: quia discesserunt ab eis in cœlum. Veruntamen semper uidebant faciem dei, unde non dixissem: reuisunt. Semina famæ celebris, id est, Rumores bonos. Nocturnis monitis, id est, iuxta monita nocturna. Dicimus autem hæc monita monitorum: unde his monitis, & hi monitus monituum, rarius autem monitibus.

CIRCVNCISIO DOMINI Lucæ 2

Viderat octauam lucem puer, ecce recidi
Ad morem legis, nomenq; aptare necesse est,
Impositumq; illi (monitis cœlestibus olim
Quod Mariæ uox missa deo præcepit) Iesus.

COMMENTARII

Viderat octauam. Prosequitur circuncisionem dominicã ea breuitate, qua & euangelista qui dicit: Et postquàm consummati sunt dies octo ut circideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus. Quod uocatum est ab angelo priusquàm in utero conciperetur, hæc dicit. Ordo est. Puer, scilicet natus nobis, uiderat lucem, id est, diem octauam, scilicet à natiuitate sua, id est, factus est dierum octo, ut consummati

mati sunt dies octo: ecce necesse est, non necessitate simpliciter dicta: non enim dator & autor legis erat sub lege de necessitate, sed de sua uoluntate: quia non uenerat soluere legem, sed adimplere, necesse inquam est puero. recidi pro circuncidi ad morem legis, scilicet. Genesis 17. Et aptare, id est, indere & applicare illi nomen. Et impositum est illi, sup. nomen Iesus. Quod uox missa deo. i. à deo praecepit Mariae. olim, scilicet, nouem mensibus, antequàm nasceretur. monitis coelestibus, id est, per monita celestia.

PVRIFICATIO MARIAE.

Lucae. 2.

Scripserat antiquae Moses moderamina legis
Inter quae primos prisco de sanguine uatum
Obseruare dedit foetus offerre sacrandos.
Implumesq; simul ferre ad delubra columbas.
Haec ubi per Mariam templo seruata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprendere † sensu — † sensum
† Coelestes uoces, cui quondam praescia rerum — † Coelestis uocis
Virtus prodiderat, quod carcere corporis aegri
Deposito, mortem liber requiemq; uideret.
Cum primum coeli laudem terraeq; salutem
(Omnia quem uatum spondent oracula) Christum
Vidisset templo solennes ferre † palumbos. — † columbas

Isq; ubi curuo defessus corpore templum
Iam grauior penetrat, monuit quod spiritus autor.
Ecce simul paruum gremio genitricis Iesum
Ad templum sensit uenisse trementibus ulnis
Accepit puerum, letusq; hæc dicta profatur.
† atris Nunc nunc me famulum dominus, nunc liberet † ar-
Corporis è uinclis, finemq; imponere uerbis (ctis
Dignetur cum pace suis, en splendida nostros
Lux oculos tua circunstat, radijsq; refulget,
† addit Quam cunctis hominum lustratis mentibus † addet
Israëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait: Hæc quid uirgo tibi tam mira uidentur?
Quid tantum Mariæ stupuerunt pectora matris?
Hic puer ad casum populis datur, iste renasci
† uide infra † Concedet populis, illi signum esse negabunt.
Fœderis: hi contra cœlo uenisse tenebunt.
Liuor edax faciet: letum ut percurrat amarum
Atq; tuam fulgens animam (mihi crede) machera:
Quo pateant tecti tenebrosa uolumina cordis
Hec ait in Simeone Deus, uox ecce prophetæ
Fœmineam sancto complet spiramine mentem.
Anna fuit natu grauior, quàm in flore iuuentæ
† Destituit † Constituit uiduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur casta charo pro coniuge uita,

Con-

Continuoq́; Dei cultu, quæ numine ducta
Cognouit Christum, & simili sermone locuta est.
Vnde ubi solennem pueri pro nomine legem
Compleuit genitrix, & Ioseph omnia mirans,
Ad patriam læti † repedant, puerumq́; reportant. † *redeunt*

Aliud exemplar supra positos uersus *sic habet: nam exemplaria in multis uariant.*

Concedet populis, dicta in contraria signum,
Istius adueniet percurrens debita læto,
Atq; animam matris ferro fulgente machæra.
Quo pateant tecti &c.

COMMENTARII.

Scripserat antiquæ Moyses, legi potest & Moses ut in Iuuenale. Sanè hanc legem habemus Exod. 24. Deutro. 1. Leuitici. 5. & 12. Primos, id est, progenitos, quia omne masculinum adaperiens uuluam. Sacrandos, quia sanctum domino uocabitur Implumes, quia adhuc pullos, ut qui non euolárint. Ad delubra, id est, templum domini. Sunt autem propriè in quibus erant simulachra delibrata, id est, decorticata, quæ in templo Iudæorum non erant, sed transferimus ad omnia templa. Ferūtur, id est, offeruntur. Ecce. q. d. de improuiso, comprehendere sensu mentis diuinæ & spiritus sancti per donum prophetiæ. Carcere corporis, sic

Paulus quoq; uocat, & Cicero de somno Scipionis. Cum primum, id est, cum tamen antea, uel ubi primum uel simul ac quod dicit Lucas: non uisurum se mortem nisi prius uideret Christum domini. Palumbos solennes, id est, ex lege institutos, dicuntur & palumbes, curuato corpore, ex senio: unde silicernium hominem decrepitū uocant, quod inuitus silicem cernat. Gremio diceret Valla, sinu, nisi forte dum pars superior in brachio recubabat, inferior in gremio fouebatur. Nam gremium est sub uentre ad femora. Simul, id est, statim postquàm. Nunc nunc, geminatio affectum notat, arcus uinculis, quia corpus est quidam carcer animi. Notum autem est canticum Simeonis: Nunc dimittis &c. Ad casum, id est, in ruinam multorū. Renasci per baptismum, signum esse negabunt. Insignum cui contradicetur, scilicet, ab infidelibus & perfidis Iudæis. hi, scilicet fideles. liuor, id est, inuidia scribarum & sacerdotum. Machera, id est gladius sup. percurrat, tecti, id est inscrutabilis deus, scilicet spiritus. Anna filia Phanuelis. charo, id est dilecto.

MAGI CVM MVNERIBVS ueniunt. Math. 2.

GEns est Eoi Phœbo orto proxima regni
Astrorum sollers, ortusq; obitusq; notare:

Huius

Huius primores nomen tenuere Magorum:
Hinc lecti proceres, Solymas per longa uiarum
Deueniunt, regemq; adeunt, orantq; doceri
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret.
Iam genitum, sese stellæ fulgentis ab ortu.
Admonitos uenisse uiam, quo supplice dextra
Exortum terris uenerabile numen adorent:
Territus Herodes, uatum legumq; peritos,
Quiq; prophetarum ueterum præsagia noscunt
Imperio accitos: iubet omnia † quærere legis. †acquirere
† Quo pateat, quæ sint genitalia mœnia Christo, †Quis
Omnia uenturum spondent quem oracula uatum,
Tunc manifestatur, Bethleem quod mænibus illum
Progigni maneat, cui sacram ducere plebem
Israëlitarum sancta uirtute necesse est.
Tunc iubet Herodes Persas pertendere gressum,
Inuentumq; sibi puerum monstrare † uidendum. †colendum
Ecce † uiæ medio stellam præcurrere cernunt †iterum
Sulcantem flammis auram, quæ in culmine summo
Restitit, & pueri lustrata habitacula monstrat
Gaudia magna Magis redeunt, sidusq; salutant.
Et postquàm puerum uidere sub ubere matris
Deiecti prono texerunt corpore terram:
Submissiq; simul mox mystica munera promunt

Aurum, thus, mirrham, regiq; deoq; hominiq;
Dona ferunt : totam mox horrida somnia noctem
Sollicitant : sæuumq; iubent uitare tyrannum
Deniq; diuersis Herodis callibus aulam
Diffugiunt : patriamq; magi rediere latentes.

COMMENTARII.

GEns est Eoi. Ordo est gens regni Eoi, id est, orientalis. Proxima phœbo, id est, soli orto, id est, dum oritur. Sollers, id est, perita notare, id est, in notis & secto puluere signare ortus et obitus, id est occasus astrorũ primores, id est, primates aut optimates saltẽ in philosophia. Huius scilicet gentis. tenuere nomen magorũ, ut in Perside. Proceres, id est, præstantissimi, quasi regni sustẽtatores. lecti, id est, delecti ad hoc deueniunt. Hinc, id est, ex hac gente et regno Solymas, id est. Hierusalẽ, alij Solyma dicerent. Per longa, id est, longinquitatẽ uiarũ. & adeunt regẽ, scilicet, Herodẽ. & orant, id est, precantur doceri, quæ regio Iudæa, id est, Iudaica. teneret puerũ iã genitũ. Imperium, id est, ad imperiũ, id est. ubi sit, qui natus est rex Iudæorũ, et sup. dicunt aut dicentes [Est aũt honesta eclipsis] sese admonitos ab ortu stellæ fulgentis uenisse uiã, id est, fecisse iter. quo, id est, ideò, ut adorẽt numen uenerabile i. deũ uenerabilẽ exortũ terris. Herodes territus iubet peri-

peritos uatū et legū.i.legisperitos. Et qui noscunt præsagia,id est,prognostica prophetarū ueterū.accitos.i. uocatos. Ad se,imperio,id est,per imperiū regiū. Iubet dico quærere, id est , inquirere omnia,id est,ꝓdigia et ænigmata legis. Alij habēt omnia,sup.scripta legisquo id est,ut pateat . quæ mœnia sint Christo genitalia.i . natiua.i.ubi debeat nasci. quē scilicet Christū . omnia oracula,id est,responsa & ꝓphetica dicta uatū respondent uenturū. Tunc manifestatur.s.à legisperitis et interpretibus prophetiarū.quod maneat,id est,firmū et fatale sit,illū ꝓgigni. Mœnibus . id est,intra mœnibus id est,intra mœnia:nescia tamen an habuerit mœnia, cū etiam noctu fuerit peruia pastoribus ad casam saluatoris.ab angelo missis. Bethleē,scilicet,patriæ Dauid cui,scilicet,gignendo in Bethleē necesse est , propter prophetiā, Micheæ 5.ducere sancta uirtute ,sanctā plebē Israëlitarū,quia scriptū est. Et tu Bethleē terra Iuda nequaꝗ̄ minima es in principibus Iuda . Ex te enim exiet dux qui regat populū meū Israël. Herodes iubet tunc,scilicet,postquàm cognouit ubi Christus deberet nasci,Persas,id est,magos qui apud Persas dicuntur sapientes,ut apud Græcos philosophi . Pertendere, id est perficere cursum scilicet,suū & monstrare sibi uidendum : imò adorandū puer inuentum. Ecce scilicet,

profecti

profecti ab Herode. Magi. *sup. cernunt stellã præcurrere. i. perire, sup. in medio uiæ, scilicet, faciẽdæ. sulcantẽ, id est, intersecantẽ. flãmis, id est, radijs claris. aurã, id est, aërẽ. quæ scilicet. stella restitit. i. mansit stans. in summo culmine, id est, uertice domus, ubi erat puer. & monstrat habitacula pueri. lustrata, id est, illuminata magna gaudia redeunt* Magis, *quia gauisi sunt gaudio magno ualde.* Et *salutant sidus, scilicet, apparens & postquàm uidere puerum sub ubere matris. ipsi deiecti, id est, prostrati, texerunt terrã corpore, scilicet, suo. prono. i. in terrã declinato, & summißi promunt simul munera mystica, id est, rẽ diuinam celantia, unde ferunt dona aurũ regi, thus deo, myrrhã homini morituro, diuersis callibus, id est, uijs, calcibus diuersis ab* Herode, *rediere in patriam.*

IOSEPH AB ANGELO PER VISVM admonitus, cum puero & matre eius in *Aegyptũ fugit, & infantes occiduntur.* Mat. 2.

IPsum etiam puerum monitis cœlestibus actus
Aegyptum cum matre simul transportat Ioseph.
At ferus Herodes *sibimet succedere credit,*
Quem callens astris quæsißet cura magorum
Quorum præcauto discessu sollicitatus,
Crudele tinxit Bethleemica *compita cæde*

In

Infantes mandans, teneramq; sub ubere plebem
Innocuam, in finibus rigido succumbere ferro.
Hæc etiam cædes olim præscripta manebat
Nam pius hanc uates diuino numine doctus,
Complorat † miseræ sobolis pro funere matres † *misero*
Horrenda grauiter pulsabunt ethera uoce
Ast ubi sopitus furor est, & sæua tyranni.
Infantum † roseo feritas satiata cruore.
Extinxisse putat cunctos, quos primus & alter
Annus læthiferi miserandus cesserat æui.

Septimus uersus in alio exemplari *ita habet.*

Infantes cunctos teneramq; sub habere plebem
Euellit ferro, nullo sub crimine culpæ

Item 12 uersus sic.

Horrendis grauiter cœlum pulsare querelis.

COMMENTARII.

IPsum etiã puerũ, &c. trãsportat Aegyptũ, id est, ad Aegyptũ, quia nõ trans Aegyptũ. Sibimet succedere met uacat, ut sit. credit, id est, ueretur succedere. sibi. i. quod succedat sibi. sup. is uidelicet Christus, quẽ cura Magorũ, callẽs. i. perita. quæsisset astris. i. per indiciũ astrorũ, quorũ. s. magorũ. ipse sollicitatus discessu præ cauto. i. ut ipse putauit ꝑcallido, et ut uerũ prius cauto

id est,

id est, ab angelis admonito & sancito. cõpita, id est, uicos & locos cõmunes quos multi simul petũt. Cæde, id est, nece uiolenta. In finibus, id est cõplexu matrũ. Vates, scilicet, Hieremias, ut recitat Euangelium. Tunc adimpletũ est quod dictũ est per Hieremiã prophetã. Vox in Rama audita est ploratus, & ululatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit cõsolari, quia nõ sunt. Hier. 3. & 31. & Tren. 1. Voce horrendo, scilicet tyranno. Ast ubi non uidetur plenus sensus nisi legatur. Ibi, id est, tunc, aut nisi transeat cõstructio ad sequentia, & tunc tamen essent subobscura, ut sit. Ast ubi furor tyranni est sopitus, id est, sedatus & sæua feritas tyrãni satiata roseo cruore infantũ, putat extinxisse cũctos, scilicet, infantes, quos primus et alter. i. secũdus annus æui lœtiferi, id est, mortiferi. cesserat. i. cõesserat: existens, miserandus. Ioseph urgetur, &c.

REGRESSIO IESV CHRISTI EX Aegypto. Matthæi. 2

MIrandis rursus deuinctus membra sopore
Ioseph: urgetur monitis, Mariam puerumq;
Aegypto ad patriam uectare, ubi Nazara felix
Olim † prædictum puero dedit addere nomen. († prædicto)
Dixit & alterius quondam prænuncia uatis
Vox † instructa deo, ueniet mea proles († instincta)

Aegyp-

Aegypto ex alta terris lumenq́; salusq́;
Crescebat rapidis annorum greßibus infans,
Occurrens æuum sapientia præueniebat †gratia
† Omniaq́; in uultu & uerbis ueneranda † micabant †micabat

COMMENTARII

Mirandis. Vt dixi obscure continuetur, hæc particula cum superiori, unde mallē scorsum legere sic. Ioseph deuinctus, id est irretitus et astrictus membra, id est, habens membra sua deuincta sopore, id est, somno. urgetur rursus monitis mirandis. uectare, id est, ut uectet Mariā et puerū Aegypto, id est, ex Aegypto ad patriā, scilicet ipsorū in Galilea: ubi Nazara scilicet urbs, quæ et Nazareth dicitur felix, scilicet tanta prole. dedit addere, id est addidit. aut conceßit puero ut addat. nomen prædictum olim. id est multo ante: quia scriptum erat: quoniam Nazareus uocabitur Et uox prænuntia, id est, prognostica alterius uatis scilicet Oseæ, id est. dixit quondam mea proles, ueniet ex alta Aegypto: quia ex Aegypto uocaui puerum meum. Sapientia præueniebat, quia non nisi in apparentia hominum accipiebat incrementum, à primo enim instanti in omni sapientia ipse, qui patris sapientia est, perfectus erat.

IESVS INVENTVS IN MEDIO DO
ctorum subditus erat Mariæ & Ioseph, Luc. 2

† seruare ETiam bissenos æui comprenderat annos
Cum pasce ritum † seruando ex more parentes
† letis Ad templum † læti puerum perducere festis
Omnibus annorum uicibus de more solebant.
Ergo aderant paschæ pariter, cunctisq; diebus
Festorum impletis, patriam remeare parabant
Tum puer in populo comitis uestigia matris
Deseruit, templiq; libens secreta petiuit.
Illum per uicos urbis, perq; abdita tecta
† itineris Perq; † uiæ stratas, per notos, perq; propinquos
Quærebat genitrix: sed lux ubi tertia uenit,
† coronæ Ad templum properè remeat, uatumq; † choreis
Inuenit insertum: legumq; obscura senili
Tractantem cœtu: uix admiratio digna
De pueri uerbis senibus fuit: at pia mater,
† quæso Nate ait, amissum lachrymis te † quæro profusis
Anxia cum genitore gemens, quæ causa parentum
Secernit gressu, templiq; in sede retentat?
Ille autem, quid me tantum, quid quæritis? inquit
An nondum sentis genitrix quod iure paternis
Sedibus & domibus natum est habitare necesse.
Hæc ait, & gressum sociat, patriamq; reuisit

Nec genitrix tanti persensit pondera uerbi,
Ordine cuncta tamen cordis secreta † reseruant. † reseruat
At puer obsequijs apte prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens † uectabat amorem † uectebat

COMMENTARII

ET iã bissenos, id est, factus erat annorũ 12. De more, id est, cõsuetudine. Libẽs autẽ uoluntarius quia libẽter ingrediebatur templũ patris sui, aut ex industria deserens matrem, ut esset in ijs quæ erant patris. Tertia, id est, tertius dies. Choreis, id est, choris legendũ tamen putem coronæ. uatum, id est, peritorũ uaticiniorũ, scribarũ et legis peritorũ. senili cœtu seniũ uix digna, id est, satis ampla: quia maior erat sapientia in uerbis pueri, quàm admiratio in presbyteris. te quæso, id est, frequenter quæro. legerem tamen quero. Secernit, id est, separat à congressu parentum. Sedibus & domibus, id est, in ijs quæ patris mei sunt. quod forte non de domo, sed de doctrina intelligendum esset. Persensit, id est, non intellexit, quia, Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad eos. Reseruant, quia & mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. At puer obsequijs, quia erat subditus illis & proficiebat sapientia & ætate & gratia apud deum & homines.

DE BAPTISMATE IOANNIS IN Iordane, & de uictu et habitu eiusdem

Christus baptizatur, cœlũ aperitur, uox patris auditur. Mathæi. 3 Marci. 1 Luce. 3 Ioannis primo.

INterea ueteris scripti per debita currens
Omnia seclorum series promissa trahebat.
Zachariæ soboles desertis uallibus omnes
Ad deponendas maculas clamore uocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lauacra
† Quis animæ species abluta sorde niteret. (marg.: † Quæis)
Esaias uates cecinit, quod numine iussus,
Vox late resonat desertis uallibus amplas
Sternite iam stratas, omnis fit recta uiarum
Semita, quæ domini † plantis calcanda beatis. (marg.: † digne uestigia gestet)
Subsident colles uallis complebitur omnis.
Corriget anfractus callis bona linea recti.
Corporeisq; oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor dominusq; salutis.
Ergo aderant populi, paßimq; hinc inde ruentes
Complebant ripas auidiq; lauacra petebant.

COMMENTARII

INterea. Ordo est. Series, id est, ordinata processio seclorũ, pro seculorum, id est, temporum. currens per

debita ueteris scripti, id est, antiqui testamenti, hoc est facies quæ in lege ueteri prædicta erãt. Trabebat, sup. secum, aut exercebat omnia ponnissa, scilicet per os prophetarũ à deo Soboles Zachariæ. s. Ioannes Baptista. etc. Ad deponendas maculas, id est ad pœnitentiam & baptisma. Quis, id est, quibus lauacris. sternite iam stratas, scilicet uias. Dicit illud: Ego uox clamantis in deserto, &c. Anfractus, id est, indirectas & obliquas uias. i. bona linea, id est, sententia recti callis. Lumen se serenũ, scilicet, Christũ solẽ iustitiæ, quia uidebit omnis caro salutare dei. Vnde Ioannes prodens ipsum digito dixit: Ecce agnus dei, ecce qui tollit pecata mundi, etc Indulget, id est, indulgenter et multum benigne concedit. Est autem propriè indulgere se pronum exhibere & incumbere. Lauacra, bene penultimam producit.

TExta camelorum fuerant uelamina setis
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam
Auis qui solitus ruralibus esse locustas
Et tenuem uictum † syluestria mandere mella:
Isq; ubi tot populos diuersis sedibus ortos,
Irruere ad fluuium cernit: sic increpat ore.
Vipereæ gentis soboles, quis debita uobis
Supplicia, urgentesq; iras euadere monstrat
Sed facite ô miseri fructum (si pœnitet) aptum

† præbent sylaestria mella

Nec

Nec generis uestri tollat fiducia mentes.
Nam potis est dura superum rex cote creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat,
Proxima roboreis iamiam radicibus instat
Cunctorum ante oculos† acies sublata securis. aciesq; leuata
Cædentur syluæ steriles, ignemq; fouebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui ueniet, sed fortior alter
Cuius uincla pedum non sum contingere dignus,
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumq; globis purgabit noxia corda,
Illius & manibus ruralis pala tenetur,
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaq; implebit secreti copia farris
Aeternusq; leues paleas populabitur ignis.
Hæc ait: & properis per syluam paßibus ipsum
Cernit Iordanis ueneranda lauacra petentem.
Sed uetat increpitans uates, & talia fatur.
Tú ne meis manibus digneris mergier undis,
Cum tua me melius poßint purgare lauacra?
Dixit Iohannes: cui talia reddit Iesus.
Nunc sine, nam decet hoc: sic sancta per omnia nobis
Iusticiæ consectandus complebitur ordo.

Hæc

Hæc memorans, uitreas penetrabat fluminis undas
Surgenti manifesta dei præsentia claret.
Scinditur auricolor † septemplicis æthera cœli
Corporeamq; gerens speciem, descendit ab alto
Spiritus aëream simulans ex nube columbam,
Et sancto flatu corpus perfudit Iesu
Tunc uox missa dei longum per inane cucurrit,
† Ambitumq; undis Christum, flatuq; perunctum
Alloquitur. te nate hodie per gaudia testor
Ex me progenitum, placet hæc mihi gloria prolis.

† cœli sep templicis æthra

† Ablutum

COMMENTARII.

TExta, id est, contexta uelamina, quæ erant non ad pompam aut delicias: sed ad honestatem, & necessitatem tegendorum membrorum causa. Setis, id est, præduris pilis. Et zonæ pellis, id est pellicinæ aut ex pelle confectæ. Edere locustas: nullo modo stat: quia edere, & locusta primam corripiunt. Dic ergo, qui solitus esse, id est, comesse & manducare locustas, id est, ut quidam uolunt fabas syluestres. Nam de infectis non recipitur cum carne non uesceretur. Et solitus mandere mella syluestria: appositoriè uictum tenuem, id est, exilem: sicut Aen. 3. Victũ infelicẽ Baccas: lapidosaq; corna Dant rami

 Tot

Tot populos. Expreßius dicit euangelista. *Videns autem multos pharisęorum & saduceorum uenientes ad baptismum suum dixit eis*: Progenies uiperarum, quis *demonstrabit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentię. Et ne uelitis dicere ista. Nos patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quoniam potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę.* Sed frustra euangelium quod in manibus est repeto. Quando, id est, quandoquidem. sua, id est, propria ipsius. sublata, id est, sursum ducta, ut fortius feriat: acies ipsius securis. uincla pedum, id est, corrigia calciamentorum. Flammarumq; globis, id est, in spiritu & igni. Ruralis pala apud Matthęum legimus uentilabrum. Est autẽ pala ut Varro docet, instrumentum rusticũ à pangendo dictum. Populabitur, quia comburet. Properis, id est, festinis. Ethera, nominatiuus est ab accusatiuo nominis ether hũc ethera, unũ fit hęc ethera sicut ab hunc statera, hęc statera, ab hunc cratera hęc createra, ab hanc caßidem uel caßida, hęc caßida &c. Est autem splendida pars cœli, unde dicitur auricolor. i. habens colorem auri, cœli septemplicis: quia septem sunt planetę, aut quia septem diebus tempora distinguimus. Nam sunt qui decem cœlos constituant.

Aëream

Aëream columbam, id est, aërei coloris, perunctum fla tu, id est, spiritu sancto.

POST IEIVNIVM QVADRAGINta dierum & noctium, Iesus tentatus est, & uicit. Math. & Luc. 4. Mar. 1.

N † Vnc petit umbrosos montes, & lustra feræ, † Tum
Obsequiumq; illi patris præbere ministri
Certabant, rabidi mox liuor demonis † atram † ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum uersutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,
Ex quo nulla cibi potusúe alimenta dabantur,
Sed contexta simul firmi ieiunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant,
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus.
Horrendi interea sceleris fallacia tentans
Si te pro certo genuit deus omnibus, inquit
His poteris saxis forti sermone iubere.
Vsum triticei, formamq; capessere panis.
Christus ad hæc fatur : Nil me iam talia terrent.
Nam memini scriptum: † quod non sit sola datura. † quoniam non sola te nebit.
Vitam credentis facilis substantia panis.
Sed sermone Dei complet pia pectora uirtus.

Rursus at ille dolos uersutis artibus aptans
Nectere tentator properat: nam mœnibus urbis
Mox inferre pedem sensit, uis liuida Christum
†suasit Culmine marmoreo † tendit consistere templi,
Tunc sic aggreditur uocis fallente ueneno.
Si deus est uerè genitor tibi, culmine templi
Aëra per uacuum saltu iaculabere corpus
Testis erit scriptura tibi quæ spondet aperte
†tale Mandatum summi genitoris † id esse ministris
Vt lapsum studeant casu defendere corpus
Et famulis manibus curent tua membra leuare,
Ne lapidis lædat summas offensio plantas.
Reddidit ijs dictis Christus contraria dicta.
Me meminisse magis scripti cœlestis oportet.
Ne uires domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda magis sensit fallacia Christum.
†olli Ostendens † illi fulgentia regna per orbem,
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum?
†tuo Cuncta † tibi possum iam iam concedere † regna,
†regno Talia donantem si me ueneratus adores.
Tum sic instantem dictis reiecit Iesus,
Effuge pestiferi rabies uæsana ueneni.
Hæreat ut semper nobis immobile iussum,

Vt iustus cœli dominum deuotus adoret,
Vnius & famulans ueneretur nomen in æuum.
Talibus excussus, fugit per deuia dæmon.

COMMENTARII.

NVnc, id est, postquàm baptizatus est. Ministri patris, id est, angeli. Egro scilicet, dæmoni male alato in Christum. Soles, id est, dies. Monuit corpus quia postea esurijt. Si te, &c. id est, si uerè filius dei es quod nõ sit sola, quia non in solo pane uiuit homo &c Culmine in pinnaculo. Iaculabere, id est, deijcies. Famulis, id est, famulantibus. Sensit consistere. Nõ dicit ergo quod diabolus eũ apportauerit, sed quod illic eũ inuenerit, unde illud: Iterum assumpsit eum diabolus, &c. Interpretantur sicut illud. Assumpsit Iesus discipulos suos, non portandos, sed comites: ac diabolus Christum non comitem, nec portandum, sed ducem aut assequendum. Reiecit, id est, reppulit. Iussum, id est, mandatum dei, sic apud Aulum Gellium legitur. Lex est generale iussum. Valla uult in singulari dici hic iussus huius iussus. In plurali, hæc iussa iussorum, quod quidem frequentius fit, tamen & hoc iussum legitur, unde est plurale hæc iussa &c. Excussus, quasi, è tergo cui institerat tentabundus.

Iesus

IESVS IOANNE CAPTO, secessit in Galilæam.

Matth. 4. Marc. 1.

ILLE ubi Ioannem cognouit carceris umbris
Submersum, tristi compreßit † corde dolorem.
Finibus & statuit Zabulonum ponere sedes,
Vt dictum Esaiæ concurreret ordine secli.
Terra Zabulonum, & regio cui Nephthala nomen.
Et uia trans pelagus longe Galilææq; rura.
Trans & Iordanem gentes populiq; tenebris
Inclusi: magnum lumen subitumq; uidebunt.
In mortisq; illis umbra residentibus alma
Exoritur fidei resplendens luce uoluntas
Ergo instare dei regnantis munera Christus
Nunciat, increpitans præconia larga salutis.

† corda dolore

COMMMENTARII.

ILle ubi Ioannem. Matthæus sic. Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, seceßit in Galilæã & relicta ciuitate Nazareth uenit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam. Terra Zabulon & terra Nephthalim uia maris trans Iordanem Galilææ, gentium populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam, &c.

&c. Finibus, id est, in finibus Zabulonum. declinauit latine. Nephthala, legitur in Euangelio Nephthalim, sed uocem fingit congruam metro, sicut prius Nazara. Pelagus, id est, mare & Iordanem. In mortisq;, &c. Quia habitantibus in umbra mortis, aut in umbra & morte, lux orta est. Alma uoluntas Dei, ut intelligatur de qua luce locutus sit propheta. Increpitans clamitans. Pœnitentiam agite. Appropinquabit enim regnum cœlorum.

PETRVM ET ANDREAM IOHANnem & Iacobum piscatores conuocauit. Mat. 4. Mar. 1.

PRæteriensq; ui let ponti per littora fratres.
Præsolidum Simonem, dignum cognomine Petri
Andreamq; simul sinuosa uolumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris undis.
Nunc inquit pisces capitis maris æstibus altis.
Sed me si libeat sectari, fortia uobis
Prouenient hominum præpulchra indagine lucra,
Illi confestim firmato pectore certi
Retibus abiectis, pariter præcepta sequuntur
Post † geminos Iacobum Iohannemq; marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu

† fratres

Vt uidit, similemq; dedit de littore uocem
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt,
Illico sectantes pulcherrima iussa salutis.

COMMENTARII.

PRæteriensq;, &c. Agit de uocatione Apostolorũ præsertim quatuor in titulo nominatorum Præ solidum Simonem: hunc secuti paßim Simonem secunda breui proferunt cum etiam Valla autore in opere quod de translatione noui Testamenti edidit, deberet penultima produci: sicut ab Horatio. Pythias emuncto lucrat à Simone talentum. Quinetiam deberet dici Simeon, ut idem asserit non Simon. Similiter Andreas deberet secundam corripere, quam hic & sequaces eius producunt. Sinuosa, id est, habentia multos sinus, hoc est retia. Marmoris, id est, equoris marmorei coloris. Maro. Et quæ marmoreo fert monstra sub equore. Aestibus, id est, æstuantibus undis & in freto. Fortia lucra, quia fortius est corda hominum quàm piscium corpora irretire. Confestim, id est, statim quasi cum festinatione. Pariter, id est, pariformiter, aut simul ac præceperat Iesus. Post geminos: errant qui fratres præponunt, quia si gemini sunt fratres intelliguntur, & uersus non patitur, quia licet Iacobum more errantium trissyllabum & secunda breuis

ni ponas, adhuc abundaret syllaba. Scandes ergo sic. Post geminos Iacobum, Ioannemq; marinis. Est enim Iacobus quatuor syllabarum uox, quarum tertia longa, unde Claudianus. Ne laceres uersus dux Iacobe meos. Post, id est, postea gregibus marinis, id est, piscibus. quos gregatim agere dicitur Protheus. Textu maculoso, id est, retibus, in quibus sunt plagæ & ligna maculosa. Similem uocem, scilicet: Venite post me & faciam uos fieri piscatores hominum. Zebedeum. bene penultimam corripit.

IESVS GALILAEAM CIRCVIENS pœnitentiam prædicat & uarios languores hominum curat, Matth. 4. Mar. 3. Ioann. 6.

EXin per terram Galilææ, sancta serebat.
(Insinuans populis) regni præconia Christus.
Donabatq; citam inualidis ægrisq; medelam,
Et mox crebra procul, Syriam iam fama tenebat.
Mille sonans linguis præsentia munera Christi,
Deniq; certatim languores tabe peresos
Diuersisq; malis nexos, quis longa dolore

Absum-

Absumpsit populans membrorum robora tabes.
Monstrabant Christo facili sed munere cunctos
Reddebat propere miranda ad gaudia sanos,
Lunaq; animæ ipsius morbij sæuiq; furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis
Discessere, graui sermonis pondere iussa.
Illum stipantes miracula magnam mouentem
Mixtæ sectantur turbæ. Solymiq; Syriq;
Et Iudæa frequens populus Galilæaq; plebes,
Quos & Iordanis dirimit stagnante fluento.

COMMENTARII.

EXin, id est, deinde, aut postea, aut ut dicit Matthæus: Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere pœnitentiam agite, &c. Præconia. id est præuia cantica, aut prima noua, regni, scilicet cœlestis. Citam, id est, subitam, non operatione herbarum, aut alterius uirtutis naturalis, sed diuina uirtute quæ præsens est. Syriam, in qua Iudæa est. Perosos absumptos & corrosos tabe, id est, lenta corruptione. nexos, id est, implicitos. populans, spolians. robora, id est, uires. Facili munere, id est, cito credentibus concesso beneficio. Lunæ cursum comitata insania, id est, lunaticorum. Pondere, id est, uirtute ac maiestate. Solymi, id est, Hierosolymitani, & Syrij ex alijs regionibus Syriæ.

Plebes

Plebes & trabes nominatiui sunt antiqui pro quibus per syncopam dicimus plebs & trabs. Iordanis dirimit, quod dicitur de trans Iordanem.

DE OCTO BEATITVDINIBVS ET multis alijs per ordinem.

Matth. 5. Luc. 6.

HOs populos cernens, præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit,
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit,
Illos nam cœli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat
Quorum debetur uiri pulcherrima tellus:
Hic modo lugentes, solatia digna sequentur.
Pabula iusticiæ qui nunc potusq; requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ
Felix qui miseri doluit de pectore sortem
Illum nam domini miseratio larga manebit.
Felices, puro cœlum qui corde tuentur
Visibilis deus ijs per secula cuncta manebit.
Pacificos deus in numerum sibi prolis adoptat
Felices nimium, quos insectatio frendens
Propter iusticiam premet: ijs mox regia cœli
Pandetur: gaudete operum quos iusta tenentes
Vrgebit preceps stimulis iniuria sæuis,

Plurima nam merces uobis seruatur in æthra,
Namq; prophetarum fuit insectatio talis.

COMMENTARII.

HOs populos, &c. Prosequitur sermonē domini in monte, de quo præclare Augustinus scripsit In rupe præcelsa. i. in mōte. Ascendit enim in montem Gremium cingentibus, id est, in circuitu sedentibus. Infit. i. loquitur aut dicit. Felices humiles, etc. i. Beati pauperes spiritu. His similes, id est, etiā felices et beati. Requirunt, id est, qui esuriūt & sitiūt iusticiā. Qui doluit sortē miseri. i. qui misericors est. Manebit, id est. certe sequetur. Manebit. i. futurus persistet. Prolis. i. filiorū suorum. Nam pacifici filij dei uocabuntur. Præceps id est, præcipitanter persequens. In æthra, id est, splendore cœlesti. Insectatio, id est, persecutio, hoc est. Sic enim persecuti sunt, & prophetas qui fuerūt ante uos.

APOSTOLOS SAL TERRAE VOcat. Matth. 5. Marci. 9. Lucæ. 13.

DIscite uos hac in terra salis esse saporem,
Hic sapor amissa si iam uirtute senescit,
Quæ salis absumptos acuet substantia gustus,
Nec quisquam uani post hæc superest salis usus
Ni longe abiectum cuncta ut uestigia calcent.

COMMENTARII.

DIscite uos, &c. hoc est. Vos estis sal terræ, quod si sal

si sal euanuerit, in quo salietur quod hic dicit: si senescit. Vani, id est, inutilis & infatuati. Calcent, id est, conculcent. Allegoricos uult discipulos, qui lumen aliorum futuri erant, non infatuari, nec desipere.

IIDEM LVMINA MVNDI DICVNtur. Matth. 5. Marci. 4. Lucæ. 8. & 11.

Vos estis mundi clarum (ne abscondite) lumen,
Nam † qui præcelsis impostā rupibus urbem † quis
Occultare queat? uestrum sed lumen ad omnes
Proueniat, rerumq́; decus sub luce serena
Ponatur, cunctis genitori gloria uestri
Laudetur celsi thronus est cui regia cœli.

COMMENTARII.

Vos estis mundi, &c. ne abscondite. Poëtice. Nā oratorie diceret: ne absconilatis. Impostam pro impositā, sicut Maro repostum pro repositum dixit. Genitori gloria. i. Sic luceat lux uestra, corā hominibus ut uideāt opera uestra bona, et glorificēt patrem uestrum qui in cœlis est. Si dicas id alibi uetat dicens Matth. 6. Attendite ne iustitiā uestrā faciatis corā hominibus, ut uideamini ab eis, alioquin mercedē nō habebitis apud patrē uestrū qui in cœlis est, &c. Dicā non opus bonum in publico uetari, sed laudis captationem

unde hic non dicit ut uideant opera uestra bona simpliciter nam addit. Et glorificent patrem uestrũ, hoc est, ut non quærant gloriam suam, sed gloriam dei. Quo circa dicere posset interpres, ut uidentes opera uestra bona glorificent patrem, &c. Est enim de copulato prædicato, ut Dialectici dicunt.

QVOD NON VENERIT SOLVEre legem sed adimplere. Matth. 5.

NOn ego nunc priscas leges dissoluere ueni,
Vertere, nec ueteres ponũt quæ iussa prophetæ
Omnia nam uobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cœli terræq;, marisq;
Interitus ueniat, legis ne litera saltem
Aut apicis parui gracilis distinctio deerit
Omnia quin fiant digesto ex ordine secli.
Si quis enim minimam mandati soluere partem
Ausus erit, pariterq; homines suadendo docebit,
Hic mimini nomen cœlesti in sede tenebit.
At quicunq; operis proprij moderamina seruans,
Inuiolata simul tradet præcepta priorum:
Magnus erit, magniq; feret trans sidera nomen.

COMMENTARII.

NOn ego nunc priscas, id est, prisci seculi Mosi datas, aut per eum latas. Ponunt quæ, id est, ea iussa

ẽa iussa, quæ ueteres prophetæ ponunt. Complenda manebunt. Euacuata tamen est lex quo ad ceremonias legales, & quo ad figuralia, ut sunt circuncisiones. Neomeniæ. Abstinentia à nõ ruminantium carne. Deerit, id est, non peribit. Est autem duarum syllabarum: quia id ferè obseruant, ut quoties de sequatur sum incipiens ab e, ex utraq; natura una syllaba unde legitur deest monosyllabum. Non deest prolato ieiunus uenditor auro. Ne litera, id est, ne unũ quidem elementum.

DE HOMICIDIO. MATTH. V. Exodi. 20.

AVdistis ueteris iussum moderamine legis,
Humano si quis maculârit sanguine palmas
Ille reus ferro persoluet uindice pœnas,
Ast ego præcipiam ne quis consurgere in iras
Audeat: atq; odio fratris feruente moueri
Nam reus hic æquo pœnas sub iudice reddet.
Nec minor illorum conuitia flamma sequetur:
Qui fatui miseri ue cient sub nomine fratrem.

COMMENTARII.

AVdistis, &c. hoc est, quia dictum est antiquis nõ occides, &c. omnia habẽtur, Matth. 5. Nec minor flãma, utpote gehennæ. Conuitia. Contumelias præsertim cum iniuria. Cient, id est, uacant aut appellant.

DE OBLATIONE.

Matthæi 5.

SIn offerre uoles, uenerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tangent:
Quod tibi ſit cum fratre domi ſuſcepta ſimultas.
Munera cuncta adytis illic admota relinque:
Et prius ad pacem properans tranſcurre petendam.
Fraterno demum iam conciliatus amori,
Offer grata deo tranquillo pectore dona.

COMMENTARII.

SIn offerre uolens. Hoc eſt. Si ergo offers munus tuũ ad altare, et ibi recordatus fueris: quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuũ ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum: quaſi dicat, tunc acceptum erit. Vnde hic dicit: Offer grata deo. Simultas eſt factio occulta. Adytum poſuit pro altari. Cum ſit quod adire non licet, ut ſancta ſanctorum.

ADVERSARIO, VIRTVTI SCILIcet & rationi quæ uitijs aduerſantur conſentiendum eſſe in uia, hoc eſt, in uita, & rationis dictaminibus parebimus. Matth. 5. Luc. 12.

EST tibi præterea ſemper contraria uirtus.

Corporis

Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita uitæ,
Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub iudice uinctum.
Damnatum rapient ad uincula sæua ministri,
Nec prius è tenebris † solueris carceris atri — † mitteris
Vltima quàm minimi reddatur portio nummi.

COMMENTARII.

ET tibi *&c. Hoc est, Esto consentiens aduersario tuo, dum es cum eo in uia, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouißimum quadrantem. Quis igitur sit aduersarius, cui consentiendum est, exponit autor dicens: quòd uirtus aut conscientia bene instituta.*
Solueris, id est, liberaberis.

DE ADVLTERIO.

Matth. 5. Exod. 20.

HAud ignota, reor, uobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens: sed nūc mea iussa
Occulta interne frenent molimina mentis.
Nec minus optati quàm facti pœna luenda est.

COMMENTARII.

HAud ignota. Quia audistis q̄ dictū est antiquis

Non mœchaberis. Ego aũt dico uobis: quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Molimina, id est, conatus & affectiones. Optati. Cum pleno consensu.

DE OCVLO ERVENDO, ET manu amputanda. Matth. 5.

SI te forte oculi dextri laqueauerit error,
Autorem miseræ properans conuellito labis.
Et iaculare procul, nam membrum perdere præstat
Exiguum: flammis quàm totum tradere corpus,
Perpetuisq; animam pariter conuoluere pœnis.
Et si dextra manus mentem per deuia ducit,
Erroris causam † magis utile uellere ferro
Quàm totum æternis corpus concedere flammis.

† præstat decidere.

COMMENTARII.

SI te forte &c. Prosequitur textum Euangelicum, Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te &c. Laqueauerit, id est, irretiuerit laqueo concupiscentiæ prauæ. Iaculare, id est proijce. Est enim iaculor deponentale. Membrum perdere præstat, id est, melius est, non tamen oculum, sed abusum eius eruendũ intelligit.

Vxorem

VXOREM NON NISI OB ADVLterium dimittendam. *Matth. 5. & 19. Marc. 10. Luc. 16. Deut. 24.*

Permittunt † ueteres, si quis connubia rumpit. † *præcipiunt*
Scribere dissidium iuris feralia uerba
Sola fieri recte discedet adultera tectis,
Ast aliæ maneant: nam casti iura pudoris
Autore amittet mulier deserta marito.

COMMENTARII.

Permittunt ueteres.] *Sunt qui legant recipiunt, sed re corripitur. Dissiduum iuris, id est, libellos repudij. Feralia, id est, mortalia uerba. Sola adultera, id est, propter adulterium. Mulier deserta autore marito, id est, repudiata legitime ab eo. Amittet iura casti pudoris, id est, non ducetur ab alio, quia qui dimissam duxerit, adulterat.*

DE IVRAMENTIS.

Matth. 5. Leuit. 19.

Antiquæ leges prohibent periuria linguis.
Sed nostris cedat iurandi audacia iussis.
Nec fas est homini cœlum iurare per altum,
Quod sedes Domini, nec † quæ uestigia gestat † *quod*
Terra dei: Solimæue urbis uenerabile nomen,
(Quod regis magni patria est) iurabitur unquam.

Nec caput in proprium cuiquàm iurare licebit,
Namq; potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, albumúe, aut nigrum mutare colorem.

COMMENTARII.

ANtiquæ &c. Audacia iusiurandi, scilicet in uanum, unde dicit: Ego aũt dico uobis nõ iurate omnino, neq; per cœlũ, quia thronus dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est magni dei: neq; per caput tuum iuraueris &c.

QVALIS ERIT RESPONSIO, ET quæ uerba interrogati reddemus Matth. 5. Iacobi 5.

EST est sufficiat, quod non est, dicere non est.
Quod superest istis totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo uis tetra ueneni.

COMMENTARII.

EST est sufficiat. Quia quod abundantius est, à malo est, id est peccato aut incredulitate.

QVALEM QVIS INFLIXERAT pœnam, talem ipse sustinere cogebatur: *par pari ueteri lege referebatur.* Matth. 5. Exod. 21. Leuit. 24. Deutero. 19.

Permu-

PEruulgata diu legis præcepta tenetis,
Lædentem ſemper ſimilis uindicta ſequatur.
Sed tranquilla malum melius patientia uincet
Ac ſi quis partem palma percuſſerit oris
Mox aliam partem uultus præbere memento
Auferat aut tunicam ſi quis ui iudicis inſtans
Cede libens, pariterq́; ferat tua pallia ſecum.

COMMENTARII.

PEruulgata &c. Peruulgata, inquit, eſt lex, qua uim ui repellere licet, & talionem inferre, ſed Euangelicũ conſiliũ monet: Si quis te in unã maxillam percuſſerit eidem alterã præbeas. Et ſi quis tunicã abſtulerit, ut eidem & pallium adferre permittas potius quàm litem foueas. Omnia aũt Euangelium conferenti nota ſunt. Sicut & ſequens particula.

HOSTI VRGENTI AD INFEſta ac moleſta inſeruiendum eſſe. Matth. 5.

SI te forte aliquis paſſus per mille iubebit
Ire uiam: grauis atq; oneris perferre laborem,
Mox perges, aliudq́; uiæ comitabere duplum.

DE ELEEMOSYNIS EROgandis. Matth. 5.

SI quis egens poſcet, uel ſi ſimulabit egentem

Ex

Ex animo miserans largire, aut mutua si quis
Orabit, tribue, & mitem ne subtrahe uultum.

COMMENTARII.

SIquis egens &c. Hoc est. Qui petit à te, da ei, & uolenti mutuare à te, ne auertaris

INIMICI DILIGENDI SVNT.

Matth. 5. Luc. 6.

NEc tibi sit placitum, solis succurrere amicis,
Aut cæcis odijs inimicos ducere dignos
Quin ego præcipuam semper blando esse per omnes
Obsequio, precibusq; deum mollire benignis
Pro uita ipsorum, qui uos excindere gaudent:
Aduersisq; truces animis odijsq; sequuntur.
Nam genitor uester communia lumina solis
Communesq; dedit pluuias, iustisq; malisq;,
Quod si coniunctos tantum ueneramur amicos,
Quis locus hic iustæ poterit mercedis haberi?
Seruit amicitiæ tantum gens dedita lucris
Sed uos † perfecti, similes estote parenti. † perfecto

COMMENTARII.

NEc tibi sit placitum, id est, ne placeat tibi, aut ne satis esse ducas. Odijs cæcis, id est, excæcantibus lumen mentis. Præcipuam. Consulendo potius quàm indicendo, aut mandando. Excindere. Perseq; qui & euertere, ut excinditur urbs.

Ostentatio-

OSTENTATIONEM INANEM IN bonis operibus uitandā esse.

Matthæi 6.

Sicubi iusticiæ pandetur iusta facultas.

SI tibi iusticiæ pendetur pulchra facultas,
† Diuites oculos hominum: nam nulla manebit
Merces in cœlo, quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantum sterilis iactatio uulgi
Sed quod dextra facit: facias nescire sinistram
Conueniet, iustis meritis tunc digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.

† deuitare

COMMENTARII.

SI tibi pendetur .i. impendetur et concedetur à deo Pulchra .i. honesta facultas. Iusticiæ .i. iustorū operum. Diuites oculos hominum: nam nulla merces manebit in cœlo, quæ sequatur factum. Tale. Scilicet coram hominibus. Iactatio, id est, extollentia. Sterilis, id est, infœcunda & inutilis. Vulgi, id est, uilis populi, applausu, sup. tali. Tantum, id est, tantummodo Sed cōueniet, ut sup. facias. Sinistram sup. manum. Nescire. quod facit dextra. Et tunc solus scrutator, id est deus qui solus scrutator est. Occulti, id est, secreti cordis, rependet præmia digna meritis iustis.

CAPTATIONEM LAVDVM HVmanarū in oratiōe declinandā ac euitandam. Matth. 6.

Sunt

SVnt quos prætumidæ tollit iactatio mentis.
Et precibus proprijs gaudet aßiſtere turbas
Multifluisq; diem uerbis ducendo fatigant.
His uotis pompæ fructus ſuccedit inanis.
Sed ſecreta domus precibus penetralia caſtis
Claudentur, paucisq; deum uenerabere uerbis.
Scit pater ipſe, tibi quæ ſit trepidatio cordis.
Nil abſente deo loquimur, nil abdita clauſum
Pectoris antra tegunt, præſens Deus omnia cernit,
His igitur uotum placeat concludere uerbis.

COMMENTARII.

SI quos &c. Docet ex Euangelio formã orandi. Aßiſtere, id eſt præſentes eſſe fructus inanis. quia beatitudinem impediens. Paucis uerbis, quia breuis oratio penetrat cœlos. Trepidatio, id eſt, quid cor trepidãs petat, his ſcilicet ſequentibus, in quibus continentur omnia, quæ nobis expetenda ſunt.

ORATIO DOMINICA.

Matth. 6. Luc. 11.

SIdereo genitor reſidens in uertice cœli,
Nominis oramus ueneratio ſanctificetur
In nobis pater alte tui, tranquillaq; mundo
Adueniat: regniq; tui lux ampla pateſcat.
Sic cœlo ut terris fiat tua clara uoluntas,

Vitaliſq;

Vitalisq́; hodie sancti substantia panis
Proueniat nobis: tua mox largitio soluat
Innumera indulgens erroris debita praui:
Et nos haud aliter concedere fœnora nostris.
Tetri sæua procul tentatio dæmonis absit:
Eq́; malis tua nos in lucem dextera tollat.
Tunc etenim genitor populis delicta remittet
Si uestra alterni uobis peccata uelitis
Credere nec durum erratis intendere pectus.

Commentarij.

Sidereo genitor. Prosequitur uersibus orationem dominicam. *In nobis sanctificetur.* Quia sancta est in se. *Sancti panis.* Interpretatio est de quo pane intelligamus. *Largitio*, id est, larga remißio aut clementia. *Absit procul.* Non à tentando, sed ab inducendo & uincendo. *Intendere*, id est, indurare per odium & iracundiam. *Alterni*, id est, alter alterius. *credere* in confeßione aut cedere, id est remittere.

DE IEIVNIO. *Matth. 6.*

SVnt etiam pergrata deo ieiunia plebis,
Sed propriam multifaciem fœdare laborant,
Quò uanam captent hominum ieiunia famam.
Tu uero & grato crimen † madefactus oliuo,
Lætantem puris de fontibus ablue uultum
Vt solus genitor deuoti pectoris aptum

† nitefactus

Seruitium

Seruitium cernens, laudet, meritumq́; rependat.

COMMENTARII.

SVnt etiam.] Iuxta Euangelium docet modum ieiunandi. Madefactus crinem. Habens caput unctum. Pro qualitate tamen religionis, id est, non dissimulans te magis extenuatum quàm sis: sed solito (dum modo temperatus sit) utens nitore.

TERRENO THESAVRO NON esse innitendū sed cœlesti.

Matthæi 6.

VAnum est defoßis terra inuigilare talentis,
Illic ærugo & tineæ dominantur edaces.
Cunctaq́; diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros uobis de uertice cœli
Non ærugo illos tineæue, aut horrida furum
Pactio diripiet uobis ubi condita res est
Illic corda etiam simili ditione tenentur.
Luc.11. Corporis est lumen quo publica lumina cernis,
Sed si pura acies oculis simplexq́; nitebit,
Clare totius splendebunt corporis artus.
Sin uerò nequam fuerit, prauumq́; uidebit,
Obscuræ incumbent super omnia membra tenebræ.
In nigras lumen sed si conuertitur umbras,
Ipsis horror erit quantus, sine luce tenebris?

NEMO

NEMO POTEST DVOBVS DOMInis seruire: nimiam curam de esca & uestimentis è corde eliminandam & ne plus æquo solliciti simus. Matth. 6. Lucæ. 16.

NEmo potest dominis æque seruire duobus,
Vnius aut odijs cedet, uel cedet amori.
Nec pariter dominum seruus patietur utrumq;.
Haud unquàm poterit quis diuitijsq; deoq;
Inseruire simul, sed uos hæc iussa tenete,
Sollicitet proprio ne uos pro corpore uestis,
Neu faciles uictus ægra disquirite cura.
Nónne animam pluris facimus quàm corporis escas?
Haud dubitet corpus quisquàm præponere uesti?
Aërias spectemus aues, non uomere presso
Terga soli subigunt, iaciunt nec semina farris,
Aut segetum culmos incurua falce recidunt
Prouenient tamen his faciles potusq; cibiq;
Nónne Deo magis est hominum curatio cordi?
Nec dignum fuerat, uestis suspendere curam
Pectoribus: si nunc habitam transire figuram.
Per se nemo potest aut quicquàm imponere membro
Cernite per pingues agros ut lilia florent,
Non ulli tamen ijs unquàm incubuere ligones,

Nec Salomona grauem, quum regni diuitis aula
Afflueret: talis contexit gratia uestis.
Quod si pratorum fruticumq; uirentia læta
Ipse deus uestit: nostris obnoxia flammis
Cur uobis potior non est fiducia patris?
Ergo cibum, potum, uestemq; & inania cuncta
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius digne cœlestia quærite regna,
Iusticiamq; dei: spontanea cætera currunt.
Crastina nec uobis curetur copia rerum:
Quisq; dies sibimet satis est pro fraude diurna.

Aliud exemplar uersum 16 & 17 sic habet.

Pectoribus nostris, num sicubi talia possint
Incrementa suis homines imponere membris?

COMMENTARII.

NEmo potest. Nota sunt omnia. Pluris facimus, .i. maiore precio, & est honestus sermo facio pluris aut minoris. Nec dignũ fuerat, id est. Et de uestimentis qui solliciti estis, &c. Si nunc habitam, &c. hoc est. Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum: Ligones, id est, instrumenta quibus terra colitur: dicitur autem secundum Varronem quod eo propter latitudinẽ quod sub terra

terra est facilius legitur, quasi sit dictum à legendo ligo, pro lego. Nec Salomona grauem, id est, potentem & sapientem regem. Est autem actiuus sicut à Platon Græco fit, hunc Platona, et à nominatiuo Ciceron, hũc Cicerona. Nam quæ nos in o masculina habemus, Græci in on habent. Quum, id est, quando. Fruticumq́;, id est, & uirgultorum. Virentia, id est, uireta. Nostris flammis, id est, exustioni solis quem deus oriri facit. Quisq; dies, &c. Sufficit diei malitia sua.

NON ESSE TEMERE IVDICANdum, & de festuca, & trabe in oculo, & margaritas non ante porcos ponendas. Matth. 7. Lucæ 6.

IVdicium uestrum fugiat damnatio sæua,
Nam dominus uestri iuris documenta sequetur,
† Quæcunq; in terris statuetis tempora capti
Hæc eadem uobis genitor seruabit in æthra:
Mensuram tibi quam ponis, portare necesse est:
Cernis adhærentem festucam in lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum consistere sentis.
Atq; oculum prius alterius purgare laboras?
Diripe sed proprio fallax de lumine tignum,
Tum minimam alterius curabis demere aristam

† Quæ uo[s]

Ne canibus sanctum dederitis: ne ue uelitis

Turpiter immundis iactare monilia porcis
Namq; illa in ceno pedibus subiecta iacebunt:
Conuersiq; canes uasto uos uulnere rumpent.

COMMENTARII.

IVdicium uestrum, &c. id est, nolite iudicando condemnare quenquàm. Quod euangeliũ dicit. Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condẽnare & nõ condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini: & in qua mẽsura mẽsi fueritis remetietur uobis. Sed ut dixi frustra repeto euangeliũ uestri iuris i. quo usi fueritis. Quæcunq; tempora, id est, tẽporalia iudicia. Capti .s. illecebris & diuitijs huius mundi, ob quas multi male iudicant. In æthra .i. in cœlo. Lignum significantius dicit euangelium trabem, quæ magna est: unde trabalis clauus pro firmißimo uinculo accipitur, nescio tamen an legendũ sit tignum, sicut postea fallax de lumine tignum, ubi mendose scriptum. Offendi trabem. Nam trabes & trabs trabis primam corripiunt. Nec canibus sanctum dederitis. Sic apud Ennium, quod citat in primo officiorum Cicero: Nec mi aurum dederitis. Sicut apud Ouid. Cum maris Ionij transieritis aquas. Et apud eundem. Vitam dederitis in undis. unde interdum in singulari reperitur is coniunctiui etiam in tertia coniugatione produci.

Vt apud Horatium. Cuncta manus auidas fugiunt hæredis amico. Quæ dederis animo. Monilia euangelium dicit margaritas, quæ monilibus inesse solent. Conuersiq; sues. Euangelium docet legendum esse canes, dicens: Et canes conuersi dirumpant uos.

PETENDVM QVAERENDVM & pulsandum esse. Matth. 7. Lucæ. 11. Ioannis 16.

Poscenti dabitur quærens inuenta tenebit:
Pulsantiq; aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poscentibus omnes
Num lapidem dabitis? piscem úe petentibus anguem?
Vos inquam rigidi, quibus alte est insita cordi
Duricies: uestris dabitis semper bona natis.
Indulgens † homini genitor bona mitia digne — † hominū
Quàm prestare magis gaudet poscentibus æquis?
Quæ cupitis uobis hominum benefacta uenire,
Hæc eadem uestro cunctis præstate fauore
Hæc legis summa est: hoc ius dixere prophetæ.

COMMENTARII.

Poscente, id est, petenti. Natis, id est, filijs. Quàm id est, quanto magis. Genitor, id est, pater cœlestis. Hæc legis summa est, id est. Omnia ergo

quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis: hæc est enim lex & prophetæ.

LATA EST VIA, QVAE DVCIT ad perditionē. Matth. 7. Luc. 13.

ITe per angustam iusti super æthera portam,
Quod lata & spaciosa uia est, quæ limite læuo
Præruptum conuoluit iter caligine mortis,
Innumeræq; illam penetrant per prona cateruæ.

ANGVSTA EST VIA, QVAE DVcit ad uitam. Matth. 7.

VItalis uastis stipatur semita saxis
Celsaq; uix paucos ducet per scrupea uirtus.
Ac si quos nimium fallax illexq; malorum
Planicies suasit, deformi lubrica lapsu:
Arripit hos pronosq; trahit uelut impetus amnis
Aut alacer sonipes ruptis effrenus habenis,
Aut rectoris egens uentosa per æquora puppis.

COMMENTARII.

ITe.] Id est, intrate. Quòd, id est, quia lata est &c. Semita uitalis .i. ducens ad uitam. Celsa.i. ardua. Scrupea.i. lapidosa ubi sunt scrupi, acuti lapilli pedes offensantes. Planicies.i. uia plana & lata. Fallax et illex .i. illectrix malorū. Quia boni nō sequūtur, aut ad mala: quia ad perditionē alliciēs. Lubrica .i. in qua labascunt

nesciũt pedes consistere. Sonipes, id est, æquus pedibus sonans: quia stare loco nescit. Ventosa. Concitata uento. Hæ autem similitudines autoris sunt.

DE PSEVDOPROPHETIS ET hypocritis. Matth. 7.

OBseruate illos, falso qui nomine uobis
Insidias faciunt, appellanturq́; prophetæ
Hos ouium species uestit, sed sæua luporum
Pectora fraude tegunt, lacerantq́; incauta trahentes
Agmina credendum, sæuus quos decipit error.
Fructibus è proprijs noscuntur talia monstra:
Quenq́; petat finem fallax doctrina, uidendum est.
Quapropter rerum molitio perspiciatur
Nam neq; de tribulis ficus, nec sentibus uuas
Prouenisse unquàm ruris per terga notastis.
Vtq; arbor proprio uestitur germine pomi
Sic dolus illorum, fructu monstrante patescit.

COMMENTARII.

OBseruate.] Quod Euangeliũ dicit: attendite à falsis prophetis. Elegãter dicit obseruate, sicut Comicus: Obserua Dauũ quid agat. Obseruamus aũt aliquem duobus modis: aut uenerationis gratia, ne eum offendamus, unde fit obseruantia: aut suspicionis, ne ipse nos offendat: aut decipiat sicut hic.

Falso, id est, ficto. Appellantur & tamen non sunt ueri prophetæ. Sæua pectora, Fraude luporum. Agmina. Scilicet ouium, id est simplicium & innocentium.

Talia monstra, aliud in corde & aliud in ore habentia, quod monstri simile est, unde & lupos uocat dominus. Quem finem, id est, quod institutum ac propositum. Mollitio, id est, laboriosus conatus. Terga ruris, id est, per superficiem terræ, aut potius per margines aruorum. Proprio germine, aut proprij pomi.

NON OMNIS QVI DICIT MIHI Domine domine, intrabit in regnum cœlorum. *Matth. 7.*

Non ego palpantũ uerbis & honore mouebor,
Nec me quod dominũ præblãda adulatio dicit
Præmia cœlestis capiet spontanea sedis:
Olli sed merito gaudebunt munere regni,
Qui faciunt nostri genitoris iussa uolentes.
Aduenet mox summa dies, quæ iure seuero
Præmia iusticiæ tribuet: sceleriq; gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus:
Nónne tuo quondam nobis sub nomine uirtus
Extitit, & nostris parebant omnia iussis?
Sæpe etiam nostra est uox annumerata prophetis:
Seruiuitq; tuo nobis sub nomine dæmon?

Tunc iu

Tunc iurabo illis, quòd talis cognita nunquàm
Vita mihi est hominum: gestis quæ sordet iniquis.

COMMENTARII.

NOn ego, inquit, dominus. Hoc est, nõ omnis qui dicit &c. Mouebor, id est, afficiar miseratione. Præmia spontanea, id est, mea sponte conferenda. Olli, id est, omnes illi. Imitatio est Virgilij dicentis li. 6. Igneus est ollis uigor. Volentes, id est, non coacti: quia fata uolentem ducunt, nolentem trahunt, ut dicit Seneca. Summa, id est, extrema & ultima, ut Aeneid. 2. Venit summa dies & ineluctabile tempus Dardaniæ. Iustitiæ. Iustis operibus. Virtus. Scilicet faciendi signa & miracula. Iurabo. Matthæus dicit: confitebor. Gestis iniquis dicerem factis: quia de priuatis loquitur.

DE DOMO EDIFICATO SVper petram uel harenam.

Matth. 7. Luc. 6.

QVisq; meis monitis, auresq; et facta dicabit,
Hunc æquabo uiro, solidis fundamina saxis
Ponenti: librata super quæ mœnia surgent.
Illa domus pluuijs uentisq; illæsa manebit,
Torrentumq; minas firmato robore uincet:
Hærent † immoto quoniam fundamine petræ. † immota

Qui uerò auditu tantum mea iussa tenebit,
Diuersisq́; procul factis per lubrica perget:
Hunc similem faciam uolucri, qui fulcit arena
Fundamenta domus, cui mox ut flamina uenti
Et pluuia effusis cœpere incumbere riuis,
Omnis subuerso procumbit pondere moles.
Insequiturq́; graui tectorum strage ruina.

COMMENTARII.

QVisq;.] Pro quicunq;. dicabit aures, sup. Suas, id est, audiet monita mea. Et facta. i. faciet secundũ ea. Equabo. i. æquiparabo, aut aßimulabo. Librata, id est, æquali libramine extructa. Torrentum, id est, subitorum amnium, à nominatiuo torrens. Petræ, id est, rupis aut saxi, id est, fundata sunt super firmam petram. Auditu tantum, id est, ea non faciens Lubrica, id est, lasciua & casum parantia. Volucri, id est, cito uolubili, Strage, id est prostratione. Omnis, id est tota moles: scilicet ædificij.

DE ADMIRATIONE IN POPVLO orta ex uerbis Iesu Christi.

Matth. 7. Marc. 1. Luc. 2. & 4.

TALia dicentem magna admiratio plebis
Immensum stupuit, quoniam transcenderet alte
Doctrinam ueterum, Christo concessa potestas.

COM-

COMMENTARII.

TAlia dicentẽ.] Hoc est. Et factũ est, cum cõsummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi.

IESVS DESCENDENS DE MONTE leprosum curauit.

Matthæi. 8. Marci. 1. Lucæ. 5.

DEniq; linquentem celsi fastigia montis
Stipabat gaudens populorũ turba sequentum,
Ecce sed horrenda confixus uiscera tabe,
(Quem toto obsessum fœdarat corpore lepra)
Procubuit uenerans iuuenis, Christumq́; precatur,
Vt careat tandem languoris pondere tanti,
Sufficiat uoluisse tuum: tum dextera Christi
Attactu solo purgauit lurida membra,
Incolumiq́; dehinc † celaret gaudia iussit
Et legi parens † offerret munera templo.

† celare hæc

† offerri

COMMENTARII.

DEniq;] Id est, cũ aũt descẽdisset Iesus de monte &c. uide principiũ 8. cap. Matth. Fastigia id est, summitatem. Stipabat. dense sequebatur. Confixus uiscera, id est, habens uiscera confixa. Sufficiat uoluisse tuum, id est, si uis potes me mundare.

Lurida

Lurida, id est, aspera & scabiosa. Celaret, id est, ut occultaret, dixit enim ei. Vide nemini dixeris, sed uade ostende te sacerdoti.

QVOD PVERVM CENTVRIONIS paralyticum curauerit.

Matth. 8. Luc. 7.

INde recedenti supplex se protinus offert
Centurio: & precibus proiectus talibus orat,
Impubis pueri cruciatur spiritus æger:
Cuius cuncta tepens membrorum munia languor
Dissoluit, uitamq; tenet iam pœna superstes.
Sed iussu miserere precor, nam tecta subire
Crimina nostra uetant, uitæ lucisq; parentem.
Nunc uerò satis est iubeas remeare salutem.
Subiectos mihi sæpe uiros, sic nostra potestas
Officijs uerbo iussis parere coëgit.
Dixerat, ille uiri motus precibusq; fideq;
Talia conuersus populo dat dicta sequenti:
Haud unquàm talem memini me gentis auitæ
Inuenisse fidem, sed ueris dicite dictis:
Quod multos homines diuersis partibus orbis
Progenitos, cœli regnum sublime uocabit:
Cum patribus nostris uitali accumbere mensæ.
Progenies quorum cæcis dimersa tenebris.

Denti/

Dentibus horrendum stridens, fletumq; frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
† At tibi iam, iuuenis mentis uirtute fidelis, † Ac
(Vt credis) ueniet fructus cum luce salutis
Dixerat, & dicto citius cum uoce loquentis
Ad puerum celeris † percurrunt munera uerbi, † transcurrunt.
Ingressusq; domum miles properante recursu:
Præuenisse dei lætatur dona medentis.

COMMENTARII.

INde recedenti. Matthæus dicit. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio. Precibus proiectis. Imo proiectus. Impubis, id est, nondum pubescentis. Pueri, id est, ministri. Munia, id est officia seu obsequia: erat enim paralyticus. Crimina nostra, id non sum dignus &c. Parentem, id est, autorem. Motus, id est, affectus miseratione. Aut motu, id est, affectu miserationis in puerum. Vocabit. Quod in gentibus uerificatur. Multi autem sunt uocati, pauci uerò electi, sed Euangelium loquitur de electis: quia dicit: Multi ab oriente & occidente uenient & recumbent cum Abraham & Isaac in regno cœlorũ. Nec obstat quod alibi dicit paucos electos: quia multi & pauci per respectum dicuntur. Multi respectu Iudæorum sunt electi ex gentibus: et pauci respectu

omnium

omnium uocatorum. Acta.id est subacta scilicet pro genies patrum. Horrendum,pro horrende.

SOCRVM PETRI FEBRICITAN-
tem tactu liberauit. *Matth. 8.*
Marc. 1. Luc. 4.

Anhela, id est, anhelās & anhelitū trahens.

AEdes inde Petri sanctus penetrabat Iesus
Cuius anhela socrus æstu,febriq; iacebat.
Vtq; illi dextram tetigit saluator Iesus
Sana ministerium præbebat fœmina mensis.

LIBER SECVNDVS IVVENCI PRESB. DE Euang. Hist.

DE PLVRIMIS CVRATIS, ET SCRIBA uolenti eū sequi,cui dicit nō habere *filiū hominis ubi caput suum reclinet.*
Matthæi 8. Lucæ 9.

I Amq; dies prono decedens lumine pon (tū
Inciderat: furuāq; sup nox æmula pallā
Sidereis pictā flāmis,p inane trahebat,
Cū multos homines,mētis languore ru (entes,
Deuictasq; animas scelerata dæmonis arte
Certatim populi cæca iam nocte ferebant:

Sed

Sed uerbum Christi tanto languore remoto,
Omnibus indulgens, præbebat munera patris.

COMMENTARII.

IAmq; dies etc.] Mere poëtice & delitiose describit quod habetur Matth. 8. *Vespere aũt facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus uerbo, & omnes male habentes curauit &c.* Dies inciderat pontum. Quia sol, qui causa diei est, uidetur imperitis stantibus ad mare in ipsum decidere. Vnde Maro Aeneidos 1. *Quid tantum oceano properent se tingere soles, hyberni.* Furuam, id est, nigram, unde furem dictum uolunt, quod in obscuro rem agat.

Pallam, id est, chlamydem, id est, tenebras: quia nox est umbra terræ. Palam flammis sidereis, id est, stellis nocte apparentibus. Per inane, id est, per aërem. Hoc autem principio nihil est cultius aut deliciosius, unde nisi religione astrictus fuisset, non deerat autori spiritus poëticus. Palla autem est uestis muliebris, ut pallium uirilis apud Græcos præsertim: nam Romani toga utuntur. Mentis languore. Quia obsessi erant dæmonijs. Scelerata, id est, iniqua & scelerosa. Dæmonis, id est, spiritus calidi. Cæca iam nocte, id est, cum esset nox obscura. Quæ cæca, id est, excæcãs dicitur, quòd nõ sinit uidere. Indulgens. i. se beneuolũ & misericor-

misericordem exhibens. Præbebat munera patris, id est, curauit omnes uirtute paterna, sed & propria in quantum idem erat cum patre.

Ecce sed exortus maior cum luce tumultus
Gratantis populi, cum turbis anxius ille,
In mare ueliuolum celsam deducere iußit
Discipulis puppim, precibus tum scriba profusis
Nauigio sancti pariter poscebat abire.
† Olli † Illi Christus ait, quò me tu scriba sequeris)
Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
Præbet, & aëreis auibus dat sylua quietem,
Ast hominis nato, nullis succedere tectis
Est licitum, gentis sic sunt molimina uestræ.

COMMENTARII.

Ecce sed exortus. Describit quod sequitur in Euangelio. Vidēs aūt Iesus turbas multas circum se, iußit discipulos ire trans fretum. Et accedens scriba ait illi. Magister sequar te quocunq; ieris. Et dicit ei Iesus. Vulpes foueas habent & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Gratantis, id est, gratulantis. Veliuolum, id est, in quo uela uoluuntur aut uolant: est autem Virgilianum epitheton. Discipulis. Dici posset ut in Euangelio, discipulos, sed utrunque admittit grammatica,

Excisa

Excisa aut uetustate exesa, aut unguibus & dentibus uulpinis cauata. Quietem, scilicet in nidis. Nato, id est filio hominis, scilicet, Mariæ. molimina, id est conatus, id est, tanta auaricia in uobis est.

IESVS DISCIPVLO PRECEPIT ut se sequatur, patre inhumato relicto. Math. 8.

Tunc è discipulis unus sic ore rogabat.
Vltima defuncto debentur munera patri.
Hinc spacium tribuat nobis tua sancta uoluntas,
Vt liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc + callem potius comitabere nostrum
Et sine defunctis, defunctos condere terra.

COMMENTARII

Tunc de discipulis. Prosequitur illud ibidem. Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Sine, id est, concede.

IESVM IN NAVI DORMIENTEM excitant discipuli, ut tempestatem sedaret. Mat. 8. Mar. 4. Luc. 8.

Conscendunt nauem, uentoq; inflata tumescunt,

Vela suo: fluctuq; uolat stridente carina
Postquàm altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus: & immensis hinc inde tumescere uentis
Ventorum rabies: mixtis hinc inde procellis
† instat † Cœpit: & ad cœlum rapidos sustollere montes
Pontus & abruptos tollit trans sidera montes
Et nuuc mole ferit puppim: nunc turbine proram,
† receptant Illisosq; super laterum tabulata † receptat
Fluctus † dissectoq; aperitur terra profundo
† disiectio Interea in puppi somnum carpebat Iesus.
Illum discipuli pariter nautæq; pauentes
Euigilare rogant: pontiq; pericula monstrant
Ille dehinc: quàm parua subest fiducia uobis?
Infidos animos timor irruit: inde procellis
Imperat: & placidam sternit super æquora pacem
Illi inter sese timidis miracula miscent
Colloquijs: quæ tanta illi est permissa potestas.
Quodúe sit imperium, cui sic freta concita uentis,
Erectæq; nimis submittant colla procellæ.

COMMENTARII.

Conscendunt nauem. Graphice describit tempestatem subortam, & à domino sedatam. Consurgere in iras, id est, inflari & turbare ut solent irati Procellis, id est, undis uentosis, à procellendo dictis

Ad

Ad cœlos, hyperbole est, ut ibi. Ter spumam elisam & rorantia uidimus astra. Sustollere, id est, sursum ferre. montes, id est, aquarũ globos. Puppim, id est, posteriorem partem nauis. Proram, id est, anteriorem dictam, quod proruat sulcando aquas. Illisos, id est, fractos fluctus. Tabulata, id est, ex tabulis concinnata nautarum solaria. Dissecto, id est, fisso & intercisso. Profundo, scilicet aquarum. Maro. Terram inter fluctus aperit. Carpebat, id est, auide sumebat. quàm, id est, ô quantum parua. Sternit, id est sternendo indicit pacem, id est, tranquillitatem.

IN TERRA GERASENORVM dæmonia expellit ab homine quibus nomen Legio, & in porcos mittit. Mathæi. 8 Marci. 5 Lucæ. 8

IAm Gerasenorum steterat sub littore puppis.
Ecce sed egresso iuuenis (mirabile dictu)
Occurrit miseram cui mentem spiritus ater
Horrenda implebat lacerans uirtute furoris.
Illi grata domus, tetris habitare sepulchris,
Nec poterat rapidum quisquàm retinere furorem.
Ferrea quin etiam rumpebat uincula membris,
Scindebatq; graues ut lanea fila cathenas

Et iam compedibus leuis insultare soluto
Ludus erat: saxisq; ferum concidere pectus,
† ubi Isq; † ibi pergentem Christum per littora uidit,
Cum clamore ruit, longeq; accurrit adorans.
Regnantis semper domini certissima proles,
Oramus: solitæ nec nos regionis ab oris
Excutias: longè tormentis excruciatos
Nam nomen legio est nobis, multosq; sub uno
Nomine consociat flatus uis sola nocendi
Cernis ut immundi subigunt hæc pascua porci
His saltem libeat rabiem satiare repulsam.
Per patris alti throni nomen sublime rogamus,
Imperat ijs hominis mentem dimittere Christus
Porcorumq; sinit gregibus finire furores.
Iamq; hominis stupidum discusso dæmone, pectus
Insperata suæ ueneratur dona salutis
Et iam præcipites scopulorum margine porci
† uitas In mare deiecti, properant disperdere † uitam
† Insanũ iu At uerò è speculis miracula tanta pauentes
uenem post Diffugiunt: urbisq; ruunt ad tecta subulci.
quàm resi= Et famam spargunt, populosq; ad littora cogunt.
pisse uide= † Insanum uerò iuuenem postquàm resipisse
bant Credere cernentum populorum turba coacta est
Orabant pauidi regionem linqueret illam.

COMMENTARII

IAm Gerasenorum. Recitat quomodo legionem dæmoniorum expulerit à corpore obsesso dominus. Egresso, scilicet, domino, dicere potuisset: ecce sub egressu. Spiritus ater, id est, malus & pernitiosus. Virtute, id est, ui. Nonne autem uirtus in malum accipitur, & tamen si uirtus à ui, etiam malis ut furoris uirtus est. Vt lanea fila. sup. scinderet, quod non humana ope uidetur potuisse. Leuis, id est facilis. ludus, id est, lusus. Ferum, id est, ferociens. Cum clamore, id est, simul clamans: significat enim concomitatum. Certißima. alludit ad Vergiliana carmina de Hercule. Ab oris regionis, scilicet huius. Immundi porci. q. d. quibus cum mundus sis parcere non debeas, & nos immundos addicere. Rabiem, scilicet, conceptam in hominem repulsam scilicet, à te. Est enim participium, non nomen. q. d. repercussam. Per patris altithroni, id est, sedentis in alto throno. Callida coniuratio, quia patri obsequentißimus erat. unde postmodum coniuratus per Dei uirtutem responsurus est iniquo iudici. Finire furores. quasi non passus sit in alia corpora post illa immigrare. Veneratur dona, id est, donatorem: aut dona quia gratias agendo: donis honorem facit. Subulci, id est, suum: hoc est porcorum custodes.

Tangitur autem causa cur dominus admiserit porcos à spiritu immundo agitari, ut uidelicet pastores miraculum diuulgarent. Resipisse, ab antiquo præterito sapiui, factum est resipisse, pro resipuisse. Nam à resipui fieret resipuisse

IESVS PARALYTICO SANATO iussit ferre lectum, Math 9 Mar. 2 Luce 5. Ioannis. 5

INde domum repedat terrarum lumen Iesus,
Ecce reuertenti iuuenis torpentia membra
(Officium quorum morbus dissoluerat acer)
Ante pedes ponunt tepido recubantia lecto
Quem miserans animo, uerbis compellat Iesus
Assit certa tuæ iuuenis constantia menti
Nam tibi præteritus uitæ donabitur error
Hoc dictum scribæ mentis per operta malignæ
Carpebant quod uerba dei uirtute ferenda
Protulerat Christus, sed pectora talia cernens,
Hoc, inquit, uerbum scribarum dicta retractant.
Quod † quantum facile fuerit dixisse sequentis († quanto leuius)
Et dicti & facti pariter uirtute probabo
Vt mihi concessum peccata remittere cernant
Quapropter iuuenis firmato corporis usu
Surge uigens: stratumq; tuum sub tecta referto.

Surrexit

Surrexit: lectumq́; humeris iam fortibus aptat,
Per mediumq́; uigens populi mirantis abibat.
Tunc timor & laudes domini per pectora plebis
Concelebrata: simul miracula læta frequentant.

COMMENTARII.

IN se domum repedat, id est pedibus repetit. *Iuuenis* genitiui est casus. Nam ordo est. Ecce, sup. homines ponunt reuertenti, scilicet, Iesu aut domino. *membra iuuenis*, scilicet, paralytici. *torpētia*, id est, concreta & contracta: ut pote quorum *officium*, id est, exercitium & usum. *morbus acer*, id est, uehemens. uidelicet paralysis. *dissoluerat*, aptum uerbum (nam eo quod dissoluit paralysis uocatur) & *recubantis* sup. in lecto *tepido*, cum ipsa tepida essent. *Quem Iesus miserans animo*, i. est, motus misericordia. *compellat*, id est, alloquitur *uerbis*, scilicet, sequentibus ô iuuenis *certa constantia*, id est, firma fides *asit tuæ menti: nam error præteritus* aut præteritæ uitæ *donabitur tibi*, id est, quia remittentur tibi peccata tua. *Scribæ carpebant*, id est reprehendebant & mordebant *per operta*, id est, in occulto *mentis malignæ*, *hoc dictū*, scilicet domini. *quod*, id est, quia Christus *protulerat uerba ferenda*, id est, dicenda. *uirtute*. i. per uirtutē dei, cuius solius est dimittere peccata, unde Dauid.

Tibi soli peccaui &c. Et ideò dixerũt quidã de scribis intra se, hic blasphemat. Et cũ uidisset Iesus cogitationes eorum dixit. Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris. Quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua, an dicere. Surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) Surge tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt deum: quia dedit potestatẽ talem hominibus, hoc dicit, sic. Sed Christus cernens, talia pectora, id est, cogitationes eorum, inquit dicta scilicet, mentalia, id est cogitationes scribarum. Retractant, id est damnant, hoc uerbum, sup. meum. Quod, scilicet, uerbum quantum facile fuerit mihi dixisse. probabo, id est ostendam uirtute pariter & dicti & facti sequentis, ut cernant concessum, sup. esse mihi remittere peccata scilicet. hominum in terris. Quapropter ò iuuenis, surge uigens. Et hoc usu corporis firmato, id est. firmiter restabilito, & referto. Stratum, id est, lectum tuum sub tecta, id est, in domum tuam. Fortibus, quia sanat. miracula læta, quia læti.

MATHAEVM AD APOSTOLAtum uocat. Mat. 9, Mar. 2. Luc. 5.

Pre-

PRogrediens tunc inde ad uectigalia, uidit
Consessu in medio Mathæum, protinus illi
Discipulis hærere iubet: nil ille recusans
Imperio Christi paret, gaudetq́; sequutus.

COMMENTARII.

PRogrediens &c. Tangit uocationem Matthæi de quo & Matheus ibi subsequenter. Et cũ transiret inde Iesus, uidit hominem sedentẽ in teloneo Mattheum nomine, & ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. Vectigalia sunt redditus tam publici quàm priuati, hic pro teloneo ponuntur.

VOCATIO PHILIPPI AD APOSTOlatum. Iesus dicit Nathanaeli. Vidi te sub ficu

Ioan. 1.

INde iter ingrediens simili sermone Philippum
Hortatur, comitemq́; suis asciuit amicis.
Ille ubi cognouit Christi uiresq́; uiamq́;
Tum primum iusto concurrit Nathanaëli,
En nostris, inquit, concessum est uiscere seclis.
Quem uoces ueterum, & sancti cecinere prophetæ.
Hunc genuit ueniens Dauidis origine Ioseph,
Nazara cui felix patria est, & nomen Iesus
Ille refert, genuit quicquam si Nazara (miror)

Quod dignum tantis unquam uirtutibus esset.
†cernens Inde Philippus ait † cernes: dubitare quiesce.
noli dubitare Progrediensq; uide: nam oculis spectare licebit.
Illum ubi tendentem longe respexit Iesus.
Verè ait hic iustus, cui pectora nescia falsi,
†maligna Virtutem puram seruans, sine fraude † maligni,
Ille sub hæc, ubinam, uel quo me tempore nosti?
Cui dominus dicta hæc diuino pectore promit.
Cum te diffusæ tegerent umbracula ficus,
Ante etiam quàm te uocitarent uerba Philippi,
Vidit & elegit comitem te spiritus autor,
Talibus attoniti sequitur uox Nathanaëlis.
Progenies ueneranda dei rex inclyte gentis
Tu populis terræq; salus, uitæq; magister
Christus ad hæc, facilis suasit tibi credere uirtus
Arborea quod te uidi recubare sub umbra.
Sed maiora dehinc rerum miracula restant.
Cernetis pariter totum se scindere cœlum
Atq; dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis nato, claram deferre coronam.

COMMENTARII.

INde iter, &c. Prosequitur uocationem Philippi ad apostolatum. Asciuit, id est, aduocauit, dicitur etiam acciuit, sed sicut suscepit, pro suscepit [quo tamen

men Maro utitur Aenei. id est]dicitur: ita asciuit pro acciuit. Visere, id est, uidere. deriuatum pro principali dixit autem apud Ioannem, Quem scripsit Moyses in lege & prophetæ. inuenimus Iesum filiũ Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquit boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & uide. Vidit Iesus Nathanaël uenientem ad se, & dicit de eo: Ecce uerè Israëlita, in quo dolus non est, dicit ei Nathanaël Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei: Priusquàm te Philippus uocáret, cum esses sub ficu uidi te. Respondit ei Nathanaël, & ait. Rabbi, tu es filius dei: tu es rex Israël. Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi: uidi te sub ficu, credis, maius his uidebis & dicit ei. Amen amen dico uobis, Videbitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis, hæc ille. quæ alijs uerbis prosequitur autor noster Verè ait: Noli legere uir ait, quia uir corripitur, & textus dicit. Ecce uerè Israëlita. ille sub hæc, id est post hæc, sup. ait. Sescindere, id est, diuidi. Ethram, id est, cœlum splendidum. Ministros, scilicet, angelos. Deferre, id est, deorsum afferre.

IESVS VOCATVS AD NVPTIAS & discipuli eius, de aqua fecit uinum. Ioan. 2.

Interea

INterea thalamis connubia festa parabant
In regione Chanan, ubi mitis mater Iesu
Cum nato pariter conuiuia concelebrabant.
Vina sed interea conuiuis deficiebant,
Tum mater Christum per talia dicta precatur.
Cernis lætitiæ iam defecisse liquorem?
Aßint nate bonis ex te data munera mensis.
† Olli † Illi respondet terrarum gloria Christus
Festinas genitrix, nondum me talia cogit
Ad uictus hominum tempus concedere dona,
Mensarum, tunc inde uocat lætata ministros,
Mater, & imperijs nati parere iubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulchra cauatis
Vascula quæ ternis aperirent ilia metris.
Hæc iubet è fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent iuuenes, undasq́; coronant
Completis lapidum labijs, tum spuma per oras
Commixtas undis auras ad summa uolutat.
Hinc iubet ut summo tradant gustanda ministro
Ille ubi percœpit ueneranda dona saporis
(Nescius in uini gratum transisse liquorem,
Egestas nuper puris de fontibus undas)
Increpat ignarum sponsum quod pulchra reseruans
Deteriora prius per mensas uina dedisset.

His

His ſignis digne credentum diſcipulorum
Perpetuam ſtabili firmauit robore mentem.

COMMENTARII.

INterea thalamis. Graphice deſcribit quomodo Ieſus inuitatus ad nuptias conuertit aquam in uinum In regione Chanan. Apud Ioannem legitur. In chana Galilææ. Sunt autem graues autores ut diuus Hieronymus, qui has nuptias Ioannis Euangeliſtæ dicant fuiſſe Concelebrabant, poſſet etiam legi concelebrabat. Alioquin erit conceptio caſuũ. Liquorẽ læticiæ. i. uinũ. Nã uinũ bonũ lætificat cor hominis; unde et Maro Aen. i. Adſit læticiæ Bacchus dator. Adſint munera, id eſt, dona hoc eſt dicendo uinum nõ habent. Innuit ſatis quod precaretur ut miraculoſe faciat. Feſtinas genitrix, dicerem cum Euangelio mulier: dicit enim: Quid mihi & tibi mulier? Nondum uenit hora mea. Ad uictus. id eſt, in potum & nutrimentum. Talia dona menſarum, id eſt uina. Lætata, quia cognouit ex forma reſpondendi, quod faceret ſicut in templo inuentus ubi quid ſimile reſponderat, nihilominus ſecutus eſt, & erat ſubditus illis. Saxis cauatis: quia hydriæ erant lapideæ. Egeſtas, id eſt exhauſtas è puteo aut de fonte. Deteriora, id eſt minus bona.

Ieſus

IESVS EMENTES ET VENDENTES EIECIT DE TEMPLO

Mat.21. Mar.11. Luc.19. Ioannis secundo.

INde ubi Iudæis aderant solennia paschæ,
Ad Solymos direxit iter + templumq; subibat. templo
Repperit hic populum uenalia multa locantem,
Pars uendebat oues. pars corpora magna iuuencum,
Pars inhians nummis, mensas onerauerat ære.
Restibus hic Christus conuectit uerbera flagri.
Et tales populos sancta perturbat ab æde,
Et mensas uertens, ærisq; profudit aceruos,
Et super increpitans procul hæc auferte prophani,
Vt meus hic genitor, non sordida lucra colantur.

COMMENTARII.

INde, &c. Prosequitur, quod in titulo est. *Ad Solymos*, id est, populos Hierusalem. *Corpora magna iuuencum*, pro iuuencorum. Alludit autem ad nomen suum autor: nam Iuuencus dictus est. *ære*, id est, pecunia signata, quæ primum erat ærea: unde & ærarium dictũ, pro quo fiscus dicitur. *Verbera flagri*, id est, flagella ex restibus, id est, summis uirgultis quæ flagra & flagella sunt. Verbera quoq; nõ ictũ sed instrumentum notant. *Ab æde sancta*, id est, à templo

plo, de priuatis dicimus, pluraliter ædes. Genitor. supple colatur.

IVDAEI AB IESV SIGNVM
petebant. Ioan. 2. Matth. 16.
Mar. 8.

NVnc poscens signum plebes Iudæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta leuaret.
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet.
Soluite pollutis manibus uenerabile templum,
Hoc, ego restituam, cum tertia lumina solis
Incipient, rutilum terris infundere lumen.
† Hoc inter sese tractantes murmure cæco. — † Illi
† Illud aiunt: uix sex & quadraginta per annos — † Hoc
Constructum ueteris regni molimine templum,
Tu poteris † tribus in spacijs renouare dierum? — † ne trium spacio
Hoc uerbum quondam post tempora debita: digni
Cognouere uiri, proprio de corpore Christum
Delubrum dixisse dei, sed signa uidentes,
Tum multi cœpere fidem sanctumq; secuti.

COMMENTARII.

NVnc poscens signum plebes, &c. Vt alibi dixi passim utitur nominatiuo plebes pro quo nobis plebs est in usu. Prosequitur autem Euangelium Ioannis, in quo dicitur sic. Responderunt ergo

ergo Iudæi & dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Ieſus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat & crediderunt ſcripturæ & ſermoni, quem dixit Ieſus. hæc ille. Ventura obſcuris. q. d. Obſcuris uera inuoluens. Nam uerum erat quod de templo corporis ſui dicebat, ſed tunc forſan de tēplo immateriali intelligebant ſaltē diſcipuli. Nam de Iudæis habetur quod dixerunt poſt ſepulturam dominicam. Recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc uiuens, poſt tres dies reſurgam. Matthei 28. Vnde uidentur hic noluiſſe intelligere aut poſtea melius intellexiſſe Iudæi. Venerabile templum hoc non dicitur in Euangelio uenerabile, ne de ſe arroganter aut de templo iactanter loqui uideatur. Venuſte autem præponit minorem numerum ſub coniunctione.

Vix ſex & quadraginta, ſed licen-
ter ultimam cor-
ripit.

IESVS

IESVS NICODEMO DICIT DE baptiſmate, & alijs multis. Ioan. 3.

NOcte ſub oſcura celſo ſublatus honore,
Primorum procerum Iudæi nominis unus
Venit, & ad Chriſtum ſubmiſſa uoce profatur
Haud dubium eſt, quin larga dei te ſancta uoluntas
Humanis lucem conceſſit ſurgere rebus.
Nec quiſquàm tantis tribuit miracula ſignis,
Ni comitata dei iubeat ſplendeſcere uirtus.
Chriſtus ad hæc, callis iuſti ſi culmina quæris,
Nullus ad excelſum poterit conſcendere regnum,
Reddita ni penetret naſcendi exordia rurſus,
Atq; nouam capiat diuino munere uitam.
Ille autem tantis ſtupefactus corda loquelis.
Hoc, inquit, noſtræ non eſt comprendere mentis,
Quis poterit cœptæ reuocare exordia uitæ?
An rurſum ſenior matris † correpet in aluum, † correptet
Vt nouus in lucem ueniat uitamq; reſoluat?
Ille ſub hæc liquido ſi quis de fonte renatus,
Et flatu ſancto rudibus conſiſtere membris
Cœperit, æthream liber conſcendit in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore † natum. † natum eſt
Spiritus haud aliter ſimilem generat ſibi flatum.
Spiritus hic deus eſt, cui parent omnia mundi

Hic cum uult quocunq; uolat: uocemq; per auras
Iactat: sed nescis quæ sunt exordia uocis
Quamq; petant eius currentia flamina partem.
Quisq; igitur iustæ repetit primordia uitæ
Hunc similem sancti flatus, reuigescere certum est.
Et iudæus ad hæc: nil horum cernere possum,
Talia tum Christus, Solymorum magne magister
Israëlitarum sublimis gloria gentis
Tu ne etiam mentem uitæ de lumine raptam
† Demerges præceps: furuis miserande tenebris:
Nec potes obtuto comprendere talia sensu?
Ecce fides nulla est: tantum terrestria dixi:
Quid si cœlestis uires conscendere sermo
Cœperit, & superas rerum comprendere formas?
Quis uestrum duram poterit mihi pandere mentem?
Accipe ergo nouis quæ sit sententia rebus.
Sidereum nullus poterit conscendere cœlum,
Ni solus cœli qui missus uenit ab aula.

† Demergis

COMMENTARII

NOcte sub obscura] De hoc Ioan. 3 Erat autem homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps iudæorũ. Hic uenit ad Iesum nocte et dixit ei. Rabbi etc. Larga uolũtas dei .i. scimus q, à deo es. Ni comitata dei .i. nisi fuerit deus cum illo. Nascendi exordia, id est,

id est, nisi quis renatus fuerit denuo non potest uidere regnum dei. Stupefactus corda, id est, habens corda stupefacta. Correptet, id est, simul introeat. et est à correpto quod frequentatiuũ est à correpo, nõ à corripio unde potest legi correpet, & ita legerem, quia præmisit poterit, non posit. Me, scilicet, Christus. sub, id est, statim post hæc, sup. ait. Quocunq; uolat, id est. spiritus ubi uult, uel quo uult. spirat. Quamq;, id est, et quã partem petant eius flamma, id est, nescis unde ueniat aut quò uadat. Iudæus. scilicet Nicodemus princeps Iudæorum: neq; dicitur in contemptum cum & Christus iudæus sit. Solymorum: euangelium habet Tu es magister in Israël: & hæc ignoras? Unde addit Israëlitarum, &c. Furuis, id est, nigris & obscuris tenebris, scilicet ignorantiæ, fides nulla, aut quia non credidit: aut quia terrena & apparentia quæ non sunt obiecta fidei, dicit. Ni id est, nisi, scilicet, filius hominis qui descendit de cœlo.

IDem hominis natus: cœli qui in sede moratur.
Vt serpens olim fessæ regionis in oris.
Moseis manibus summo sublatus honore est
Sic hominis natum tolli in sublime necesse est,
Vt quicunq; fidem mentis penetralibus altis
Illius ad numen statuet: sub turbine secli

† proculcet Conculcet pedibus lætum † trans sidera surgens
Sublimis capiet donum inuiolabile uitæ.
Namq; deus mundum tanto dilexit amore,
Eius ut in terras descenderet unica proles.
Credentes domino uitæ iunctura perenni.
Nec deus hunc natum disquirere iure seuero,
Iudiciouè truci terras expendere misit.
Mitia sed populis ueniant ut munera uitæ.
Namq; ubi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio iuris,
Ast ubi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Iam propria ipsorum mentem damnatio torquet
Vnica nam domini fuit ijs incognita proles.
Aduentum lucis miseri fugere supernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras
Sic quicunq; malis mentem maculauerit actis,
Ad tenebras pauidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis
At quicunq; piæ tenuit uestigia uitæ
† ad † In medium properat, lucemq; nitescere gaudet
Splendeat ut claris uirtutis gloria factis.

COMMENTARII

IDem hominis natus cœli qui in sede moratur, scilicet nunc ut homo et semper ut deus, quanquã in terris

ris apparuit, ſicut angeli nobis apparentes dicuntur ſtare ante conſpectũ dei. Moſes manibus, quia Moſes ex præcepto dei extulit ſerpentem, quem uidentes ſalui erant. Eius, id eſt, dei patris. Vnica proles per naturã et ſubſtantiã, ſcilicet, Christus. Nec deus hunc natũ id eſt, nõ enim miſit deus filiũ ſuũ in hunc mundum, ut iudicet mundũ, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eũ nõ iudicatur, qui autẽ nõ credit iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Hoc eſt autẽ iudiciũ, quia lux uenit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim illorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem, & non uenit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifeſtentur opera eius, quia in deo ſunt facta, hoc dicit.

IESVS CVM MVLIERE SAMARItana loquitur Ioannis. 4

INde Galilæam repetit ſaluator Ieſus:
Præteriens ſed forte uenit Samaritida Sichem.
Illic fundus erat: Iacob † de nomine pollens,
Et puteus gelido demerſus in abdita fonte:
Sederat hic rapido ſeruator anhelus in æſtu,
Diſcipuliq; eſcas mercantes mœnibus urbis,

† cognomine

Paſsim diſperſi, ſolum liquere magiſtrum.
Mœnibus egrediens Samaritis fœmina uenit
† Extractura cauis putei penetralibus undas (*† Hauritura*)
Olli Chriſtus ait † laticis da fœmina potum (*† latus: Da*)
Reſpondens mulier, mirum mihi præcipis, inquit
Vt tibi Iudæo mulier Samaritita potum
(Diſpernens ueterum Samaritum iuſſa) miniſtrem
Tunc ſaluator ait. Dominus ſi munera noſſes:
Et quis te ſitiens, putealia pocula poſcat:
Tu potius peteres, uiuam tibi traderet undam:
Illa ſub hæc: puteus gremium ſinuatur in altum.
Vrceus eſt nullus, nec ſunt tibi uincula funis
Vnde igitur poteris undam mihi tradere uiuam?
Num tu maior eris noſtri uirtute parentis ?
Hoc † Iacob enim puteo cum prole bibebat. (*† etenim Iacob puteũ*)
Et proprios huc ſæpe greges ad pocula duxit.
Olli reſpondit mundi regnator Ieſus.
Ex iſta plenè nullus ſatiabitur unda.
Nam rurſus ſitiet: ſed noſtri dona liquoris
Ardorem excludent æterna in ſecla bibendi.
Dulcia prouenient noſtri cui pocula fontis,
Largior unde fluet uitalis gratia fluctus.
Sed deſiderium noſtræ ſi te capit undæ,
Excitus ueniat tecum mox urbe maritus.

Coniu

Coniugio ſeſe mulier negat eſſe reuinctam.
Tunc ſic proſequitur mentis proſpector Ieſus
Fœmina, ueridicis loqueris de coniuge uerbis.
Nam tu connubijs nexa es, iam quinq; uirorum
Nunc aliena ſuper thalamorum uincula tollis.
Tum mulier, ſanctum te certum eſt eſſe prophetam
Sed noſtri iſtius uenerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquere parentes.
At uos in Solymis orandum dicitis oris.
Talia dicenti mox talia reddit Ieſus.
En aderit tempus, montis cum uertice ueſtri
Omnibus & Solymis aberit ueneratio longè.
Sed nunc certa ſalus Iudæis ſurgit ab oris.
Et nunc inſtantis curſus iam temporis urget,
Cum ueri, ſanctum genitorem, errore remoto,
Cultores iuſtis armati legibus, orent.
Spiritus ijs ac plena fides erit, & pater altus
Talia conquiret cultorum pectora terris.

COMMENTARII.

IN de Galilæã] Proſequitur ꝓlixũ ſermonẽ quẽ habuit dñs cũ muliere Samaritana: quæ hic dicitur interdũ Samaritis, huius Samaritidos, & ab actõ Samaritida fœmininũs hæc Samaritida, huius Samaritidæ: unde eſt præteriẽs ſed forte uenit Samaritida Sichẽ. Ioãnes aũt

 ha

habet Sichar. & potest esse ordo. Iesus præteriens ueni Sichar appositorie Samaritida, id est, ciuitatem Samariæ: ut sit accusatiuus per appositionē additus. Preterea per appositionem dicitur. Samaritis fœmina uenit. Vbi uenit est præteriti temporis: cum melius esset præsentis, aut saltem præteriti imperfecti, ueniebat. & prius. Præteriens. sed forte uenit præsentis esse declarat quantitas: sed Christus iam uenerat cū muliere ueniebat. Cum uerò dicitur mulier Samaritida nominatiuus est ab accusatiuo, ut dixi, formatus. Samaritū pro Samaritarū per syncopam. Dispernens, id est, contemnens. Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis, sed uidetur aliter sentire quàm euangelium. Nam euangelium innuit quod Iudæi Samaritanos contemnant, & mulier hic quod Samaritani Iudæos quod utrunq; fieri potuit, ut sit speciose dictum, ex persona mulieris quod dispemeret iussa maiorum suorum, sicut ex persona euangelistæ: non enim coutuntur &c. Gremium, id est alueum, & receptaculum aquarum. Vrceus, id est, uas modicum. Horatius autem innuit esse uas modicum, & fictile dicens in arte: Amphora cœpit institui currente rota. Cur urceus exit. Sed hauritoriū illud forte ligneum erat hoc Iacob enim. Iacob trium est syllabarum media longa, sicut Iacobus quatuor secunda longa.

Alibi

Alibi tamen dissyllabum ab autore nostro ponitur. unde quidam sic legunt: hic Iacob etenim. sed in b finita corripiuntur. Ex ista, scilicet, quam hauris. Ardorem scilicet sitis. Pocula, id est, potus, nec legi debet procula. Excitus, id est, euocatus ex urbe. Sic Maro etiam secundam producit Aenei. 3. Excitum ruit &c. Sed nostri istius &c. hoc est, uideo quia propheta es tu, sed sanctior multo esses si in hoc loco adoraueris. q. d. si nostras esses. Nam patres nostri in monte hoc adorauerunt: & uos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi. quia ueniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrem &c. unde dicit. Montis cum uertice uestri. Omnibus & Solymis aberit ueneratio, id est, adoratio, ubi aberit ut ferè semper construitur cum ablatiuo uertice montis, nec legendum est monitis. Sed nunc certa salus, hoc est, quia salus ex Iudæis est: hoc autē dicit quia Iudæus erat. Quia uerò non collato euangelio subobscurus sit autor uerba euangelij sunt hæc. Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Vnde dicit. Talia conquæret

&c. Mirandum autem sanè est tantæ sapientiæ sermonem ad mulierculam factum: sed ostendit non esse cessandum dum uel unam animam lucrifaciamus

ILLA dehinc, scimus quod Christus nuncius, orbi
Aduentu proprio uitalia secula pandet.
Et tunc peccantum largus miserator Iesus.
Se lumen terris Christum uenisse fatetur
Et iam discipuli reduces, stupuere magistrum
Quod secreta pijs poteretur fœmina uerbis.
At properans urnam mulier fontem propè liquit
Et populum totis eduxit mœnibus urbis.
Omnia nam memorat sibimet sermone prophetæ,
Gesserat ipsa prius quæcunq; ex ordine dicta.
Tum properè Christum fusæ petiere cateruæ.
Discipuli interea rogitant, ut sumeret escas
Ille satis sibi pulchrorum superesse ciborum
Respondit, sed tum mirantum discipulorum
Inter se occultis currebat sermo loquelis.
Forte aliquis prior hic epulas dedit ante magistro
Nostras ut merito satiatus respuat escas?
Ille sed internæ cernens molimina mentis.
Hæ mihi sunt epulæ pectus satiabitur istud
Si faciam magni genitoris iussa per orbem

Quæ

Quatuor hinc menses, lętæ ad primordia meßis
Frugiferæ æstati certe superesse putatis.
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos.
Cunctaq; maturam iam rura exposcere messem.
Nunc quicunq; metit, pulchri mercede laboris
Vitaliq; dehinc gaudebit fruge redundans.
Et sator excipiet messorum gaudia lætus.
Vos ego nunc misi grauidam succidere messem.
Quæ non est uestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquijs comitum dum pectora complet.
Ecce Samaritum populi uenere rogantes,
Exorantq; illic geminos expendere soles
Iamq; fides multos plebis fundauerat alta,
Nec iam fœmineis tantum concredere uerbis
Ipsos, sed coram uirtus manifesta docebat,
Venisset secli quod iam saluator Iesus.

COMMENTARII.

ILla dehinc &c. Vt dixi, mirari poßimus qui tam longum habuerit cum muliere non satis pudica colloquium Dominus, nisi Euangelista subdidisset talis colloquij utilitatem. Nam mulier illa Samaritana persuasa Christum uenisse, statim in urbem reuersa

mul-

multos ad uidendum & audiendum saluatorem con-
citauit, qui eo & uiso & audito ferè crediderunt. Præ-
terea dum Samaritana, à Christo docetur, nostra quo-
que, id est, gentilium ruditas eruditur. Sed potius mira-
ri poßimus, à quo hæc didicerit Euangelista. An à mu-
liere, quod non est uero simile, cum neq; illi tantum
prudentiæ dederis ut talia recitet, nec tantum fidei
ut recitanti credas. An potius à domino qui hæc repe-
tierit. Sed id non dicitur ab Euangelista, quin potius
contrarium. dicente: Et continuo uenerunt discipuli
eius. & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.
Nemo tamen dixit quid quæris, aut quid loqueris cum
ea. An dicemus Ioannem utpote familiarem illic resti-
tisse cum domino. Sed tunc non fuissent mirari disci-
puli: nec cum diceret dominus. Ego cibum habeo man-
ducare quem uos nescitis: dixissent ad inuicem. Num-
quid aliquis attulit ei manducare? Vnde ego sciuit
hæc Ioannes dicens. Et dicam. Vnde sciuit Moyses,
quæ in creatione hominis, sancta trinitas dixit,
& fecit. Profecto à spiritusancto, quo autore & E-
uangelia scripta sunt. Sed exponamus si qua dif-
ficilia uidentur uocabula. Illa scilicet mulier. De-
hinc, id est: deinde suple ait. Scimus & cæ-
tera, hoc est. Scio quia Meßias uenit, qui dicitur
Chri

Christus.cum ergo uenerit ille nobis nunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum, hoc autem dicit miserans, unde addit peccantum largus, &c. poteretur, non potiretur legendum ut docet quantitas. Superesse, id est, abundare. Quod uerò de messe dicit allegorice intelligendum putem. Samaritum, pro Samaritarum. Exorant, id est, impetrant. Geminos soles, id est, duos dies. Fundauerat, id est, confirmauerat.

FILIVM REGVLI A MORTE liberat. Ioan. 4.

Iamq; Galilæam remeauerat in regionem
Quondam ubi fontanas uino mutauerat undas
Regius hic iuuenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis uitæ torrebat in oris)
Comperit ut Christum certo remeasse recursu
Aduolat, & precibus sobolis pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis
Ne pius ad letum natus traheretur acerbum.
Christus ad hæc, signis nisi suadeat omnia uirtus,
Non erit ulla fides, sed perge, & sospite uita
Aedibus in uestris dulcem complectere natum.
His uerbis, fructum mox perceptura salutis
Pulchra fides, animum lętanti in pectore firmat.

Iamq;

Iamq; iter ingresso properantibus obuia seruis
Nuncia fama uenit: puero † resonatq; tacenti
Limine de mortis subitam remeasse salutem
Ille ubi cognouit certum concurrere tempus
Sanantis Christi uerbis tunc, seseq; domumq;
Mancipat: amplexus fidei uenerabile donum.

† q; in lumi nis oras

COMMENTARII.

IAmq; Galilæam, &c. Hoc est uenit ergo iterum in Chana Galilææ, ubi fecit aquam uinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cũ audisset qđ Iesus adueniret de Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet et sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus Domine, descende priusquàm moriatur filius me. Dicit ei Iesus. Vade filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei & nunciauerunt dicentes, quod filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerũt ei quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus: filius tuus uiuit, & credidit ipse et

uniuersa

domus eius tota,hoc dicit. Mutauerat uino, id est, in uinum. Regius iuuenis, periphrasi signat regulum,non est tamen regulus iuuenis aut paruus rex, sed magistratus sub rege,sicut quos pares Franciæ uocant reguli sunt:Pro sorte,id est,loco aut salute sobolis,scilicet,filij sceleris,id est, festinæ, quia incœperat mori.Plus,id dicit ex affectione paterna. Mancipat, id est,addicit.

IESVS PHARISAEIS MVRmurantibus de conuiuio publicanorum, dicit non opus esse sanis medico. Matth.9. Marci secundo.

FOrte dies epulis multos satiauerat unus,
Publica conductis qui uectigalia lucris
Professi rapiunt alieno nomine prædam.
Hos cum discipulis simul accipiebat Iesus
Ecce pharisæi occulto reprehendere risu
Quod legis doctor conuiuia talia iniret.
Ille sed inspiciens quid pectora † clausa tenerent, † secus
Non,inquit,medicis opus est,ubi fortia membra
Intemerata salus uegetat,uiresq; ministrat.
Aegris sed merito miserans adinbenda medela est.

Disci-

Discite nunc saltem iubeant quid uerba prophetæ,
Non ego sacra magis quàm mitia pectora quæro.
Haud etenim iustos ueni ad directu uiantes
Sed reuocare malos peccatum à limite gressus.

COMMENTARII.

FOrte dies, &c. Ordo est. Vnus dies satiauerat forte [non quod forte satiauerat: sed quod forte tunc quantum Pharisæi obseruauerant] epulis [dicerem epulo siquidem de publico loquitur: at si de priuatis recte epulis dixit] multos, scilicet, publicanorum [graphice autem describit publicanum docens eũ esse qui publica uectigalia conducit ac redimit, ut ex quæstu lucrum faciat: unde à publico publicanus dicitur, à publico dico quæstu non peccato, quamuis rari sint sine peccato] uel multos eorum qui professi prædam, id est, se prædari alieno nomine: quia nomine fisci aut ærarij publici cum tamen rem suam agant, rapiunt uectigalia publica, id est, quæcunq; reip. debentur aut ex impositione publica, aut ex portorio, aut aliter, & hoc lucris cõductis. i. certo numero aut pondere redimendis: sciebant enim sicut cõquisitores eleemosynarũ pro religiosis domibus quantũ darent etiam si longe plura acciperent Iesus accipiebat hos, quia in domo Matthæi. Nõ ego, id est misericordiã uolo, non sacrificium.

DISCIPVLIS IOANNIS INTERROgantibus, quare non ieiunarent *discipuli eius, parabolã proponit sponsi, panni scissuræ & utris. Math. 9. Marcus. 2. Luc. 5.*

Ecce sed è numero mirantum munera Christi
Vnus Ioannis quærebat discipulorum.
Cur ipsi legis ieiunia crebra tenerent,
Nullaq; sub Christo plebes ieiunia ferrent?
Christus ad hæc contra placida, sic ore profatur.
Qui sponsi lætis comitantur uota choreis,
Non præsente illo ieiunia tristia portant.
Iamq; dies aderit, cum sponsus turbine secli
E medio comitum rapietur, tristibus illi
Tuncq; dabunt animos lachrymis, horrore ciborum
Languida concipient animis ieiunia flentes
Quam stultum est rudibus ueteres subtexere pannos
Vestibus, ut turpis peius scissura † notetur? † patescat
Vtribus aut calidum tritis committere mustum,
Quis ruptis totum sequitur disperdere uinum?
Vtribus est rectum rudibus spumantia musta
Condere, sic uinum conseruant fortia uasa.

FILIAM IAYRI PRINCIPIS, DVM uadit ſuſcitatũ mulierẽ à profluuio ſanguinis ſanat. Math. 9 Mar. 5 Lucæ. 8

TAlia tractanti: perculſus pectora luctu
Ecce ſacerdotum princeps procumbit adorans.
Et ſibi defunctam (funus miſerabile) natam
Implorat lachrymans: certamq; uenire ſalutem
Defuncto uita poſcebat munere Chriſti.
Haud mora: conſurgens ſequitur ſaluator Ieſus
Progreſſos, mulier ſequitur ueſtigia ſeruans
Quam languore graui uix ſex labentibus annis
Carpebat fluxus (lacerans ſine fine cruoris,
Torquebatq; graui morbus pallore uirentem.
Viribus abſumptis: & toto corpore † feſſa (‡ foſſam)
Pectoris hæc tacitam uoluebat credula mentem.
Arcana ſecumq; fide: iam certa tenebat,
Actutum feſſo fugeret quod corpore tabes,
Extremam Chriſti poſſet ſi tangere ueſtem.
Hæc ubi per populum ſummi pendentia pepli
Fila manu trepida tractauit: protinus ille
Et cauſas morbi, & credentia pectora cernens.
Conceſſit celerem tali cum uoce ſalutem:
Accipe quod meruit fidei conſtantia munus. (‡ conſtantiæ)
Et mox † conſtricto riguerunt ſanguine uenæ

Poſt

Postquàm peruentum est, ubi funera uirginis ingens
Plangentis populi fremitus, clangorq́; tubarum
Vltima supremæ celebrabant funera pompæ:
Abscedant, inquit, tectis hæc tristitia uestris.
Namq; puella iacet placido dimersa sopore:
Defunctam fertur flentum quam nescia plebes,
Talia dicentem: ridentum turba reliquit,
Quod morte abreptam dixit dormire puellam
Sed Christus leti uictor, uitæq; repertor
Frigentis dextram dignatus prendere dextra.
Surgere mox iußit: miranda ad gaudia patris.

DVOBVS COECIS OCVLI aperiuntur. Mat. 9.

INde reuertenti clamor se protinus offert,
Lumine captorum gressu labente duorum.
Atq; ijs Christus ait: † si credunt pectora uestra
Nunc uirtute mea se reddet lumen ademptum
† Illi firmato se credere corde fatentur.
Tunc Christus fatur: credentes cernite † lucem
Nec cuiquam nostrum post hæc edicite nomen
Dixit: sed properè per gaudia tanta uidentium
Ardor inexpletus, famam per cuncta ferebat.

† Ollis Christus ait
† olli
† lumen

COMMENTARII

INde reuertenti, &c. Captorū. id est, priuatorū aut

habentium usum eius impeditum, sic Maro. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ. Se reddet, id est exhibebit se non tamen uirtute propria, sed Christi. Ardor, id est, affectus inexpletus, id est, inexplebilis. Sicut apud Maronem. Aut illaudati nescit Busiridis aras: pro illaudabilis. Si conferatur his euangelium nihil restet ambiguum. Quia uerò paßim reperitur euangeliũ, & capita prenotata sunt, frustra uidear repetere.

DEMONIVM MVTVM EIICItur, agiturq́; de turba quæ ob miracula ad Iesum confluxerat. Mathæi. 9 Marci. 7 Lucæ. 11

† offertur

AFferturq; dehinc iuuenis cui rapta sonoræ
Dæmonis incursu fuerat substantia uocis
Atq; propulsius ubi fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur: cernens sed millia tanta uirorum,
Ingemit: ut ruris dominus, cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes.

† uerba

Tunc ad discipulos depromit talia † dicta.
En late segetes ruris per terga latescunt:
Sed rarus messor frugis superatur aceruo. 100

Iam superest dominum segetis deposcere tantæ,
Vt sua rura uelit numero complere colentum.

COMMENTARII.

AEferturq; , &c. Substantia uocis sonoræ, cum organum non amiserit uidetur dici pro usu. Confestim, id est, statim, quasi cum festinatione. Læta, id est, ut Seruius uult pinguia, ut Valla pulchra & lætificantia. En late, aut quàm, id est, ò quàm, sed non procedit quàm nisi accipiatur pro per aut ualde: nam sequitur sed rarus. Dicit autem illud: Meßis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum meßis ut mittat operarios in messem suam.

IESVS DVODECIM DISCIPVLOS cum omni doctrina præmittit

Matthæi.10. Marci.3 & 6.

Lucæ.9

HAec fatus populo ex omni delecta seorsum.
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu.
Bis sex consociat fidorum corda uirorum,
Hos ubi delegit: præceptis talibus implet.
Deuitate † uiam quam gentes perfidiosæ † *itiner*
Et Samaritarum fraudis uestigia calcant,
Pergite qua patrij pecoris custodia † labat † *balat*

Pergentes uerò similem mihi sumite mentem
Vt uobis subigat uirtutem dæmonis atri
Sancta fides, curamq́; piam languoribus aptet.
Hæ uires nulla uobis mercede dabuntur
Et uos haud aliter cunctis impendite dona.
Non auri argentiúe domet possessio mentem.
Nec uos nummorum subigat scelerata cupido.
Non geminas uestes: nec plantis tegmina bina,
† seruire Virtutis nudæ cupiat † seruare minister.
Ingreßi muros urbis, perquirite semper.
Hospitio quorum par sit succedere iustis
Ingreßiq́; dehinc pacem sub tecta uocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit.
Sin erit īndignis habitantum moribus horrens,
† abitum Diffugiet, uestrumq; † habitum pax uestra sequetur.
Excludet quicunq; ferox uos limine tecti
Auribus aut duris spernet uitalia uerba
Siue aduersa dei famulos succedere tectis
Hospitijq́; focos miscere grauata uetabit
† egreßi Excutite † egressu domibus uestigia uestra.
Hæreat iniustæ ne uobis portio uitæ.
Illos deterior, Sodomorum pœna manebit
Supplicijs, ueniet mundo cum terminus omni.
† duorum Pergitis en ut oues † sæuorum præda luporum.

Sed uos arguto ſerpentum corde uigete,
Simplicitate tamen puras ſuperate columbas.
Nam ſæpe incumbet uobis iniuria præceps.
Concilijsq; hominum † conſiſtent corpora ueſtra. † ſtatuētur
Vos flagris, uinclisq; feris, durisq; tyrannis
Frendens urgebit pro me uiolentia ſecli.
Cum uos † tradiderint, uerborum ponite curam † prodiderint
Sponte fluens dabitur ſermonis gratia uobis.
Spiritus in uobis, pro uobis digna loquetur.
† Fratrem autem tradet ſcelerata inſania fratris † Pro et enim fratrē ſcel.
Ad lœtumq; dabunt genitorum corpora nati
Vos odio urgebunt ſemper pro nomine noſtro,
Sed finem fidei comitatur gloria uitæ.
Profugite è tectis (quæ uos ſectabitur urbis.
Inde aliam, mox inde aliam conquirite ſedem,
Nam uobis urbes ſemper ſupereſſe neceſſe eſt,
Iſraëlitarum quæ dent ſub nomine plebem.
Diſcipulus nunquàm tranſcendat celſa magiſtri
Culmina, nec dominum tentet præcellere ſeruus,
Diſcipulo ſatis eſt, uires æquare magiſtri,
Vel domini ſimilem uirtutem prendere ſeruo
Pectoribus ueſtris ſemper timor omnis aberret,
Nam nudata ſuis promentur cuncta latebris.
In tenebris tacite uobis quæcunq; iubentur,

Discite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus & uestris dicam quæcunq; susurrans.
Excelso in populos spargantur culmine tecti.

COMMENTARII.

HAEC fatus. Prolyxe prosequitur præcepta domini ad discipulos, & præcipue ad XII apostolos, sequens uerba Matthæi cap. 10. Fortia pectora, quæ nouit magis idonea bisseno, id est, duodena. Deuetate, id est, In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitate Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Labat, id est, cadat. Subigat, id est, subijciat. Nulla mercede: quia gratis accepistis gratis date. Ingressi muros, id est. In quamcunq; autem ciuitatem aut castellum intraueritis interrogate quis in ea dignus sit &c. Diffugiet, scilicet, pax uestra ab illis. Siue aduersa, scilicet ciuitas aut mulier. Grauata, id est, grauatim uos ferens. Vestigia, id est, puluerem è pedibus. q. d. ne puluerem quidem illorum accipite. Terminus, id est, dies iudicij. Ad lætum, id est ad mòrtem. Profugite, hoc est, Cum autem persequentur uos in ciuitate ista fugite in aliam. Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates donec ueniat filius hominis. Discipulus nunquàm &c. id est, Non est discipulus super magistrũ, nec seruus super dominum suum

siffi-

Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruo si cut dominus eius. Si patremfamiliâs Beelz bub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum quod non reueletur, &c.

Despicite illorum rabiem, qui corpora uestra
Prosternent ferro, non est ijs ulla potestas
Viuacem læto pariter demittere mentem.
Illum, sed potius cordis secreta pauescant.
Corporis est animæq; simul cui † lata potestas
Passeribus precium nummi uix portio parua
Proueniet, non est tamen unum credere dignum.
Ni iussu domini laqueos incurrere uestros,
Quis dubitet sapiens domini sub pectore multis
Credere pennatis hominem pro milibus unum?
Qui me confessus fuerit sub iudice terræ,
Hunc ego non aliter coram genitore fatebor
Sic itidem coram genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere ueni,
Sed gladium, patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem natam dirimat qui pectore matris.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri soboli ue meum postponet amorem.
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam.

† cuncta

Contemnet quicunq; animam pro nomine nostro,
Inueniet læta florentem fruge salutis.
Qui uos suscipiet me suscepisse benignis
Obsequijs, idem me pro genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete uita.

IOANNES DE CARCERE AD Iesum, & Iesus de Ioanne ad turbas loquitur. Mat. 11. Luc. 7.

TAlia discipulis bis sex cum iussa dedisset,
Iustus Iohannes cæci de carceribus umbris
Sectantem è numero delectos talia dicta
Ad Christum portare iubet, uerumq; referre
Tu ne pijs animis requies, quam regia cœli
Pollicita est terris, nostro sub tempore fulges?
An superest aliam posthac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit.
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumq; uigent firmato robore membra.
Lurida discutitur squamoso corpore lepra.
Aëriæ uocis penetrat surdas sonus aures.
Redditur amissa læti post funera uita
Ad corpus remeans animæ iam libera uirtus.

Despo-

Depositum repetens animæ substantia corpus,
Pauperibusq; suis non dedignata patescit,
Fulgentis splendens aduentus gloria terris.
Ille beatus erit quem non deceperit error.

COMMENTARII

TAlia discipulis. Postquàm saluator noster discipulis suis duodecim, quos Apostolos constituerat peculiaria mandata ac legem dederat. Iohannes cum audisset in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis. . Euntes renunciate Iohanni quæ audistis & uidistis. Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. hæc Matthæus undecimo. Cæci, id est in quo non uidetur lurida, id est, aspera & immunda. Pauperibusq; &c. Id est, Pauperes euangelizantur, sed Valla actiue exponendum dicit, ut uidelicet euangelium prædicent.

TAlia discipuli referunt mandata magistro.
Hoc super ad populum depromit talia Christus

† Desertis Cur in † deserto uoluistis uisere nuper
Stramen arundineum uento uibrante moueri?
Cur etiam molli uestitum ueste uidere?
In domibus regum, molli cum ueste tenentur.
Fatidicis longe præponitur ille prophetis
Vt ueteres quondam cecinere oracula scripti.
† Hunc † Nunc etenim memorat uenerandæ lectio uocis,
En ego mitto meum stratas aptare ministrum.
Ante tuos uultus, genuit nec fœmina quenquam
Qui maior nostris Ioanne hoc uiribus esset.
Sed minimus cœli qui in regno est maior habetur.
Huius ab exortu uim cœli regia sensit,
Et cœli regnum uiolentia diripit atrox
† ad tempora Lex omnis summam Baptistæ † à tempore cœpit.
Atq; prophetarum finis † conclusus eodem.
† concluditur idem Si uultis uolucris penetralia noscere secli
Ipse est Elias, felix uenturus in æuum
Corpus Ioannis felix habitabile sumpsit
Elias quondam: quem turbine iussa corusco.
Flammipedum rapuit simulatio quadrijugorum.
Audiat hæc, dictis pandens uitalibus aures.

Aliud exemplar sic habet 6 & 7 uersum

Ille prophetarum solus transcendere uires

Iudicio ueteris scripti promittitur olim.

Item, uersus 11 & 12 sic habet *aliud* Exemplar.

Maior Ioannis nostri qui u ribus esset.
Sed minor hoc cœli fiet sublimior aula.

COMMENTARII.

TAlia discipuli. Prosequitur euangelium Matthæi, in quo dicitur. Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne. Quid existis in desertum uidere? Harundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? Hominem mollibus uestitum. Ecce qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? Etiam dico uobis, & plusquàm prophetam: hic est enim de quo scriptũ est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Amen dico uobis, non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistæ usq; nũc regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex usq; ad Ioannem prophetarunt, & si uultis recipere ipse est Elias, qui uenturus est. Qui habet aures audiendi audiat, &c.

Hoc

Hoc dicit quibus habitis facilis erit explanatio autoris. Referunt, id est, reportant mandata, id est, cōmissa magistro, scilicet, Ioanni. Hoc super, id est, de hoc magistro. Stramen, id est, leue & flexile uirgultum ut est stramen ubrante, id est, quatiente. Præponitur quia plus est quàm pꝓpheta, eò quod in spū prophetiæ indice prodidit quem illi tantum futurum cecinerant. Stratas, scilicet publicas uias quæ sterni solent. Sed minimus. ordo est, sed qui minimus est in regno cœli, habetur maior, sup. Ioanne dum est in terris Corpus, &c. id est Elias functus olim simulacro, & officio Ioannis ut nunc Ioannes officio Eliæ.

CONFESSIO IESV AD PATREM, & iugū dñi leue esse. Mat. 11. Luc. 10.

NVnc tibi confiteor genitor cui gloria seruit
Fulgentis cœli, & terrarum frugiferarum
† Namq; abscondisti sapientibus ista superbis (*† Cœlesti nunc quod*)
Paruulaq; infantum uis hæc comprendere corda.
Iam mihi regnantis sunt omnia tradita patris,
Nec quisquàm poterit domini cognoscere natum
Ni solus genitor, genitorem mente uidebit
Filius, aut idem pandet cui talia natus.
Huc omnes ueniant, oneris quos sarcina uasti
Comprimit ijs poterit uirtus mea munere patris,

Anti

Antiquas uires hilari reparare quiete.
Sumite forte iugum, leuis est mea sarcina iustis,
Namq; humili dulcem largitur corde salutem.

COMMENTARII.

Nunc tibi, &c Prosequitur illud. Mathæi . 11. Confitebor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus et reuelasti ea paruulis. Iam pater quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filiũ, nisi pater: neq; patrẽ quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos Tollite iugũ meũ super uos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, &c.

DISCIPVLI SPICAS VELlunt. Mat. 12. Mar. 2. Lucæ. 6.

Haec ubi dicta dedit, messis perculta grauatæ
Præterit, & populus sectantum discipulorum
Spicarum grauidam carpebat in ordine frugem
Ille dies ueteri poscebat lege quietem.
Sabbata nam priscis repetebant ocia iussis.
Ecce Pharisæi + coram reprehendere Christum + *curant*
Quod sanctæ leges calcarent iussa metentes

Disci-

Discipuli: legum sed tunc completor Iesus
Incipit, ijs ueteris scripti monimenta retexens.
Legistis certe in templo Dauida canorum
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos.
Et propriam, comitumq; famem sedasse, sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes?
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos.
Eiusdem scriptum est iusto moderamine legis
Vates in templo sine crimine festa prophanant
Nec minor est istic uestræ glomeratio turbæ.
Quàm templi uirtus: caperent si pectora uestra
Quod non sacra deus, sed mallet mitia corda.
Non tam sæpe uiros damnasset factio † sacros,
† Vestra *Expertes culpæ: sed nunc ego sabbata cuncta.*
Sponte mea dominans: legis sub iure tenebo.

Aliud exemplar sic habet uers. 16
Sabbata prophanet templo sine crimine uates

COMMENTARII.

HAec ubi dicta dedit. Recitat principij 12. cap. apud Mathæũ ubi dicitur sic. In illo tempore abijt Iesus per sata Sabbato, discipuli autẽ eius esurientes cœperunt uellere spicas & manducare. Pharisæi autem uidentes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis, facere sabbatis. At ille dixit eis

tis. Non legistis quid fecerit Dauid quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere: neq; ijs qui cũ eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum uiolant & sine crimine sunt. Dico autem uobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis quid est misericordiã uolo & non sacrificiũ, nunq̃ condemnassetis innocẽtes: dominus enim est filius hominis etiã sabbati, hoc dicit: Messis grauatæ .i. oneratæ spicis, messẽ aũt pro segete matura posuit quietẽ ụa sabbatũ à requie dicetur. Dauida more suo declinat. Panes. s. propositionis. De lege. i. ex permissione. Prophanant, id est, uiolant operando rem sacram. Vates: sacerdotes, sacrificuli. Nec minor est istic. Aptius dicit euangelium. Templo maior est. Hic loquens de de domino potius quàm de loco. Vt sit hic. i. ego cuius autoritate discipuli mei id faciũt: sum maior tẽplo in quo sacerdotibus operari licebat. Dici tamen posset hic, scilicet, locus propter præsentiam meam. Legis sub iure: quia filius hominis est dominus sabbati: imò conuertit solennitatem sabbati in dominicam. Cætera patent.

MANVM ARIDAM HOMINIS SAnat. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

† ipsorum † pro

TVnc conuenticula † illorum post talia dicta
Ingreditur, mox hic iuuenem † de limine cernit
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat: sed tum dictis tentando dolosis,
Aegris an liceat per sabbata ferre medelam
Quærunt, calcatæ ut legis uindicta maneret.
Christus ad hæc: foueam si forte pecuscula uestra
Inciderint, certe transibitis ocia legis.
Et pecus abrupto tolletis uile profundo
Quanto igitur nobis hominum curatio maior
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age tu iuuenis rediuiuam extendito dextram
Cum dicto † palmas sanas porrexit utrasq;.

† palmam sanus porrexit utras que

COMMENTARII.

TVnc, &c. agit quod in titulo est. Pro limine, id est, ante limen. Pecuscula, id est, etiam parua pecora: aut parui respectu hominis æstimanda. Rediuiuam, id est, in pristinum uigorem redeuntem. Cum dicto, id est, simul cum id dominus diceret.

HOMINEM A DAEMONIO CAEcum & mutum curat: & in principe dæmoniorum id facere opinantes refellit.

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11.

† istis pro signis quæ

Iustum pro signis quem uix ueneratio posset

Mirantis

Mirantis digno populi ſuſtollere cultu
Concilijs trucibus conclamant decipiendum
Talia proſpiciens procerum molimina Chriſtus
† Diſceſſit: uarijs hominum languoribus aptat — † Diſcedēs
Conceſſam in † populis patria uirtute medelam. — † populos
Oblatusq́; illi eſt, quem dæmonis horrida uirtus
Et lingua & uiſu truncatum † afflixit amare: — † uiuere
Et proprijs eſcam cruciatibus eſſe uolebat. — pœnæ
Hunc ubi curatum: uiſuq́; & uoce uigentem
Cæca phariſææ cognouit factio gentis:
Dæmonis auxilio (qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ uires ditione teneret)
Hæc illum feciſſe ferunt: ſed talia Chriſtus
Veridicis aperit conuincens pectora uerbis.
Si gemina regnum diſtractum parte dehiſcat,
Et ſciſſa aduerſum ſeſe diuiſio pugnet:
Diſruptis properè labentur cuncta medullis.
Horridus & dæmon ſi dæmone pellitur atra,
Aduerſa ſibimet ſciſſus uirtute repugnat.
Quis poterit prædam tectis auferre uirorum,
Hi prius aggreſſor, cuſtodum brachia nodis
Vinciat: † & facilis ueniat direptio prædæ? — † ut
Quiſq́; meis aberit diſcretus miles ab armis,
Hoſtis ut aduerſa conſiſtet fronte duelli:

† cogendis Quisq; meis gregibus † cogentibus liber oberrat
Disijcit ille mei pecoris per deuia pastus.
Sed quicunq; hominum fuerit: super omnibus error
Dimitti poterit tantum ne spiritus unquàm
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Siue furens hominis nato conuicia quisquàm
Ingerit: hæc etiam poterunt peccata remitti.
Spiritus at sanctus tantum: cuicunq; prophana
Verborum rabie uiolabitur: irreuocatis
Supplicijs nunc & semper torrebitur ignis
Quando ueneniferi serpentis sæua propago,
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia iustis,
Et mala letifero procedunt ora ueneno.
Verborum meritis ueniet sub iudice pœna:
Verborum meritis dabitur sub iudice uita.

COMMENTARII.

Istum, &c. Credo legendum esse iustum, aut Christum. Nam istum per contemptum dicimus. Narrat illud Matth. 12. Exeuntes autem pharisæi concilium faciebant aduersum eum, quomodo prodderent eum. Iesus autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes, &c. Patria, scilicet, diuina uirtute. Oblatusq;, hoc est. Tunc oblatus est ei dæmoniũ habẽs

cæcus

cæcus & mutus, et curauit eum. Factio, id est, simultas & dissensio à Christo. Cæca, id est, excæcans eos. Dehiscat, id est, scindatur aut diuidatur. Labentur quia desolabuntur. Quis poterit, &c. hoc est. Aut quomodo potest quisquàm intrare in domum fortis & uasa eius diripere, nisi prius alligauit fortem. Quisq;, id est. Qui non est mecum contra me est, &c. Fronte duelli, id est, prima parte aciei hostilis. Quisq; meis gregibus, id est, qui non congregat mecum spargit. Quisq;, id est, quicunq; liber, id est, libertate præditus oberrat meis gregibus cogentibus, id est, colligentibus, id est, dum mei colligunt disijcit, id est, dispargit, &c. Ne spiritus, id est, committatur in spiritumsanctum quod est finalis impœnitentia ex obstinatione, aut desperatione, aut confidentia spe ueniæ, &c. Hominis nato, scilicet, Christo uerborum. Ex uerbis enim tuis iustificaberis: & ex uerbis tuis condemnaberis.

SVPER HOC. QVAECVNQVE PAter fecerit: hæc & filius similiter faciet: & quia uenit hora & nunc est quando &c. Item Scrutamini scripturas. Moses accusat uos, si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.

Ioan. 5.

QVæ genitor faciet, sectabitur omnia natus,
Namq; idem nato manifesta cuncta uidenda:
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim genitor demortua corpora reddit
Ad clarum uitæ lucem: sic omnia natus
Quæ uolet ad superos surgentia corpora ducet.
Nec genitor quenquàm uestrum se iudice quæret:
Sed dedit hæc nato quærendi iura per orbem:
Gloria quo moneat similis natoq; patriq;
Namq; repulsus erit uestro si natus honore:
Improbitate pari genitorem despicietis
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figet
Mox me mittentis genitoris dona uidebit.
Aeternamq; dabit præsens constantia uitam.
Iudiciumq; illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisq; uigens ad lumina tendit.
Adueniet tempus, quo mortua corpora uocem
Accipient nostram, & uitam cum uoce tenebunt.
Nam sicut genitor uitam sibi possidet in se:
Sic tribuit nato uitam: & ius dicere iussit
In terris, hominis quoniam cum corpore uenit.
Nec uobis mirum uideatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum proprijs exurgere bustis,
Iustorumq; animas rediuiuo corpore necti,

Iudicio-

Iudicioq́; graui miseros exurgere prauos.
Nec mihi iudicium tribuet mea sola potestas,
Arbitrio, quoniam genitoris cuncta iubentur:
Qui me iusticiam terris disquirere iußit:
Namq; ego si proprio testis pro nomine surgam,
Falsa loqui possem, ast alius quia testis habetur
Pro nobis, recte mihi talia temnere fas est.
Nam ueris operum signis, manifestior omni
Luce nitet, præsens nostris testatio factis.
Talia concedens genitor mihi testis adhæret,
Qui me demisit terris sua ponere iussa.
Huius enim uocem, nunquàm comprendere quistis,
Nec speciem propriam conceßit uisere uobis.
Nec sermo ipsius poterit per uestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est

COMMENTARII.

QVæ genitor &c.]Prosequitur illud Ioan. 5. Quæcunq; ille, hoc est, pater, fecerit, hæc & filius simul facit: Pater enim diligit filiũ, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera ut uos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Neque enim pater quenquàm, sed omne iudicium dedit filio ut omnes honorificent filium, sicut

honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. Amen amen dico uobis: quia qui uerbũ meum audit & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit sed transiet à morte in uitam, & reliqua dicto capite.

Sectabitur, id est, imitabitur, quia similia faciet. Nanque idem, scilicet pater. Ad superos, aut in cœlum aut auras uitales. Quæret, id est, inquiret aut examinabit, hoc est, nec pater iudicat quenquam. Inde dicitur quæsitor, qui scelera inquirit, ut Aeneid. 6. Quæsitor Minos urnam mouet. Quò, id est, ut. Repulsus honore. Subaudi ab. Gratia, id est, acceptio & complacentia. Constantia, id est, firma fides. Nec uobis mirum. Nolite mirari hoc. Quia, id est, quod. Venit hora. In qua omnes qui in monumentis sunt audiẽt uocem filij dei &c. Rediuiuo, id est, iterum uiuenti & resuscitato. Mea sola &c. Non possum à me ipso facere quicquàm. Comprendere quistis, pro quiuistis.

Substantia nulla, id est, firmitas, unde scriptum est, Credite & intelligetis.

QVæratur ueterum scriptorum lectio uobis,
Perpetuã cunctis uitam quam ferre putatis:
Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis:

Ne ue-

Ne ueræ uobis contingant gaudia uitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis:
Nanq; ego qui summi genitoris nomine ueni
Respuor à uobis, ueniet sed disculus alter,
Nomine quem fultum proprio gens uestra sequetur.
Alternæ in uobis captatur gloria famæ:
Vnius & solam fugitis disquirere laudem.
† *Ne uos arguerim coram genitore: sed illic* † Nec
Accusator erit, quem spes modo uestra celebrat,
Moses: quem fidei nullo seruastis honore.
Eius enim scriptis uester si crederet error:
Crederet & nobis, Mosi quem scripta frequentant.

COMMENTARII.

Q*Væratur ueterum &c.*] Hoc est, Scrutamini scripturas. Hæc lectio: scilicet uerũ scriptorum nostrorum donum, aut quod nos damus beneficium, aut quo dati sumus. Ioannes dicit: Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibẽt de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Non mihi captatur. Hoc est, claritatem ab hominibus non accipio &c. Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me. Si alius uenerit in nomine suo illum accipietis. Vnde dicit: Veniet sed disculus alter. loquens de an

tichristo. Sequetur, scilicet cum uenerit. Alternæ, hoc est, Quomodo uos potestis credere qui gloriam abinuicem accipitis: & gloriam quæ à solo deo est non quæritis? Vnius igitur, id est dei. Cui uni, id est, soli debetur gloria. Nec uos arguerim, hoc est, Nolite putare quòd ego accusaturus sum uos apud patrem. Est qui accusat uos Moses, in quo uos speratis. Si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit: Si autem illius literis non credideritis: quomodo uerbis meis credetis? Moses sic latine dicitur, ut ab Iuuenale. Vester si crederet error. Non potest fieri ut error recte credat, ergo uult dicere: si uos qui erratis desinentes errare crederetis.

PHARISAEIS SIGNVM PETENTI*bus*, Ionæ & Niniuitarum signum *tradit.* MAtth. 12. Luc. 11. Marc. 8.

TAlia tum contrà, scribarum uerba sequuntur.
Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si uirtus certis firmet miracula signis,
Deut. 32. *Ille dehinc, polluta magis generatio quærit.*
Signa sibi, rebus stabunt, sed signa futuris.
Ionæ 2. *Nanq; propheta cauo quantum sub pectore ceti.*
Temporis absumpsit, terræ in penetralibus altis
Progenies hominis, tantūq; dimersa manebit.

Aduenit

Adueniet tempus, quum surget reddita uitæ
Gens hominum proprijs in fletum dedita gestis.
Hæc istam digno damnabit crimine gentem:
Quod maris è fundo surgentis uoce prophetæ. Ionæ.3.
Commonita in lachrymas dominum proiecta reflexit.
Hic & Ionæis monitis potiora iubentur,
Contemnitq; feris animis gens impia lucem.

COMMENTARII.

T*Alia tum contra.*] Redit ad Euangeliũ Matthæi, quod continuũ innuit superiori Euangelio Ioannis. Ordo in Principio hic est. *Talia uerba scribarum sequuntur.* Tum, id est, tunc postq̃ sic loquitur dominus Contra, id est, ex aduerso, id est, ita responderũt. Indubitata fides comitabitur, id est, comes erit. Istis uocib. id est, tuis dictis. Si uirtus, scilicet tua. Firmet, id est, cõfirmet miracula, scilicet uerborum. Certis signis. i. factis miraculosis, hoc est. Tunc responderũt ei quidã de scribis & pharisæis dicentes: *Magister uolumus à te signum uidere.* Qui respondens ait illis: *Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ: Sicut enim fuit Ionas in uentre cæti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in*

iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pulsquàm Ionas hic, hoc dicit. Polluta magis, *id est, multum, quia mala & adultera.* Propheta. *Scilicet Ionas.* Quantum temporis. *Quia trium dierũ & noctium, per Synecdochen loquendo. De noctibus tamen minus constat: quia duæ duntaxat uidentur nisi ab hora qua dixerit: Tristis est anima mea usque ad mortem, eas numeraueris.* Gens. *Scilicet Niniuitarum* Monitis Ioneis, *id est, Ionæ. quia: Et ecce plus quàm Ionas hic.*

3. Reg. 10. & 2. Paral. 9.

ET regina noti uitales surget in oras.
Illius ad specimen damnabitur effera plebes.
Finibus extremis Lybiæ quòd uenerat illa,
Vt Salomona pium præceptis dedita iustis
Audiret, potior nunc est Salomone potestas.
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.

Specimen. i. respectum uel probationem.

Expulsus si quando fugit de pectore dæmon,
Quem turbat sanctus purgato corpore flatus,
Ille uenenatis collustrat passibus oras,
Qua nulla excurrit fontani iurgitis unda.
Si requiem placidæ sedis non repperit ardens,
Tum repetit suetæ sitiens habitacula mentis.
At si forte suis obnoxia corda uenenis,

Ornatuq;

Ornatuq́; leui ridentia limina cernit
Aſſociat ſeptem ſimiles glomerando furores
Vis inimica homini, penetratq́; in uiſcera ſerpens
Sic genus hoc uero ſenſu cum degener errat,
Vincula perpetuis deflebit ſubdita pœnis.

COMMENTARII.

ET regina noti.] Id eſt, Auſtri. Nam notus uentus humidus dicitur, & Auſter ab hauriendis aquis dictus. De hac dicit dominus Matth. 12. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ audire ſapientiã Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon hic etc.

Salomona pium, qui interpretatur pacificus. Potior poteſtas. Quia plus quàm Salomon hic, id eſt, ego ſum: demonſtrat enim ſe, ſicut Comicus: Tu ſi hic ſies aliter ſentias. Expulſus. Proſequitur illud idem. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiem & nõ inuenit. Tunc dicit, reuertar in domum meam unde exiui. Et ueniens inuenit eam uacantem, ſcopis mundatam & ornatam. Tunc uadit et aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe: & intrantes habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ. Sanctus flatus,, id eſt, ſpiritus.

Qua

Qua, id est per quas, aut qua parte. Nulla unda, id est per loca arida. Furores, id est, furias aut spiritus peiores se. Genus degener, id est, degenerans.

MATREM ET FRATRES NEGLIgens, dicit sibi matrem & fratres *esse, qui audiunt & faciunt uerbum* Dei. *Matthæi.* 12.
Marc. 3. Luc. 8.

† ea *ATq; † hæc cũ populis uitalia dicta frequẽtat,*
Pro foribus mater cum fratribus astitit illic:
Et miscere foris sermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit.
Hic mecum genetrix, mecum germana residunt
Corpora: nam patria impletur cuicunq; uoluntas,
Ille meo proprium connectit sanguine corpus:
Et matris generisq; mei sub nomine habetur.

COMMENTARII.

ATq; hæc quum populis &c.] *Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te.. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manũ ad discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei.*

Quicunq;

Quicunq; enim fecerit uoluntatẽ patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater soror & mater est. Hoc dicit. *Sed quæras qui sunt fratres? Nõ enim dicemus cũ Mahumeto diuã uirginẽ alios genuisse, quæ perpetuo permansit uirgo. Errauit aũt ille: quia Matth. 1. dicitur: Et non cognoscebat eam donec peperit filiũ suum primogenitum. Quasi uerò postea eã cognouerit, & non fuerit primogenitus nisi peperisset secundum. Qui igitur fratres? Nempe sobrini eius, filij materterarũ. Ac dices discipulos fuisse cum eo, fuerunt quidam sed non omnes. Sed hic nodus ab alijs facile dissoluitur. Pro foribus, id est, ante fores. Miscere sermonem, id est, colloqui. Cominus. Quod dicunt de propè: sicut eminus de longè. Tractum à præliantibus: qui cominus quasi conserta manu, & eminus, quasi telo è manu misso certãt. Mandatis, id est, pronuncianti mandata, id est, commißiones (ut dicunt) matris. Germana corpora, id est, fratres mei. Patria, id est, paterna. Cuicunq;, id est, à quocunq;. Generis, id est, consanguinei &c.*

SEDENS IN NAVICULA IESUS turbis parabolas exponit, primo *seminãtis. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.*

PRogreditur templo terrarum lumen Iesus
Et maris extrema terræq; resedit in ora,

Innume

Innumeræq; illuc plebis fluxere cateruæ.
Ille sed excelsam scandens celeri pede puppim,
Littora complecti depromit talia plebi.
Ecce sator proprio commendat semina ruri,
† sortes Illa cadunt diuisa solo. † sortemq; locorum
† nā sicuti Pro uirtute ferunt, † etenim si ubi trita uiarum
Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aërijs auibus dant uilem semina prædam.
Ast ubi pertenui uelantur puluere saxa,
Farra quidem uiridem depromunt germinis ortum.
Sed quia nulla subest siccis substantia glebis.
Inserto arescunt radicum fila calore:
Cunctaq; mox apicum labuntur acumina leto:
Seminibusq; alijs contingunt aspera rura.
Sentibus hic spinisq; feris uelocius exit
Roboris augmentum, frugemq; internecat angens
Vberibus uerò quæ dantur semina glebis,
Illa ferunt pulchram segetem, cui læta frequentat
Incrementa sui centena copia fœtu.
Audiat hæc, aures mentis qui gestat apertas.
Talia discipuli mirantes dicta, requirunt
Implicitis populo cur clauderet omnia uerbis:
Ille sed admota credentum plebe profatur.
Vobis qui firmo robustam pectore mentem

Ad capienda Dei penetralia constabilistis,
Concessum est adytis penitus consistere regni
Illis pro merito clauduntur limina uitæ.

Si quis habet dignus, capiet potiora redundans:
Qui uerò expertes cœlestis muneris errant,
Amittent etiam proprium quodcunq; retentant.
Idcirco obscuris cooperta ambagibus illum
Promitur in populum sermonis gratia nostri,
Vt dictum Esaiæ merita de plebe recurrat:
En populi mentes uelantur ad omnia crassis
Obicibus: sensu ne tangant munera uitæ:
Auribus assistunt clausis: oculisq; grauatis.
Ne conuersa bono sanetur noxia plebes.
Quàm uestræ nunc sunt aures oculiq; beati?
Nam multi ueterum iusti sanctiq; prophetæ,
Quæ uobis clarent orarunt cernere dona.

COMMENTARII.

Progreditur templo, hoc est, de domo ut dicit Matth. sed interpres forte dixit de domo pro eò quod est de æde sacra. Verba Matth. sunt. In illo tempore exiens Iesus de domo sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ: ita ut in nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore, & locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce

exijt qui ſeminat ſeminare. Et dum ſeminat: quædam ceciderunt ſecus uiam, & uenerunt uolucres cœli & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ: ſole autem orto æſtuauerunt, & quia nõ habebant radicem aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas, & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam & dabunt fructum: aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimũ. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis. Quia uobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Qui enim habet dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideò in parabolis loquor illis: quia uidentes non uident, & audientes non audiunt neq; intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Eſaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis & non uidebitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt & oculos ſuos clauſerunt, ne quando uideant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & ſanem eos. Veſtri autem beati oculi quia uident, &

dent: & aures uestræ quia audiunt. Amen quippe dico uobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt, &c. hoc dicit. Apicum id est, aristarum. Læto, id est, occasu. Sui, scilicet, copiæ.

Accipite ergo animis quis sit de semine sensus,
Quisq; meum uerbum summas demittit in († aures,
Nec sensus recipit stabili præcepta uigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon:
† Talis agro est similis, duro qui germina farris
Exponit rapidis auibus sine fruge rapinam.
Sunt alij, læto qui pectore nostra receptant,
Sed breuis est illis perceptæ gratia frugis.
Nam si dura premat mentem strictura coërcens,
Continuo trepidi produnt sibi credita farra:
His saxosus ager simili leuitate uirescit,
At spinosus ager: curarum mole grauatus
Respondet, pressant quos pondera diuitiarum.
Semina sic nostri sermonis pressa grauantur,
Nec fructus sequitur spinarum horrore necatus.
Pinguia sic itidem paribus stant uiribus arua
Illis qui clare capiunt præcepta salutis
Quæ penetrant animum: sensu tractante tenaci.
Centuplicemq; ferunt uirtutis robore frugem,

† auras

† Hic

Hæc tum discipulis: plebiq́; hæc insuper addit.

COMMENTARII.

Accipite, &c.] Vergilianum est hemistichion. Exponit autem parabolam, dicens: Omnis qui audit uerbum regni & non intelligit: uenit malus & rapit quod seminatum est in corde eius, hic est qui secus uiam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est: hic est qui uerbum audit & continuo cum gaudio accipit illud, non autem habet in se radicem: sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter uerbum continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis: hic est qui uerbum dei audit: & sollicitudo seculi istius, & sollicitudo diuitiarum suffocat uerbum: & sine fructu efficitur. Qui uerò in terram bonam seminatus est: hic est qui audit uerbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud uerò trigesimum. Summas, ita ut non ad cor. Interpretatur qui sit malus in euangelio, quia dæmon. Germina farris, id est, semina quæuis. Strictura, id est, persecutio & angustiatio. Produnt quia respuunt & recedunt à doctrina suscepta horrore, id est, asperitate. Insuper addit, scilicet, sequentem parabolam.

PARA-

PARABOLA DE TRITICO ET ZIzania. Matth. 13. & Marc. 4.

Agricolæ simile est regnum sublime tonantis
Ille iacit proprio mandans bona semina ruri.
Sed post subripiens (homini insidiando) saporem
Trux inimicus adit, loliumq; inspergit amarum,
Ecce sed ad fructum culmus cum spiceus (horror)
Processit, lolio meßis maculata redundat.
Tum domino famuli mirantes talia fantur:
Nónne bonum terræ semen per terga dedisti?
Vnde igitur lolio turpi tua rura grauantur?
Sed iam si iubeas messem purgabimus omnem,
Triticeusq; nitor selecta sorde † nitebit. † nitescet
Tum dominus miti contra sermone profatur,
Hic dolus est inimice tuus: sed farra sinamus
Crescere cum lolio, pleno nam tempore meßis
Secretum lolium connexo fasce iubebo
Ignibus exuri, at nostro de semine † meßis † messor
Horrea nostra dehinc purgata fruge replebit.

COMMENTARII.

Agricolæ.] Prosequitur parabolam de tritico & zizania ut in Matth. patet. Mandans. i. committens. Trux inimicus. i. dæmon, qui inimicus homo dicitur. Lolium, id alio nomine zizania dicitur.

Maro. Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis. Infelix lolium & steriles dominantur auenæ. Secretum, id est, separatum à tritico.

PARABOLA DE GRANO SINAPIS

Matth. 13. Marc. 4. Luc. 13.

Haud aliter simile est (cordis si panditis aures)
Præparui grano regnum cœleste sinapis:
Quod proprio insinuans disponit cultor agello.
Seminibusq; illud minus omnibus esse uirentum
Creditur, ac iusti mox ut crementa uiroris
Sumpserit, erecto transcendit uertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumbea turba
Considat, positq; umbras habitare uirentes.

COMMENTARII.

Haud aliter &c. Prosequitur illud Matth. 13. *Simile est regnū cœlorum grano sinapis etc. Per quam parabolā uidetur innuere, ut qui per humilitatē quærit regnum cœlorū, ut sit in oculis proprijs minimus: statim ita excrescere, ut uolucribus cœli, id est, ijs qui se altius euolasse credunt præbeant sub umbra sua requiem.* Minus omnibus, *sup alijs.* Agrorum *Euangelium dicit maius est omnibus holeribus.* Plumea, *pro plumata aut plumosa, sicut Maro. Frondea rura.* Considat, *id est, sedem capiat.*

PARA

PARABOLA DE FERMENTO.

Matth. 13. Luc. 13.

FErmento par est munus cœleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ:
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conductu unius coalescit corpore massæ.
Talia † dum populo perplexis condita uerbis. † tum
Promebat, ueteris quò possent dicta prophetæ Marc. 4.
Ordine seclorum iussis concurrere rebus.
Os aperire meum dignabor, condita mundi
Conuoluet ructans uarij sermonis imago. Psal. 77.
Inde domum repetit sero, turbasq; relinquit.

COMMENTARII.

FErmento par est regnum cœlorum: quia cui illud propositum est, totus eò tendit, ut farina fermentata tota erigitur. Magna mole. Matthæus dicit, tribus satis. Os aperire, hoc est. Aperiam in parabolis os meum &c.

IVVENCI PRESBYTERI. DE EVANG. hist, liber III.

INTERPRETATVR DISCIPVLIS parabolam zizaniorũ. Matth. 13.

Vderat in terras roseum iubar ignicomus Sol,
Discipuli rogitant, lolij quid quæstio [uellet
Et segetis, clarus quibus hæc depromit (Iesus,
Optima qui farris cõmendat semina glebis
Filius est hominis, mundum sub nomine ruris
Accipite, atq; homines puro pro semine iustos
At lolium infelix cooperti dæmonis arte
Sunt homines, inimicus erit uis horrida dæmon,
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores patris uenient per rura ministri
Quos hominis natus proprij de corpore regni
Colligere erroris laqueos labemq; iubebit,
Collectosq; simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper † fletusq; perẽnis († luctusq;)
Secretisq; pijs ueniet lux aurea uitæ:
Sedibus ut cœli uibrantur lumina solis.

CO-

COMMENTARII.

FVderat.] Recitat illud Matthæi.13. Tunc dimissis turbis uenit in domum, & accesserunt eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait: Qui seminat bonum semen est filius hominis, ager autem est mundus. Bonum uerò semen hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminat ea, est diabolus. Meßis uerò consummatio seculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala: & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis & cæt. Deliciose autem describit ortum Solis: quasi postridie quàm parabolas audierant ad dominum accesserint.

Ignicomus, id est, habens radios in morem ignis pro comis. Glebis, id est, terræ opimæ. Vibrentur, id est, fulgeant.

PROPHETAM IN PATRIA SVA sine honore esse.

Matth. 13. Marc. 6. Luc. 3. Ioan. 4.

HAec docuit, patriamq; redit saluator in urbem:
Illic expediens populis (mirabile dictu)

Iustitiæ leges, uitæq; salubria iussa:
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc liuore graui plebes commota suorum:
Præsentiq; simul domini miracula uoluens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem:
Hæc inter sese submissa uoce uolutant.
Ioan. 6. Nónne hic est fabri soboles: cui nomen Ioseph.
Num Mariã genetrix, num fratrũ nota propago est?
Vnde igitur legis doctor, tantæq; minister
† laborum Virtutis, cedit cui labes uicta † malorum?
Nazara sic plebes, cui talia reddit Iesus.
Temnuntur proprijs miracula semper in oris
Et sine honore manet patria sub sede prophetæ?
Talibus indignans preßit sua munera Christus.

COMMENTARII.

HAec docuit.] Prosequitur illud Matth. 13. Et factũ est cum cõsummasset Iesus parabolas istas, transit inde, & ueniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum: ita ut mirarentur & dicerent. Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus et Ioseph, et Simõ et Iudas? et sorores eius nónne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis.

Non

Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatem illorum. Hæc dicit. Vbi rursus dicũtur sobrini & sobrinæ domini fratres, & sorores eius. Cum aperte dicat Euangelium alibi Mariam Iacobi aliam à matre domini. Vnde Valla putat Mariam legendum in nominatiuo accentu in fine, sicut Abraham & Adam, dum nomen est matris dominicæ. Sicut & in textu. Num Mariam genetrix, recte legatur in nominatiuo. Cedit ordo est. Cui, scilicet uirtuti, labes malorum uicta cedit. Plebes Nazara, id est, Nazarena. Sic, sup. locuta est.

DE IOANNIS CAPITE in disco.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. & 3.

INterea ad regem uolitabat fama superbum,
Quod mala cuncta illic uirtus diuina domaret,
Sed putat Herodes læti quod lege remissus:
Tanta ut Ioannes uirtutis dona teneret.
Nam quondam cernens lucenti pectore dæmon
Erroris labem: puris quod solueret undis
Iustus Ioannes, damnis accensa malorum
Tunc petit Herodem pestis sæuißima regem.
Et facile iniusti penetrans habitacula cordis,

Accum-

Accumulare feris ſubigit ſcelera impia geſtis.
Arſerat illicito Herodes accenſus amore
† ſancto In thalamos fratris, † caſto quod iure uetabat
Doctus Ioannes. feritas ſed neſcia recti
Subiecit leges pedibus fruiturq; nefandis
† ipſumq; Connubijs, † iuſtumq; ſuper † (quia praua uetabat)
† qui Carceris immerſit tenebris uinclisq; grauauit.
† primo cō Sanguine nam iuſti † (prometio preſſa timore)
preſſa Abſtinuit ſitiens feritas: qua magna prophetam
Plebis Ioannem ueneratio ſuſcipiebat.
Natali ſed forte die, quum læta tyrannis
Herodes celſis strueret conuiuia tectis,
(Luxuriæ quoniam coniuncta ſuperbia gaudet)
In medio iuuenum reginæ filia uirgo,
Alternos laterum celerans ſinuamine motus,
Compoſitas cythara iungit modulante choreas,
Ipſe ſed imprimis (mirata uirginis arte)
Attonitus ſtupuit: tunc præmia cuncta patere
Iuratus ſpondet: quæcunq; puella petiſſet.
Illa ſed horrendæ ſeruans ſcelera impia matris,
Vrget Ioannis caput à ceruice reuelli.
Et lance inferri præſentia munera poſcit.
Præſentum Herodes procerum ſub pondere triſtis,
† ægrè Iurandiq; memor iuris: tamen imperat † æger

Insontis caput inferri tradiq; puellæ.
Illa nefas matris scelerata ad gaudia portat.
Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christumq; sequuntur.

COMMENTARII.

INterea ad regem.] Describit illud Matth. 14. In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis. Hic est Ioannes Baptista. Ipse surrexit à mortuis, & ideò uirtutes operātur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, et alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et uolens eum occidere timuit populū: quia sicut prophetā eum habebāt. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcunque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco, caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex, propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant iußit dari. Misitq; & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ: & illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius & sepelierunt illud, & uenientes nunciauerunt Iesu.]

Hoc

Hoc dicit. Vbi sciemus principium fuisse post mortem Ioannis quam per incidentiam recitat. Læti, id est, mortis, quia praua uetabat. Aeneid. 2. Quia bella uetabat. Promotio, id est, prælatura, aut lege promoto timore.

DE QVINQVE PANIBVS ET DVObus piscibus, quibus satiauit quinque milia hominum. Matthæi. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

ILle ubi cognouit iusti miserabile lætum:
Deserit insontis pollutam sanguine terram.
Frondosaq; latet secretæ uallis in umbra.
Sed populi immensæ uirtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in ualle remota
Conuenisse uidet, morborum tabe repulsa:
Corpora subiecit miseratus multa medelæ.
Iamq; sub extremo labentis lumine solis:
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Vt sibi quisq; paret quærens per compita uictum:
Ille iubet cunctis illic conuiuia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum
Ni pisces geminos: & farris fragmina quinq;.
+ tum Hoc inquit satis est, † tunc mox discumbere plebem,
Gramineisq; thoris iussit componere membra.

Suspiciensq;

Suspiciensq; dehinc cœlum genitore precato:
Ipse duos pisces & quinq; ex ordine panes
Diuidit,& dapibus mensas onerauit opimis.
Iamq; expleta iacet (dictu mirabile) plebes:
Relliquiasq; dehinc mensis legere ministri
Bis senosq; sinus cophinorum fragmina complent,
Cœnantum numerus tum milia quinq; uirorum,
Præterea populus matrum fuit & puerorum.

Precato passiue, id est, orato.

COMMENTARII.

ILle ubi cognouit.] Scilicet ut homo: nõ ut deus omnia prænouit, aut ubi eum scire cõstitit frondosa quia secessit in locũ desertũ. In ualle remota uidet conuenisse. Regitur à uidet nõ à conuenisse, quod accusatiuum postulet. Paret, id est, cõparet. Compita, id est, uicos & pagos quos multi petunt. Cunctis illic cõuiuia &c. Quidam legunt ibidem: sed media est longa. Farris fragmina, id est, quinq; panes. Suspiciens sursum aspiciẽs. Opimis. Quia miraculosa meliora sunt quàm natura, aut quia tot satiauerunt.

IESVS SVPER MARE AMBVLAT, & Petrum urgentẽ apprehendit.

Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 6.

DIscipulis tunc inde iubet conscendere nauem
Et transire fretum, donec demitteret omnes

In sua

In sua quenq; uiros, tunc montis celsa petiuit,
Secretusq; dehinc genitoris nomen adorat.
Iamq; soporata torpebant omnia nocte.
Quum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Iactata aduerso surgentis flamine uenti.
Ast ubi iam uigilum quarta statione premebat
Noctis iter rapidos attollens lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis, sicco uestigia gressu
Suspensus, carpebat iter (mirabile uisu)
Iamq; propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo uibrabant corda pauore,
Clamoremq; simul confusa mente dederunt.
† tunc † Tum pauidis Christus loquitur, timor omnis abesto
Credentumq; regat uegetans constantia mentem.
En ego sum, uestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus.
Si tua nos uerè dignatur uisere uirtus
Me pariter permitte tuo super æquora iussu
Fluctibus in liquidis immersos uigere gressus.
Annuit his dominus, nauem mox linquere Petrus
Audet, & innixus figit uestigia ponto.
Verum ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant uentiq; minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore.

Quæ ualidum fidei gestabant æquora robur.
Iamq; Simon medio submersus corpore clamat.
Fluctibus horrendis pereuntem deripe Christe.
Dextera confestim protenditur obuia Petro
Et dubitata fides uerbis mulcetur amaris.
Ascensæq; rati contraria flamina cedunt.
Præsentemq; dei sobolem stupuere rogantes
Cuncti, nauigio socij quos casus habebat.

Transierat tandem sulcans freta feruida puppis,
Optatumq; grauis comprenderat ancora portum.
Conueniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, uestisq; attingere fila
Extrema exoptant, mirumq; hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.

COMMENTARII.

Discipulis tunc, &c.] Prosequitur illud Matth. eodem capite. Et statim compulit discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum transfretum donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius uentus. Quarta autem uigilia noctis uenit ad eos ambulans supra mare, & uidentes eum supra mare ambulantem tur-

bati sunt dicentes: quia fantasma est, & prae timore clamauerunt. Statimq; Iesus locutus est eis, dicens: Nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te uenire super aquas. At ipse ait, ueni: Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum. Videns uerò uentum ualidum timuit. Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi. Modicæ fidei quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam cessauit uentus. Qui autem in nauicula erant uenerunt & adorauerunt eum, dicentes: Vere filius dei es. Et cum transfretassent in terram Genesar obtulerunt ei omnes male habentes, & quicunq; tetigerunt fimbriam eius salui facti sunt.

DE MANIBVS LAVANDIS, ET de his quæ de ore exeunt, quæ coinquinant, non quæ intrant in hominem. Matth. 15. Marci. 7.

Ecce pharisei scribæq; hinc inde dolosi
Captantes Christum: promunt fallacia dicta.
Cur tua discipulos † lapsare sinunt documenta
Præceptis ueterum? manibus nam cura lauandis

† patitur doctrina labare

Prætai

Præterit, aſſumuntq́; ſimul cum ſordibus eſcas.
Ille ſub hæc fatur, magis hoc eſt quærere dignum,
Transgreßi † mandata dei quod proditis omnes. † præcepta
Namq; deus mortem defixa lege minatur.
Si genitor cuiquam uerbo lædatur amaro:
Vel genitrix nati uerbis pulſetur acerbis:
Irrita uos iſtæc facitis, peruerſa docendo:
Quàm manifeſta uigent de uobis dicta prophetæ.
Me populus ſummis labijs ſublimat honore
Sed diuerſa procul cordis ſecreta pererrant
Accipite ergo omnes, auresq́; aduertite cordis.
Non illata † homines, fuerint quæcunq;, pudendis † homini
Sordibus aſpergent, uitæue animoue ſedebunt:
Erumpunt hominum ſed quæ penetralibus oris,
Internam miſerè maculabunt edita mentem.
Diſcipuli Chriſto memorant, quod uerba loquentis
Occulto traherent ſcribarum pectora riſu.
Ille dehinc, genitor plantarum ſemina noſter,
Quæ non ipſe ſui conſeuit in æquore ruris
Abijciet: penitus radicibus eruta † longa. † longe
Cæcus forte ducem cæcum ſi nactus oberrans
Decidet in foueam pariter dimerſus uterq;.
Tum petit abſolui Petrus, quid quæſtio uellet:
Ipſe phariſæis quam mox ſcribisq; dediſſet.

Tum sator æternæ respondit talia uitæ.
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Iussa: nec admittit mentis dubitatio lucem.
Nam quæcunq; hominum ueniunt extrinsecus ori,
In uentrem cedunt, animoq́; incognita currunt,
Quæ uerò interno concepta è pectore promunt
Ora hominum, mentem possunt aspergine labis
Polluere, immundoq́; hominem maculare piaclo.
Secreto cordis promuntur noxia uitæ
Consilia: & cædes, & furta nephanda thororum,
Et fraudes: fallaxq́; hominum protestibus error:
Et † rabidæ cœlum pulsans insania uocis.
Hæc sunt quæ maculant hominē: quæ sordibus implent
Illotis autem manibus non polluit unquàm
Corporis arbitrio terrenum sumere uictum.

† rapidæ

COMMENTARII.

Ecce pharisæi.] Prosequitur quod in fronte permittitur. Lapsare, id est, frequenter labare. Labare autem primam corripit. Ferunt, id est, patiuntur. Sub hæc, id est, post hæc. Fatur, id est, ait. Cuiquàm, id est, à quoquàm. Quàm, id est, quantum, aut ò quantum. Sublimat, id est, exaltat. Accipite. id est, intelligite aut audite seu discite. Non illata. i. nō quæ intrant per os. Erumpūt. s. sed quæ exeunt de corde &c.

Verba

Verba loquẽtis, ſcilicet Chriſti, id eſt, quod audito uerbo hoc ſcandalizati fuerunt. At Chriſtus reſpondens ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis eradicabitur. In æquore, id eſt, campo æquo & plano: ſicut & Maro frequenter ponit, æquor & aquarum planicies, æquor dicitur: & aqua per æqua dicitur. Aſpergine, id eſt, aſperſione. Piaclo pro piaculo. i. peccato graui & expiatione digno. Furta thororum. i. adulteria. Fallax error. i. mendaciũ pernicioſum

FILIAM MVLIERIS SYROPHEniſſæ à dæmonio curat.

Matth. 15. Marc. 7.

HAec ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorũ
Sidonem Tyrumq́; petit, cum fœmina fuſis
Crinibus & precibus natam cauſata iacentem,
Voluitur: & tacitum non deſerit anxia Chriſtum
Orare: ut mentem uexatam dæmone ſæuo
Redderet, & miſeræ tandem reſipiſſe liceret.
Tunc etiam precibus ſectantum diſcipulorum
Reſpondit proprias genitoris malle uidentes
Cogere, quas uanus late diſperſerat error.
Crebrius inſtanti tum talia fatur Ieſus:
Natis quiſq; ſuis panem non detrahet unquàm:
Et canibus iaciet, tum talia fœmina fatur:

Micarum saltem canibus sua portio mensæ

✝ decidet ✝ Decidat, atq; mihi dominorum cœna ✝ grauetur.

✝ grauatur Tum dominus loquitur, ueniant tibi digna salutis

Premia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.

Talia Saluator uerbis & uoce loquutus

Virginis & mentem (discluso dæmone) uirtus

Complexam impleuit donis fœcunda salutis.

COMMENTARII.

Hæc ubi dicta dedit.] Narrat illud eiusdem dicto capitulo. Egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis, & ecce mulier Chananea à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio uexatur. Qui non respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa uenit & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis: & sanata est filia eius ex illa hora.

Hæc

Hanc rem omni admiratione dignißimam graphice proſequitur autor noſter. Sidonem. Bene ſecundam producit, ut Aeneidos primo. Teucrum memini Sidona uenire. Cauſata, id eſt, pro cauſa aſſerens, etiam latine ſumit. Nam ineptiunt qui cauſare pro efficere aut producere accipiunt. Non deſcrit aut non deſinit. Reſipiſſe pro reſipuiſſe, ſed ut dixi olim ſapio facit ſapiui, & inde reſipio, reſipiui. Vnde eſt reſipiſſe Nam reſipiſſo in uſu non eſt, & ſi eſſet faceret reſipiſcere. Malle, id eſt, ſe magis uelle. Canibus ſua, id eſt, debita portio. Virtus ſcilicet uerborum Chriſti.

SECVS MARE GALILAEAE COEcos, claudos & mutos ſanat, & ſeptem panibus & paucis piſcibus ſaturauit quatuor milia hominum.

Matthæi. 15. Marci. 8.

INde Galilæas repedat Saluator in oras,
Præcelſiq; procul montis conſidit in arcem.
Haud mora conueniunt populi, ſecumq; trahebant
Pars captos oculis, & uulgus debile crura,
Elinguesq; † alij, morbiq; uocabula mille — † alios
Omnibus ille tamen languores dempſit amaros,
Viribus & ualidis uenerando munere donat.

Tum populi pariter miracula tanta frequentant
Aeternoq́; patri laudes gratesq́; celebrant.
Discipulos Christus cogens in uertice montis,
Secrete alloquitur, plebis miseratio multa est.
Tertia nam terris remeant iam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum.
Ieiunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa uiantes.
Discipuli Christo ostendunt septem sibi panes
Esse, & pisciculos alimenta ad proxima paucos
Tum populum iussit terræ per terga cubare
Quodq́; fuit, totum proprijs decerpere palmis:
Et cunctæ curat mensatim tradere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusq́; repletur
Ad satiem dapibus, relegunt mox fragmina panis
Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quatuor ex omni fuerant tum milia plebis.
Nec numero quisquàm matres purosq́; notauit.

COMMENTARII.

INde Galilæas.] *Recitat illud quod habetur Matth. 15. & Marci 8. Sed Matthæi ferè sequitur seriem. Dicit itaq; sic: Iesus uenit secus mare Galilææ, & ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles*

debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos ita ut turbæ mirarentur: uidentes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes, & magnificabant deum Iſraël. Ieſus autem conuocatis diſcipulis ſuis dixit: Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Et dicunt ei diſcipuli: Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam. Et ait illis Ieſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt ſeptem, & pauculos piſciculos. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes & piſces, gratias agens fregit, & dedit diſcipulis, & diſcipuli dederunt populo, & comederunt omnes & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor milia hominum extra paruulos & mulieres. Et dimiſſa turba aſcendit in nauiculam, & uenit in fines Magedan & cæt. hoc deſcribit autor dicẽs, &c. Inde Galileas pro Galileias. Repetat, id eſt, pedibus repetit. In arce, id eſt, in uertice. Montis præcelſi, id eſt, alti. Conſidit, id eſt, locum capit, ut ſit correſpondens uerbo repedat: aut poſtea conſedit, id eſt, locum cœpit. Haud mora, ſup. fit. Ca-

ptos oculis, id est, cæcos. Debile, id est, habens debilia crura, id est, claudos & debiles. Elingues, id est, mutos. Vocabula, id est, nomina mille, id est, plurima.

Dempsit, id est, attulit curando. Donat, sup. omnes. Cogens, id est, compellens aut congregans. Miseratio multa est sup. mihi, id est, misereor super turbam. Remeant terras, id est, gradiuntur per terras. Iam tertia lumina solis, id est, tres dies. Ex quo, id est, postquàm nulla sibi sumunt, dicere posset sumpsere. Terga, Id est, superficiem. Palmis, id est, manibus. Mensatim, id est, per mensas.

DE SIGNO IONAE PROPHETAE.

Matth. 16. Marc. 8. Ioan. 6. Luc. 12.

INde Magedarum naui transcurrit in oras
Ecce Pharisæi Sadducæiq; dolosi.
Poscere tentantes instant cœlestia signa.
Sed Christus cernens fallacia pectora fatur.
Conuexum quotiens claudit nox humida cœlum
Si ruber astrifero procedit uesper olympo,
Dicitis, adueniet uentura luce serenum.
Iamq; sub exortu solis si tristia rubro,
Nubila miscentur confusa luce colori:
Dicitis agricolis nautisq; uenire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumq; furores.

Fallaces

Fallaces, nostis faciem discernere cœli,
Seclorum uero nescitis tempora signis
Explorare suis? sed uobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam uenere profundo,
Belua cum tenuit uentris sub carcere uatem. Ionæ. 2.
Hæc ait, & properè puppis retinacula soluens
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
Arua Philipporum, socijsq; hæc talia fatur.

COMMENTARII.

INde Magedarum.] Cum fine 15. capitis apud Matthæum narrat principium 16. Vnde quia ne libros quidem iuxta capitulorum distinctionem distinxit crediderim. Euangelia tunc nondum per capita distincta fuisse. Dicit autem Matthæus sic. Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogauerunt eum ut signum de cœlo ostenderet. At ille respondens ait illis: Facto uespere dicitis serenum erit: rubicundum est enim cœlum, & mane. Hodie tempestas. Rutilat enim triste cœlũ. Faciẽ cœli dijudicare nostis signa autem temporum nõ potestis. Generatio mala et adultera signum quærit. Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abijt. Hoc dicit, quod & alibi dixit: Vnde bis idem, sed diuersis respondit dominus.

Magedarũ

Magedarum in euangelio Matth. legimus Magedam. Conuexum cœlum. Epitheton aptum calo, sicut nox humida dicitur. Vtrunque autem ex Virgilio sumpsit. Vesper ruber. Bene masculino utitur, ut Maro. Deniq; quid uesper serus, & cæt. quia pro stella Veneris, quæ & uesperus, hesperus dicitur: hic uesper uesperi. Fragrosam quasi fracturam naues, aut malos. Vatem, id est, Prophetam Ionam. Talia, quæ sequuntur.

DE FERMENTO PHARISAEORVM

Matth. 16. Marc. 8. Luc. 12.

Sollicite uobis uitentur noxia farra,
Fermentumq́; ferox uestris auertite mensis.
Illa Pharisæi Sadducæiq́; dolosi
Admiscent escis, falluntq́; in nomine panis.
Cur uobis tacitas uoluit cunctatio mentes?
Prò quàm parua fides sensu torpente fatiscit!
Dicitis aduersi, naui quòd tollere panes
Non fuerit uobis uacuum, farrisq́; cauendas
Insidias iubeam, meminisse, & scire putabam
†Panes quinq; mihi plebis quod milia quinq;
Implerunt dapibus, cophinisq́; superflua tantis
Fragmenia ad cumulum fuerint collecta ciborum.
Quatuor & rursum cœnantum millia panes

† Quod panes quini plebis mihi milia quinque.

Quod

Quod facile implerint septem sportasq́; referri
Vidistis rursus completas reliquiarum.
Sed moneo istorum semper fermenta cauenda.
Discipuli tandem uitalia uerba sequuti:
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.

COMMENTARII.

Sollicite uobis.] Id est, à uobis. Frequenter enim dat passiuis uerbis dandi casum. *Farra noxia*, id est, fermentum nociuum. Vnde addit: fermentumq́; ferox ubiq; ponitur pro, id est, illa scilicet fermentum & farra noxia, quæ ut Euangelium interpretatur, sunt semina falsæ doctrinæ. *In nomine.* Diceret sub nomine nisi uersus uetaret. *Aduersi naui*, id est, appliciti ad nauem. Illi enim cogitabant intra se: quia panes non accepimus. Hoc est, quod ideò diceret dominus: quia panes non apportauerunt secum, quasi innuat eos stulte fecisse, cum nolit pane pharisæorum uesci, & alium non attulissent. *Sed moneo istorum &c.* Hoc est, quare non intelligitis, quia non de pane dixi uobis: Cauete à fermento pharisæorum & saducæorum. Tunc intellexerūt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina pharisæorum.

Petrum

PETRVM POST CONFESSIONEM quia Christus filius dei esset, dure increpat, quòd eũ à morte dehortaretur.

Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9.

INde ubi peruentum est liquidi per terga profundi
Clara Philippæo qua pollent nomine rura:
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit quem se populorum fama putaret.
Respondent multas plebis tunc esse loquelas,
Crebrius audisse & multos firmare quod esset
Iustus Ioannes, populos qui flumine lauit.
Pars memorat uolucris famæ sibi cognita uerba.
Pars trepidat, memori seruans oracula mente.
Malach.6. Heliam uenisse iterum quem præpete cursu
4.Reg.2. Turbine cœlesti quondam simulata quadrigis.
Astris inseruit rapidæ uis feruida flammæ
Hieremiam dixere alij: pars esse prophetam.
Tunc Christus cunctis arridens pectore blando
Conquirit quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus: Tu sancti filius, inquit,
Christus, magnifico terras qui lumine complet.
Tum dominus forti respondet talia Petro,
Petre beatus eris: nam talia pandere certe
Humanus sanguis, uel terræ portio corpus:

Haud

Haud unquàm poterit genitoris munera sola
Possunt tam ualidum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna uirtute tueris,
Hac in mole mihi saxiq; in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Inferni domus hæc non exuperabile portis
Claustrum perpetuo munitum robore habebit.
Cœlestisq; tibi claues permittere regni
Est animus terrisq; tuo quæ nexa relinques
Arbitrio cœlo pariter nodata manebunt.
Soluerit, & rursus tua quæ sententia terris,
Haud aliter uenient cœli sub sede soluta.
Sed uos discipuli Christum me dicere cunctis
Parcite: quod soli cognoscant talia digni.
Iam lux adueniet properis mihi cursibus instans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona furore
Eximios uatum saturabit sanguine nostro,
Ast ubi lucifluum reddet sol tertius ortum,
Consurget radijs pariter: redimita salutis
Vita mihi cunctisq; dabit sua munera terris.
Tunc Petrus magno perpulsus corda dolore.
Absint Christe tuis, inquit, tam tristia sanctis
Monstra procul membris, nec fas est credere tantum
Nec tibi tam durus, poterit contingere casus:

Christus

Chrūs adhæc. Procul hinc, inqt procul effuge dæmon

ꝗ diuina Nil † tua diuinam mentem prudentia tangit:

tibi Sed terrena sapis, mollisq; timore tremiscis.

COMMENTARII.

INde ubi peruentum & cæt. Recitat illud Matthæi 16. *Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quē dicūt homines esse filium hominis,* id est, quem dicunt me esse, qui sum filius hominis: loquitur enim de se dominus. *At illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam: alij aūt Heliam: alij uerò Hieremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illi Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei uiui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. & cæt.* Recitat etiam illud. *Exinde cœpit ostendere discipulis, quòd oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati. Et quomodo Petro dicenti: Absit à te domine. Non erit tibi hoc. Respondit dominus: Vade post me satanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominum.* Vbi signandum quòd qui in uno responso commendatus est, in altero ne glorietur acriter reprehensus est. Qua scilicet parte Philippo: quia in partes Cæsareæ Philippi.

Conci

Concilium.ſ.apoſtolorum.Inſeruit,ab inſero. Tu ſancti,ſcilicet,dei,qui ſolus ſanctus, comples & complet legi poteſt. Tueris, id eſt,aſſeris tibi. Prona,percita monſtra tormentorum.

DICIT CRVCEM SVAM TOLLEre debere unumquemq́ꝫ,qui uelit domi num ſequi: & dicit non uiſuros quoſdam mortem,donec uideant filium hominis in regno uenire. Mat.16. Mar.8.

SED ſi quis ueſtrum ueſtigia noſtra ſequetur.
Abneget hic ſeſe,corpusq; animamq́; recuſans
Atq; crucem propriam comitatibus addere noſtris
Gaudeat,amiſſam redimet cui gloria uitam,
Nam ſeruata perit terris poſſeſſio lucis
† Commoda ſed quid erunt ſecli mortalia lucra,
Si damnum pariant uitæ lucisq; perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis ueniet ſub nomine patris,
Cœleſtesq; illum fremitu comitante miniſtri
Stipabunt,reddetq́; homini ſua debita uitæ.
Vera loquor,certos iſtic ſub nomine lucis
Inueniam,cœli fulgens cum regna capeſſam.

COMMENTARII.

SED ſi quis] Recitat id quod in titulo eſt. Pro

priam, id est, suam, quia crucem domini portare ne animo possit. Possessio lucis, id est, uitæ: quia qui amat animã suã in hoc mundo perdit eã. Cœlestes ministri, quia filius hominis uenturus est in gloria patris sui cũ angelis suis, et tunc reddet unicuiq; secundum opera eius unde legam: Reddetq; homini, non hominum. Certos sunt qui de Ioanne euangelista hoc intelligant.

DE TRASFIGVRATIONE IESV Christi. Matth. 18 Mar. 9 Luc. 9

HAec ubi dicta dedit, passus bis terna dierum
Lumina conuerso terras transcurrere cœlo.
Tum secum iubet abruptum conscendere montem
Petrum, Zebedeiq; duos per deuia natos.
Inde ubi peruentum est, secreti montis in arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, uestisq; niuis candore nitescit.
Respiciunt comites mediumq; assistere sanctis
Heliæ Moysiq; uident, tum talia Petrus,
Respice num uobis potius discedere longe,
An ne istæc tante spectacula cernere molis
Conueniat? trina † tamen hic tentoria uobis † *attamen*
Si iubeas frondis faciam diuersa paratu
Singula sub noctem quæ, uos aulea recepent.
Talia dum loquitur, cœlo præfulgida nubes

Circur.

Circumiecta oculis † condebat lumine montem — † uestiebat
Et uox è medio lucis manifesta cucurrit.
† Viuens hic meus est natus: mea summa uoluptas — † Vnicus
Huius iusticiam iusto comprendere corde.
Discipuli pauido presserunt corpore terram,
Nec prius è prono uultus sustollere casu
Audebant: sancto Christi † quam dextera tactu — † nisi
Demulcens blandis firmasset pectora uerbis
Surgite, & abiectum fortes calcate timorem,
Gloriæ & huiusce expertes uos reddite cunctos
Nec cuiquam præsens pandatur uisio uobis,
Ni prius huc hominis soboles speciosa reportet
In lucem referens mortis de sede trophæa.
Consurgunt † solumq; uidentes uoce requirunt, — † solidumq;
Cur scriptis ueterum scribarum factio certet,
Heliam primum cœli de sede reuerti
In terras, Christiq; dehinc consurgere lucem?
Christus ad hæc ueniet certo sub tempore iustus
Helias: reddens mox omnia debita † cœlo — † seclo
Sed si quis credit, iam uenerat ante renascens,
Ignotum ueluti rabies quem cæca furoris
Demersit lœto: mox sæuior altera cædes
En hominis nato trucibus laniatibus † instat. — † instar

COMMENTARII.

HAec ubi dicta, &c. Commemorat transfigurationem dominicā, de qua Mathæi. 17 dicitur sic Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias cum eo loquentes. Respondens autē Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est hic nos esse, si uis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum. Adhuc eo loquente: ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce uox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde: & accessit Iesus & tetigit eos, dixitq; eis: Surgite & nolite timere Leuantes autē oculos suos, neminē uiderunt nisi solum Iesum. Descendentibus illis de monte præcepit Iesus dicens: Nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt quod Heliam oporteat primum uenire? At ille respondens ait ait illis: Helias quidem uenturus est, et restituet omnia Dico autē uobis, quia Helias iā uenit, et nō cognouerunt

runt eum: sed fecerunt in eo quæcunq; uoluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne baptista dixisset eis. hoc dicit Per deuia, scilicet, loca de uia ducenti a. Mutatur, id est, habet mutatam faciem. Tentoria, id est, tabernacula. Aulea, id est, cooperimenta ex ramis. Voluptas comprendere, id est, dum comprendo uobis, id est, à uobis

PVERVM LVNATICVM SANAT & de fide, ut est granum sinapis

Mathæi. 18 Marci. 9 Lucæ. 9

HAec ait: et populũ repetit, montemq́; relinquit
Ecce sed inflexis genibus, fletuq; solutus
Vir senior, precibus Christum ueneratus adorat:
Dauidis soboles hominum lumenq; salusq́;
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Perturbes: reddasq́; seni solatia uitæ.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, & in liquidas deiectum proijcit undas:
Aut miserum medio proiectum uoluit in igni.
Nam tua discipuli sectantes iussa frequenter
† Connixi: nulla in solidum mihi dona dederunt.
Tum Christus magno commotus corda dolore.
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar uobiscum me fore terris?

Sic ait, & puerum mandat perferre parenti
Ante ſuos uultus, tum uocis pondere multo
Incubuit, mentisq; ſimul conuulſa uenena
Dæmonis horrendi, purgato corde fugauit.
Diſcipuli rogitant, cur non ſucceſſerit illis
Euiſdem pueri totiens tentata medela?
Reſpondit dominus: titubat quia pectore ueſtro
Inſtabilis fidei nútans per lubrica greſſus (+ Inſtar quæ minimi poſſet præſtare ſinapis)
Sed ſi tanta foret credendi portio + uobis (+ nobis)
Quæ minimi poſſet granum ſynapis
Iſtius hinc montis + poſſetis uellere uerbo. (+ poteritis)
Inq; alias ſedes cunctam tranſoluere molem
+ At genus hoc morbi duntaxat uota precesq;
Multaq; robuſti ieiunia pectoris arcent. (+ Nam genus hoc morbi precibus ſine fine fideq;)

COMMENTARII.

HAec ait etc. Vnde Matthæi 18 Cum ueniſſet Ieſus ad turbam acceſsit ad eum homo genibus prouolutus ante eum dicens: Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt: et male patitur. Nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum diſcipulis tuis & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus ait. O generatio incredula et peruerſa quo uſq; ero uobiſcum Vſq; quò patiar uos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illũ Ieſus: & exijt ab eo demo

dæmoniū et curatus est puer ex illa hora. Tūc accesse runt discipuli ad Iesum secreto & dixerūt: Quare nos nō potuimus eijcere illū? dicit illis Iesus: Propter incre dulitatem uestram. Amen quippe dico uobis, si habue ritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic: transi hinc, & transibit & nihil impossibile erit uobis, hoc autem genus non eijcitur, nisi per ieiunium & orationem.

PETRVS IN ORE PISCIS INVENTO nummo dissoluit tributum. Mat. 17.

INde Capharnaum gradiens † peruenit ad oras
Conuenere Petrum quibus instat cura tributi,
Soluere poscentes solitum pro nomine Christi.
Ille sed ad Petrum conuersus talia fatur.
Dic, inquit reges, quorum dependere natos,
Externos proprios né † sine iussere tributa?
Respondit Petrus † his alienos soluere certum est
Cernis, ait Christus, natum non soluere regis?
Sed ne quem lædam præceptum suscipe nostrum
En maris undisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa Simon, hamusq; profundo,
Stamine setarum connexus, præcipitetur.
Hæserit & curuo qui primus acumine piscis,

† peruenerat oras

† sibi

† alij his non habēt

Huius pandantur scißi penetralia uentris.
Illic inuento duplex dissolue tributum

COMMENTARII.

INde Capharnaum. Narrat illud. Et cum uenissent Capharnaum accesserunt, qui didrachmam accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister uester non soluit didrachmam. Ait. Etiam: Et cum intrasset in domum præuenit eum Iesus dicens. Quid tibi uidetur Symon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum uel censum, à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem nõ scandalizem eos uade ad mare, & mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore eius inuenies staterem, illum sumes da eis pro me & te, hoc dicit. Capharnaum penultima producta posuit, ut Menelaus. Quorum dependere &c. ordo est. Quorum natos iussere dependere, id est, persoluere sibi tributa, externos, id est, an externos natos, ne pro an proprios. Scandatur tibi, id est, à te. Setarum, id est, de seta equina facto, uentris, euangelium dicit in ore. Duplex pro Christo & pro Petro.

DE HVMILITATE PVERI, ET XCIX. ouibus. Mat. 18. Mar. 9. Luc. 9. & 7. & 15.

Di-

Discipuli post inde rogant, qui maximus alto
In cœli regno, & meritis pro qualibus esset?
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, & placido doctor sermone profatur.
En huius similem pueri se reddere certet,
Quisq; cupit celsam cœli conscendere sedem.
Erroris laqueos seclis increscere certum est,
Sed tamen infelix per quem generabitur error.
Qui uerò è paruis istis deceperit unum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
Præcipitemq; maris sese iaculetur in undas.
Nec quisquàm fastu paruos contempserit istos.
Horum custodes cœlesti in sede tuentur
Altithroni uultum genitoris sidera supra.
Sed si quis pastor cui pascua credita tondent
Centum balantes, unam cum forte scorsum.
Nescius error habet, quæsitor deserit omnes.
Vnius & totis lustrat uestigia syluis.
Illam si magno poßit reperire labore,
Læti. ia inuentæ maior cum nascitur agnæ.
Quàm pro cunctarum numero quod nulla † recesit. †resedit
Ex istis paruis genitor sic perdere quenquam
Non patitur, gaudetq; suis increscere regnis.

COMMENTARII.

Discipuli post inde recitat principium. 18. Cap. Matthæi, dicentis: In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Quis putas maior est in regno cœlorum. Et aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum, & dixit. Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo me suscepit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in colla eius, et dimergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut ueniant scandala. Verumtamen uæ homini per quem scandalum uenit. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim uobis, quia angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est &c. Huius similem bene genitiuo utitur, quia de moribus intelligit. Nectat, id est, alliget quod tamen euangelium non dicit sicut ipse id faciat, sed ut ipsi fiat fastu, id est, superbo contemptu. Sidera supra pro supra sidera. Sed si quis &c. Recitat illud ibidem, & Lucæ. 15. Si fuerint alicui centum oues et errauerit

rauerit una ex eis, nónne relinquit nonaginta nouem in montibus, & uadit quærere eam, quæ errauit? Et si contigerit ut inuenit eam, Amen dico uobis, quia gaudet super ea magis quàm super nonagintanouem, quæ non errauerunt. Sic non est uoluntas ante patrem uestrum qui in cœlis est, ut pereat unus ex pusillis istis. Centum balantes, id est, centum oues, tondent, scilicet pascendo.

DE CORRECTIONE FRATRVM.

Math. 18. Luc. 17.

SI fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solus.
Si tua uerborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris,
Sin tua solius contemnet uerba † relinquens
Tunc alijs pariter monitor pia iussa frequentet.
Sed si decutiet doctorum frena duorum
Tunc ad † consilium referantur crimina plenum.
Vt populi saltem sanetur pondere uictus.
Sin & multorum contempserit efferus ora.
Sit tibi diuisæ mulctatus nomine gentis.
Namq; in consilium semper præsentia nostra
Adueniet, mediumq; duum me stare necesse est,
Siue trium fuerit cœtus sub nomine nostro.

† reluctans

† concilium

COM-

COMMENTARII.

SI fratrem, &c. Matthæus sic. Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit, adhibe tecum unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit sit tibi ethnicus & publicanus. Dico uobis quod si duo ex uobis consenserint super terram de omni re quamcunq; petierint: ibi sum in medio eorum.

IGNOSCERE NOS DEBERE INuicem, usq; septuagies septies Matthæi. 18. Lucæ 17.

TVm Petrus quærit, quot fratri errata remittat.
An septem lapsus homini indulgere liceret?
Christus prosequitur, non septem crimina tantum
Sed decuplata super donentur uulnera fratri.

COMMENTARII.

TVnc Petrus. Prosequitur illud ibidem. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? Vsq; septies? dicit illi Iesus: Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.

DE EO QVI CONSERVVM propter denarios centum suffocat. Mat. 18.

NAm cœli regnum domino prædiuitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Iusserit & seruum debentem multa talenta
Præcipit abreptum cum coniuge progenieq́;
Atq; opibus cunctis, uenali nomine sisti.
Tum seruus dominum prostrato corpore adorat.
Et spondet spacij sibi si foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino dissoluere summam.
Commouit dominum famuli miseratio flentis,
Cunctaq́; trans meritum concessit debita seruo.
Ille sed egrediens, conseruum limine in ipso
Nactus constringit, tum debita † fortior urget   † fortius
Persolui, precibusq́; locum truculentus abegit.
Carceris & mersum tenebris pœnisq́; premebat.
Quæ postquàm dominus famulorum noscere uerbis
Incipit adducto ingessit iustissima seruo
Dicta dolens, iramq́; mouet, iussisq́; seueris
In tormenta ferum detrusit, cuncta reuoluens
Debita, quæ dignis lueret per uincula pœnis.
Sic uobis faciet genitor qui culmina cœli
Possidet, immites sæuo si pectore fratrum

Pec-

Peccata orantum dure punire uoletis.

COMMENTARII.

NAm cœli regnum] Continuo prosequitur euangelium Matthæi quod ibidem subdit sic. Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cũ seruis suis. Et cũ cœpisset rationem ponere oblatus est ei unus, qui debebat ei decem talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari & uxorem eius et filios & omnia quæ habebat & reddi. Procidens autẽ seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centũ denarios, & tenẽs suffocabat cũ dicẽs: Redde q̃ debes. Et p̃cidens conseruus eius rogabat eũ dicens: Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt ualde & uenerũt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Nónne ergo oportuit & misereri conserui tui, sicut & ego tui

tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eũ tortoribus quoadusq; redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris.

VXOREM NON DIMITTENdam, nisi ob fornicationem.

Infantes non arcendos esse à benedictione dixit. Matt. 19. Mar. 10.

TAlia dicta dedit Galilæaq; rura reliquit,
Iudæamq; petit: qua pinguia rura silenter
Agmine Iordanis uiridis prorumpit amœno
Nec minus in stratis ægris donare salutem
Sublimisq; patris concedere munere † præstat
Ecce pharisæi tentantes quærere pergunt,
Coniugis an liceat reiectum scindere uinclum,
Quicquid erit læsi tanget quod corda mariti?
Hæc ubi percepit: depromit talia Christus.
Principio deus in terris par dispare sexu
Constituit: iussitq; uno de corpore necti,
Amborumq; animos iunctis molescere membris,
Quod deus ergo iubet proprio concrescere uerbo,
Illicitum est hominum fœdo secernere luxu.

† perstat

Mo-

Moses præcepit (quod pectora dura uideret)
† dißidiū Scribere † discidium quo saxea corda reuinci
† flammas Per proprios apices poßint sub iudice † flammæ
Nam temere exoluet casti qui iura cubilis,
Alteraq; illius thalamis sociabitur uxor.
Crimen adulterij, populo sub teste subibit.
Discipuli referunt urget lex ista uirorum.
Seruitijq; premit non æquo pondere partem.
Vt melius fuerit thalamis caruisse perosis?
Respondit dominus, non omnes pondere tanto
Subijcient humeros, lectæ sunt talia dona
Virtutis trino truncantur corpora more.
Quæ nulla gaudent genitali lege thororum.
† oras Namq; alios tales progigni in luminis † auras
Comperimus, plerosq; hominum uis ferrea sexu
Exuit: atq; alios ipsis sibi demere constat
Pro cœli regnis pronum de pectore amorem.
Quisq; capax fuerit celsa uirtute capessat,
† læti Quod paucis † lætisq; deus uult pandere munus.
Hæc ait, & pueros quos gaudens cura parentum
† lectis Cum precibus † lætis certatim hinc inde ferebat,
Suscipit & plebem sectantum quod prohiberet,
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cœlestis, sanctas his ordine palmas

Impo

Imponit, redditq; ulnis portare parentum.

COMMENTARII.

Talia dicta. Exprimit illud Matth. 19. *Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos migrauit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi: & accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunq; ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro Quod ergo deus coniunxit homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duriciam cordis uestri permisit uobis permittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem uobis, quia quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit mœchatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere Qui dixit illis: Non omnes capiũt uerbũ illud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi qui de matris utero*

sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eius imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus uero ait eis: Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me uenire: talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. hæc dicit Silenter, id est, cum silentio. Graphice autem describit Iordanis cursum, reiectum primam producit, sicut Maro. Reijce ne maculis infuscet uellera pullis. Tanget corda, id, est, quacunq; ex causa sit offensus. Par, scilicet hominum, id est, matrimonium facit ex sexu dispari: quod, id est, quia uidetur, dißidium id est, libellos repudij. Reuinci, id est, dissolui per proprios apices, id est, propriam scripturam, flammæ, scilicet, irarum. Temere, scilicet, excepta causa fornicationis per quam licet dimittere, sed nõ aliam superducere. Vrget partem uirorum: quia durum est mulieri malæ semper coniunctum esse, & tamen lex uetus iußit matrimonium contrahere. unde dicit dominus, neminem deinceps cogendum ad tale onus, si uidelicet in cœlibatu ob amorem dei uelit uiuere, nec sentit ut se quisquàm castret membra

mutilans

mutilando, sed concupiscentiam subtrahendo. Genitalia, id est, instituta ad generationem. Vis, id est acies ferri, id est, culter. Pronum, scilicet, ad Venerem, amorem interpretatur quid sit se eunuchos facere propter regnum cœlorum. Capesset, id est capiet hoc loco. Plebem, scilicet, discipulorum, unde legerem sectantum: Portare, id est, referre: ulnis id est, complexu brachiorum

DIVITEM DIFFICILE INTROIre in regnũ cœlorũ. Matth. 19 Marc. 10. Lucæ. 18.

Ecce sed è populo iuuenis cui rura domusq;
Et gaza, & rerum stabat possessio fulgens
Accedit, Christumq; palam submissus adorat.
O bone preceptor, dic nunc que facta sequamur
Vt mihi perpetuam liceat comprendere uitam.
Huic autor uitæ tum talia reddit Iesus.
Nunc demum quæris ueteri quæ lege tenentur,
Non hominis perimes uitam, non furta thororum
Inuades, quæstumúe alienis noxia rebus,
Mens aut dextra leget: non testis falsa loqueris
Sit genitor genitrixq; tuo sublimis honore:
Proximus & puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc: ista hæc semper mihi perpete cura

Obseruata reor, sed ne quid forte relictum
Desit, præsenti liceat me uoce moneri.
Tunc Christus fatur, nunc si perfecta requiris
Prendere † pro celsis meritis uestigia uitæ. † præcelsis
Omnia quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, & ad miseros confer securus egentes.
Tunc thesaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutisq; tenax uestigia nostra sequeris
Hæc adolescentis ueniunt ubi dicta per aures,
Deiecit uultum: tristisq; in tecta refugit.
Tum sic discipulis uitæ spes unica fatur:
Difficile est terris affixos, diuite gaza
Auelli: cœliq; leues in regna uenire,
Nam citus tenuis per acus transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quàm diues ualeat cœlestia regna uidere. † queat diues cœlest
Talibus, attoniti comites stupidiq; silebant
Voluentes quæ tanta foret sub pectore uirtus
Humano: talem possit quæ prendere uitam.
Respicit æternæ iustorum gloria uitæ.
Atq; ait: Hæc homini forsan uideantur acerba
Sed deus electis facilem præpandit in æthra
Possibilemq; uiam uirtus quam celsa capessat.

Ecce sed è populo Matthæus sic. Et ecce unus accedens ait illi. Magister bone quid boni faciã ut habeam uitam æternam. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono. Vnus est bonus deus. Si autem uis ad uitam ingredi serua mandata. Dicit illi quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies, &c. Dixit illi adolescens. Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni sequere me. Cum audisset autem adolescens uerbum, abijt tristis. Erat enim habens multas possessiones. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico uobis quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum, &c. Apud deum autem omnia sunt poßibilia, &c. Leget, id est, colliget quæstum, id est, lucrum. Mens, id est, concupiscentia. Dextra, id est factum Distrahe, id est, uende.

IESVS PROMITTIT CENTVplũ receptur ũ, qui omnibus renunciet, *primos fieri nouißimos, Mathei.9. Marci.10 Lucæ.18*

TVm Petrus fidei munitus mœnibus, infit,
Omnia † nostra olim proiecta reliquimus (omnes
Et tua iussa sequi nobis spes unica restat.
Quid nostris animis superest? dic Christe precamur,
Talibus ad Petrum uerbis respondet Iesus.
Vos quicunq; meum mentis penetralibus altis.
Credentes seruatis iter, cum sederit altè
Progenies hominis, celso quem cinget honore
Maiestas, bis sex illic pulcherrima uirtus
Constituet uobis sublimis in uertice sedes:
Iudiciumq; hominum pariter tractare licebit.
Hic quicunq; sui linquet generisq; domusq;
Gazas: affectusq; omnes pro nomine nostro
Centuplicata dehinc capiet: uitamq; perennem.
Primorum meritum postremi transgredientur,
Vltima præteriti capient uix premia primi.

† nostrorū proiecta

COMMENTARII

TVm Petrus. Prosequitur Mattheus sic. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quia uos qui sequti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis

nis qui dereliquerit domũ uel fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & uitam æternam poßidebit. Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouißimi primi. hæc dicit, autor ſatis dilucide.

PARABOLA OPERARIORVM IN *uineam conductorum. Matth.20.*

SEdulus ut ruris dominus cui dulcia fundum
Pinguibus in campis late uineta coronant,
Hic ubi greſſus primo cum lumine ſolus
Conduxit iuuenum fortißima robora, pactus
Vnius in lucis certa mercede laborem,
Et ſua tum iußit cultu uineta poliri.
Ipſe ſe l egrediens, ubi tertia uenerat hora
Inuenit ecce alios ad opus, quibus ire iubebat,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta ſequuntur.
Aſt ubi ſexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud ſecus hinc alios iuuenes conducere pergit.
Horaq; nona dehinc ubi ſolis curſibus acta eſt,
Tunc alios pariter conductos iußit adire.
Vltima labentis reſtabat portio lucis,
Egreſſus cernit iuuenes, cauſasq; requirit,

Cur pigris manibus torperent ocia lenta.
Conductor reddunt ipsis quod nulla dedisset
Iussa, suo dominus mox hos insistere ruri
Tunc etiam iussit, sed uespere protinus orto,
Præcipit ut cuncti caperent mercedis honorem.
Aequaliq; omnes portarent præmia nummo,
Tunc manus illa uirûm, prima quæ luce laborem
Sustulerat, fessisq; diem tolerauerat æquum.
Indignans secum tali cum murmure fatur:
Iniustum est, istos similem ut nos quærere nummum,
Vltima quos operi sero conduxerat hora.
Tum dominus ruris sedato pectore fatur:
Illibata tibi mercedis portio saluæ
Redditur, & pacti seruantur iura fidelis.
Istis de nostro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomerauit portio ruri.
Nam multos homines dignatio sancta uocauit.
E quis per nimiam dignum est secernere partem.

COMMENTARII.

SEdulus recitat illud Mat. 20. Simile est regnum cœlorũ hominis patrisfamilâs, qui exijt primo mane conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertiam, uidit

uidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis. Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam: & fecit similiter. Circa undecimam uerò exijt, & inuenit alios stantes, & dixit illis Quid hic statis toto die ociosi? dicunt ei: quia nemo nos conduxit, dicit illis: Ite & uos in uineam meam. Cum sero autem factum esset dicit dominus uineæ procuratori suo, uoca operarios & redde illis mercedem incipiens à nouißimis usq; ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant: acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt, autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabãt aduersus patremfamiliâs, dicentes: Hi nouißimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens uni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volo autem & huic nouißimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouißimi primi, & primi nouißimi. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi. Hæc canit autor. Ordo in principio

est, Sup. regnum cœlorum est. ut sedulus dominus ruris, id est, paterfamiliâs. cui dulcia uineta coronant, id est cingunt late fundum in campis pinguibus. hic id est, talis ubi, id est, postquàm progressus, sup. est à domo sua cum primo lumine solis conduxit fortißima robora iuuenũ. pactus, id est, paciscēs. certa mercede, id est, denarij, in laborē id est, operā unius diei. Cæterorũ ordo facilior est. Ad opus quibus melius quos. Cõductos iußit audire: ecce accusatiuo utitur. Manus, id est multitudo. Sustulerat à suffero sustinuerat. Similem ut nos, id est, nostro aut nobis, hora conduxerat, id est. dominus ad horam, est tamen nominatiuus ultima hora ut metrum indicat. Extima id est extrema.

IESVS PRAEDICIT DISCIPVLIS passionem suam, & filij Zebedei petunt ab eo. Matth. 20. Mar. 10. Luc. 18.

HAec ait, & Solymos repetit, comitesq; seorsum
Alloquitur, Solymisq; iterum regionibus infit
Ingredimur gnari, truculentaq; mœnia adimus
Filius hic hominis tradetur ad ultima mortis.
Scribarum procerumq; ferens ludibria membris
Affixusq; cruci, post tertia lumina surget.

Hic

Hic tum Zebedei coniux submissa rogabat.
Vt Christo medio cœli sublimis in arce
Felices nati dextra leuaq; sederent.
Tum quærit Christus calicem si sumere possent,
Quem si præceptis instaret sumere patris,
Respondent se posse simul. Tum talia Christus
Vos nostrum calicem fas est potare, sed altis
Sedibus æquale mecum considere honore,
Non hoc nostra dabit cuiquàm pro munere uirtus
Hæc paucis genitor sublimia dona reseruat.
Exin discipulos dictis pro talibus omnes
Commotos, stabili sermonis mulcet honore.
Gentibus infidis celsa ditione potestas
Imponit, † quoscunq; uelit dominentur eorum,
Exercentq; trucem subiectis urbibus iram.
Vos hic sed longe tranquillior æquora uitæ
Concordi sternit mitis moderatio pace
Magnus & obsequijs crescit super alta minister
Nec primus quisquàm, nisi cunctis seruiat, unus
Esse potest, hominis † nate sic cuncta ministrat
Obsequio solus proprio pia munera gestans.
Pro multisq; animam precioso sanguine ponit,
At uos ex minimis opibus transcendere multis

quemcunq; super dominantur

†natus

Et

Et ſic è ſummis lapſi comprenditis imos:

COMMENTARII.

HAec ait. Pergit Mathæus ſic. Et aſcendens Ie= Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto & ait illis, &c. Cõſidere, id eſt, capere ſedem. Cætera nota ſunt.

SVPER HOC, RECVMBE IN NO*uißimo loco.* Lucæ. 14.

SI uos quiſq; uocat cœnæ conuiuia ponens
Cornibus in ſummis deuitet ponere membra,
Quiſq; ſapit, ueniet forſan ſi nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per ſumma locârat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorq; dehinc ſi mox conuiua ſubibit.
Ad potiora pudens tranſibat ſtrata thororum.

COMMENTARII.

SIc uos. Recitat illud Lucæ 14. Cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior. Hæc dicit. Si uos quiſq;. Frequenter dicit quiſq;, pro quiuis, ſeu aliquis: et interdũ pro quiſque, ſeu quicunq;. Cornibus, id eſt angulis triclinij. Eximio, id eſt eminenti loco.

IN

IN DIE PALMARVM. DE ASINA
& pullo eius. Mat. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

PRoxima tum Solymis cōſcendit culmina montis
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis oliuæ,
Hinc lectis iuſsit ſectantum diſcipulorum,
Obuia caſtelli monſtrans habitacula Chriſtus,
Inde aſinam pariter fœtu comitante repertam
Ducere, uel ſi quis cauſam diſquirere uellet,
Cur ſua tam ſubito quoquàm iumenta trahantur,
Huic † reddant, noſtro nuncijs opus eſſe magiſtro. † reddas
Diſcipuli celeri complent præcepta paratu,
Adducunt, mollisq; ſuper uelamine ueſtis
Inſternunt placidum pullum: præbentq; ſedendum
Hinc ueteris quondam fluxit uox nuncia uatis
Ecce uenit placidus tibi rex, quem terga ſedentem
Præmitis geſtant aſinæ pulliq; ſequentis.
Tum populi ſtratas prætexunt ueſtibus omnes,
Quaq; iter eſt Chriſto, ſubnixa fronde coronant,
Proxima tunc alij ſpoliant palmeta uirore,
Conclamantq; omnes Dauidis origine creto,
Os anna excelſis ſit gloria læta tropheis.
Sic † tunc ingreditur, Solymorum mœnia Chriſtus, † adeò
Ingreſſo occurrit primo ſublime templi
Cruribus atq; oculis certatim debile uulgus,

Quos

Quos ubi tam subito gressu nisuq; uigentes
Cuncta sacerdotum cognouit factio mirans
Et pueros templi complentes tecta canorè
Osanna egregia Dauidis stirpe creato.
Tunc præcontantur cuncti quæ causa canoris
Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
† inquit *Christus ad hæc legis † sancte uos scripta tenere*
† Creditur † *Creditis: infantum quæ dicit ab ore uenire,*
Lactentum, & linguis iusti consurgere laudem.

COMMENTARII.

PRoxima tum Solymis. Recitat illud Matthæi. 21. *Cum appropinquasset* Hierosolymis, & *uenisset* Betphage *ad montem* Oliueti: *tunc* Iesus *misit duos discipulos dicens eis:* Ite in *castellum*, &c. Hæc *succincto carmine prosequitur.* Glaucicomantis, *id est habētis comas, id est, frondes glaucas, sicut* Minerua *cuius inuentrix dicitur, glaucos accesios oculos habere.* quoq;, *id est,* & quo *sed* q; *licenter* producitur: quo *autem dum duæ sunt* partes rite producitur. Si *legatur quoquò, id est, quocunq;, melius staret metrum sed non sententia: dic* quoquàm. Præmitis, *id est,* & *præ cæteris mitis.* Factio, *id est, factiosa,* & *seditiosa multitudo.*

DE

DE FICV QVAE ARIDA FACTA est. Mat. 21. Mar. 11. Lucæ 16.

HAec ait, ingratam linquens cum ciuibus urbem
Bethaniãq; petit, rediensq; in margine cernit
Strate tendentem diffusa umbracula ficum
Illic forte cibi pertentans corda uoluntas,
Arboris attrectat ramos, sed nulla facultas
Pomorum † sterilis fron lis concreuerat umbræ.
Olli Christus ait, non sit tibi fructibus unquàm
Copia promendis, tum protinus aruit arbos,
Discipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Christus stupidis aßistens talia fatur.
Nunc ligni istius nostro stupuistis honore
Desisse ad uires terrenos ducere succos
Sed ueris uerbis iterumq; iterumq; monebo.
Namq; fides si certa animi consistet in arce.
Nec dubijs † mutans uicijs tremebunda iacebit.
Arboris istius uobis substantia cædet.
Nec tantum istius, sed montis celsa reuelli
Credentum uerbis poterunt undiq; † profundis
Cum syluis pariter, saxisq; ferisq; recondi.
Et quæcunq; fides robusto pectore poscet
Credentum: semper digna uirtute tenebit.

† sterili frõdis cõcreuera umbra

† nutans

† profundi

COMMENTARII.

Haec ait. Prosequitur illud Matthæi. 21. Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem in Bethaniã ibiq; mansit. Mane autem facto reuertens in ciuitatẽ esurijt. Et uidens fici arborem unam secus uiam. Hæc carmine prosequitur autor. In margine stratæ, id est, secus uiam publicam. Pomorum, recte quia & ficus poma sunt: cum sint qui credant in ficu transgressum Adam. Copia, id est, facultas. Desisse pro desijsse. Iterumq; iterũq; monebo, ex tertia. Aen. sumptum. Recondi, id est, abscondi. undis, in undas. Cum feris, scilicet, bestijs, quæ in eo cubilia habent.

IESVS INTERROGATVS IN qua potestate faceret, ipse interrogat de Ioannis Baptismate. Matthæi. 21. Mar. 11. Lucæ. 20.

Haec ubi dicta dedit, templi se mœnibus infert. †Collecti inquirunt, uirtus quæ tanta dedisset.
Confestim proceres populi miracula rerum
Mirantes rogitant, qua uirtute efficis ista?
† Illis Christus ait: Quærentibus omnia uobis
† Ollis Dicere iam facile est, si nobis uestra uicißim
Percontata prius paucis sententia soluat.
Nuper Ioannis puro qui gurgite lauit
Sordentes populi maculas, diuina potestas

An

An ne hominis potius uobis fallacia uisa est?
Hæc ait, ancipiti uerborum pondere claudens
Captantum procerum mentẽ: nam magna prophetam
Plebis Ioannem ueneratio suscipiebat.
Nec poterant eius fallacem dicere uitam
Rursus sublimen dixissent si esse prophetam,
Occidisse illum traheret confeßio culpam.
Se nescire igitur respondit factio fallax.
Tum Christus, non est iniustum claudere uocem.
Cum mihi claudantur procerum responsa superba.

COMMENTARII.

H*Aec ubi dicta.* Hæc Matthæus sic. *Et cum uenisset in templum accesserunt ad eũ docentem, principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? &c Nec ego dico uobis in qua potestate hæc facio, &c. Infert mœnibus, id est, in mœnia hoc est, in parietes templi.*

PARABOLA HOMINIS, QVI FIlios mittit in uincã, & quod publicani *& meretrices in regno dei multos sacerdotum & scribarum sunt præcessuri.* Math. 20.

N*Am geminæ prolis genitor maioris in aures*
Talia dicta dedit, uitis mihi portio maior

Semiputata, iacet, sed perge & robore forti
Nunc scrobibus, nunc falce premens, uineta retunde,
Tum iuuenis sese tam sordida uincla laboris
Nolle pati memorat, post omnia iußa parentis
Exequitur, duræ damnans responsa loquelæ.
Post alium natum simile sermone iubebat
Ad uineta sui dependere iussa laboris.
Annuit his iuuenis, nec dictis facta repensat
Dicite uter potius genitoris iussa sequatur?
Illi collaudant nati responsa prioris
Prosequitur Christus: nunc uera aduertite dicta.
Iam magis hinc cœli sedem comprendere certum est
Corporis è uitijs: quærentes sordida lucra.
Quàm uestrum quemquam, uobis nam uenerat ante
Iustus Ioannes, sed non est credere uestrum
Namq; fidem potius meretricum pectora certam
Hauserunt: sordesq; animi posuere pudendas.
At uos tantorum scelerum nil pœnitet unquàm.

COMMENTARII

NAm geminæ prolis genitor. Dicit illud Matth. 21. Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: fili uade hodie operare in uineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo. postea autem penitentia motus abijt. Accedens autē ad

alterum

alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo domine. Et non iuit. Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? dicunt ei. Primus. Dixit illis Iesus. Amen dico uobis, quia publicani & meretrices praecedent uos in regno coelorum. Venit enim ad uos Ioannes n uia iusticiae, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei.

PARABOLA DE VINITOTIBVS qui interficiunt ad se missos,

Matth. 21. Mar. 12. Lucae. 20

Sic quidam diues, cui iugera multa nitentis
Vineti sepes circundensata coërcet.
In medio turrem praelumq; & dolia fecit.
Cultoresq; dedit, fructusq; locauit habendos,
Impositam statuens mercedis soluere legem.
Tum longinqua petit, sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit: quis portio salua
Cultorum certa ruris mercede daretur.
Ecce colonorum hos rabies uerbere saeuo,
Ast alios lapidum proterrent undiq; telis,
Deniq; laetali prosternunt uulnere multos:
Tum dominus ruris plures incedere seruos
Praecipit, & rursum mercedis pacta reposcit.
Maior at in plures audax iniuria surgit.

Vltima iam domino natum dimittere mens est,
Quod sobolem partemq; sui uis digna pudoris
Cultorum cordi uenerandam posceret esse.
Sed contra illorum iam maculata cruore,
Progenie extincta domini: sibi post dominatum
Cedere credentes, crudeli uulnere fixum
Obtruncant, iaciuntq; foras trans septa cadauer.
Post hæc iam dominus ueniet, pœnasq; reposcet
Tantorum scelerum, sed uobis tradita quondam
Fulgentis regni sedes, translata feretur.
† Ad placidam gentem, quæ posit reddere fructus.

Ad gentem dignos quæ

COMMENTARII

SIc quidam diues. Narrat illud Matthei. Homo erat paterfamiliâs, qui plantauit uineam, & sepem circundedit ei, & dedit inde torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autē tempus fructuum appropinquasset misit seruos suos ad agricolas, ut occuparēt fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouißime autem misit ad eos filiū suum dicens: Verebuntur forsan filium meum. Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se. Hic est hæres, uenite

uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eijecerunt extra uineam, & occiderunt. Cum ergo uenerit dominus uineæ, &c

Vineti, ubi uites nascuntur, id est, uineæ.

PARABOLA DE INVITATIS qui contemnunt uenire ad nuptias. Matthæi. 22 Lucæ. 14 Apoco. 19

VT rex qui nato thalamorum uincula nectens
Præcepit, proceres conuiuia læta frequentent
Accitos famulos uoti regalis honorem
Concelebrare simul: cuncti, sed adire recusant
Regales thalamos, regalis pocula mensæ.
Post alios mittit sese largißima cuncta
Magnificasq; dapes, conuiuia læta parasse.
Illi neglectis dapibus, diuersa petebant:
Hic ædes proprias: hic ruris tecta propinqui:
Ast alius potius merces ac lucra reuisit:
Multi præterea missos qui ad læta uocarent,
Insontes famulos rapiunt, & corpora ferro
In mortem cruciant, tum rex ubi comperit acta
Millibus armatis ciues cum mœnibus ipsis
Subruit: effusi famulorum sanguinis ultor.
Tunc seruis fatur: Nunc festa iugalia cenæ

Prelargis dapibus quæcunq; instruximus illis,
Contempsere meis proceres contingere mensis.
Ite igitur properè per publica septa uiarum,
Et quoscunq; illic casus glomerauerit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete uocantes.
Progreßi famuli per compita cuncta uiarum,
Inuentos duxere simul, iam deniq; cunctæ
† plebis Complentur mensæ mixta sine nomine † plebe,
Hic iusti iniustiq; simul cubuere uocati.
At rex ingressus, conuiuia læta reuisit.
Hic uidet indutum pollutæ uestis amictu
† quæ Læticiæ thalamis fuerat † cui dissona lingua.
Isq; ubi regalis sermonis pondere causas
Reddere pro uestis maculis, & labe iubetur.
Oppresso tacuit non puri pectoris ore
Et tunc conuersus famulis rex præcipit illum,
Connexis manibus pedibusq;, & corpore toto
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic stridor erit uasti sine fine doloris,
Et semper fletus, multis iam sæpe uocatis
Paucorum felix hominum selectio fiet.

COMMENTARII.

VT rex. Narrat illud Mat. 22. Simile factum est regnum cœlorũ homini regi, qui fecit nuptias filio

filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos uocare inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Verum miſit alios ſeruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandiũ meũ paraui, &c

IVVENCI PRESBYTERI LIBER QVARTVS DE Euang. hiſtoria.

DE DENARIO CAESARIS Mat. 24. Mar. 12. Lucæ. 20.

ALIA dicentem confeſtim factio frendẽs
Tentare aggreditur, uerbis cum fraude malignis,
Certum eſt ueridicum te nunc ueniſſe magiſtrum,
Nec quemquàm metuens, domini ueſtigia ſeruas
Dic ergo, an liceat noſtræ diſſoluere genti
Cæſaris urgentis ſemper ſub lege tributum?
Ille ſed inſpiciens ſæui penetralia cordis
Cur tentatis ait, nunc me concludere uerbis?
Fallacis mentis perdit fallacia fructum.
Aſpicite en nummum, ſculptiq; numiſmatis æra,
Cæſaris expreſſum, promptum eſt, ibi cernere uultum
Soluite nunc illi † propria ſub lege tributum — † propriũ
Atq; deo proprium legis ſeruemus honorem

COMMENTARII

Talia dicentem. Quemadmodum dixi non uidentur capita fuisse distincta, ut nunc sunt: quod & facile credi potest, quia ante Hieronymum hæc scripsit Ideò autem uidentur non ita distincta, quia libros à medio capituli auspicatur. Prosequitur enim illud Math. 22. Tunc abeuntes pharisei consilium inierunt, ut caperent eũ in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cũ Herodianis dicentes: Magister scimus quia uerax es &c.

DE MVLIERE QVAE SEPTEM fratribus nupsit. Math. 22. Mar. 12. Luc. 20.

Inde Sadducæi tali cinxere latratu
† Mosen, qui legem posuit præcepta iubere, (†Mosea)
Si quis coniugium properata more relinquet,
Pignoribus medijs nondum de germine cretis,
Huius germano rursus sociabile uinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi
Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora: sed maior natu cum uincula nuptæ
Sumpsit, præceleri cecidit sub acumine mortis.
Post alius frater, thalami sine fructibus æque
Concidit, & cuncti iacuere ex ordine fratres.
† Vtq; maritæ uni fletus omnes genuissent († unius cũctos fletus gemuere maritæ)

Post

Post ipsum rapuit gelidæ inclementia mortis,
Si uenient igitur cuncti sub lumina uitæ,
Cuius connubijs mulier reddenda resurget?
† *Illis Christus ait, errori obnoxia prauo,* †*Olli*
Legibus & iussis domini mens dura resistit.
Nescia uirtutum & legum decolor errat.
Namq; sequenda dehinc lætæ reparatio uitæ,
Non thalamos nouit, non terræ gaudia uana,
Sed similes leuibus genitoris iusta ministris
Constituet, regni uirtus sublimis in aula
Nec deus illorum dominum se ponere † *poscit,* †*mauult*
Qui tetram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius uitæ possunt qui prendere lucem.

COMMENTARII.

INde Sadducæi. Prosequitur illud eiusdē. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Ordo autem est. Cinxere, sup. dicentes: Mosen qui posuit præcepta legū iubere siquis &c. Germana corpora, scilicet maior: neq; latine, neq; grammatice id dicit. Nam latine dixisset maximū natu: nam de multis loquitur: aut quia quando metaphorice aut

emphatice loquimur, adiectiua relatiua rei non uoci damus: ut Comicus. Vbi est illi scelus qui me perdidit. Iam quia germana corpora pro fratribus posuit, potuisset dicere maximus, scilicet germanorũ, seu frarum post alius dixissem de secundo aliter. Leuibus ministris id est, angelis incorporeis. Plenius autem rem narrat euangelium.

DE PRIMO MANDATO INTERrogatur, & interrogatus interrogat de Christo, cuius filius sit. Math. 24.

Marc. 12.

Ecce alij rogitant, quæ sint firmißima legis
Ille indefessus nulli responsa negabat.
Sublimem cœli dominum deuotio cordis.
Diligat, est isthæc uirtus firmißima legis.
Consimile est isti, magno teneantur amore
Ad ius fraternum iustæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia iußis,
Sed uobis cuius soboles uentura uidetur
Christus, quem cuncti spondent in secla prophetæ?
Respondent illum Dauidis germine nasci,
Prosequitur Christus. Cur illum dicere Dauid
Diuino flatu scriptum est, dominumq́; deumq́;,
Quod proprium patrem non æquum est dicere nato?

COMMENTARII.

Ecce

ECce alij. Hoc est. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Saduceis, conueniunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis legisdoctor tentans eum, Magister quod est mandatum magnum in lege? &c. Diuino flatu, id est, in spiritu sancto.

IESVS AD DISCIPVLOS DICIT, ut quæ Pharisæi dicunt, fiant: non quæ faciunt, & increpat scribas & pharisæos. Math. 23. Luc. 11.

TAlia saluator, cuncti obstupuere silentes,
Ille sed accita credentum plebe profatur.
† Aspice nunc scribas sublimi sede superbos,
Hi quæcunq; docent, iustum est comprendere cordis
Obsequio, maculas ipsorum temnite uitæ.
Abrupta imponunt humeris: nam pondera uestris
Ipsi quæ digito saltem comprendere nolunt.
Accubitu primo cænæ fastuq; superbo,
Atq; salutantum uano tolluntur honore.
Et nomen sublime uolunt portare magistri,
Sed uos uoluerim præcelsi nominis arcem
Affectare, tamen est uobis una magistri
Imposita æternum cœli de lege potestas
Vos eadem fratrum parili coniunxit amore.
Vnus item pater est cœli qui in culmine regnat,

† Aspicite scribas subli

In

In uobis si quis sublimia colla leuabit
Decidet,& baratri mergetur ad ultima cœno.
Ast humilis claram conscendet liber in æthram
Deflendi semper scribæ,& lachrymabilis æui
Cæca Pharisæ cunctis fallacia plebis,
Nam uobis † callis clausus,quia iure negatur, († itiner clausum)
Non sinitis quenquàm penetrare per ardua lucis,
Et cunctos trahitis sæuæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulchris,
Quis facies nitida est,internaq; sordida bustis.
Sic uox uelatur iustæ sub imagine uitæ
Atq; adytis mentis celantur turpia corda.

COMMENTARII.

TAlia saluator. Cũ fine.22.cap.recitat principium.23. apud Matthæum in quo scriptum est sic.Tunc Iesus locutus est ad turbas dicens: Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi,&c.Hæc paucis prosequitur,omittẽs plurima quæ illic habẽtur in pharisæos præsertim dicta.Temnite pro contemnite.Abrupta,id est,grauia ,quasi à monte rupta.Barātri,id est,uoraginis infernæ.Deflendi, id est, qui semper flendi est,quia maledicti.Callis,id est, uia ad cœlum. Quis,id est,quibus.Sic uerò,id est, sermo uester Adytis arcanis penetralibus.

FACIT APOSTROPHEN AD HIERUSALEM. Mat. 23. Luc. 11.

O Solymi Solymi, ferro qui ſæpe prophetas
Ad ueſtram miſſos uitam ſine fine necaſtis,
Quàm uolui ueſtram gentem populumq́; tueri,
Ales uti molli ſolita eſt ſub corpore pullos
Obice pennarum circum complexa fouere?
Sed uobis ſemper cœleſtia munera ſordent.
Deſeritur iam nunc domus hæc uaſtata ruinis,
Nec uobis noſtrum fas ultra eſt cernere uultum.

COMMENTARII.

O Solymi. Proſequitur per modum apoſtrophes id eſt, conuerſionis ſermonis ab abſentes illud Matthæi 23. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Dico enim uobis non me uidebitis à modo donec dicatis. Benedictus qui in uenit nomine domini. Hæc ſatis aperte & deſerte dicit.

DE TEMPLI STRVCTVRA CVIVS ſubuerſionem prædicit. Mat. 24. Mar. 13. Lu. 19 & 21.

Egre=

EGreditur templo, cuius præcelsa notantes
Mœnia discipulos tali sermone docebat.
Hæc operum uobis miracula digna uidentur
Obtutu stupido: ueris sed discite dictis,
† Quod † Quàm mox cuncta solo paßim disiecta iacebunt.
Hæc ad Oliueti dicens peruenerat arcem.
Discipuli solum postquàm uidere, rogabant
Vt sibi uenturi tempus distingueret æui.
Promissa ipsius quem poscant prendere finem,
Eius ut aduentus terræ consumeret orbem.
Quærentum uerbis respondit talia Christus.

COMMENTARII.

EGreditur templo. Narrat illud Matthæi 24. Et egressus Iesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderet ei ædificationem templi. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amē dico uobis: non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliueti: accesserunt discipuli secreto dicentes: dic nobis quando hæc erunt, &c. hæc dicit. Talia qualia sequuntur.

DE SIGNIS EXTREMI IVDIcij, Matthæi 24. Marci 13. Luce. 21.

Ob-

OBseruate dolum, falso ne nomine capta
Credulitas: laqueis errantum præcipitetur.
Discurrent cunctis bellorum incendia terris,
Sed uos præualido consistite robore cordis,
Ne mens accepto iaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prælia finem
Gentibus & gentes, & regibus obuia reges
Signa ferent, nec tunc morbi corrumpere tractum
Aëris, aut pestes prosternere corpora parcent.
Fissa etiam solido per inania pondere tellus,
Per diuersa † locis, motu quassante tremiscet — † loci
Hæc in † primitijs tentamina parua manebunt, — † primitias
† Tradentur multi uestrum, lætoq́; dabuntur. — † ꝓdentur
Proq́; meo uobis incumbere nomine gentes
Tormentis, pœnisq́; feris, odijsq́; necesse est.
Liuor erit terris, erroribus omnia plena,
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum uulnere pectus
Ad finem seruare queat, sublimia lucis
Aeternis uitæ sertis redimitus adibit.
Regnorum cœli celebratio peruolitabit
In cunctas terræ metas: gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctæ sermonis salutis.
Et tunc finis erit, currentia secula soluens.

Ad-

† terræ Adueniet iam tunc tristis defectio † terris,
Quæ Danielis habet iussam uerissima uocem.
Hæc dignus tantum poterit cognoscere lector.
Iudæi longè fugiant, montesq; capessant,
Nec quisquàm domibus repetat sustollere secum,
Quæ fuga consociet, uestemúe aut mobile quicquàm.
Deflendæ iam sunt uteri cum pondere matres,
Et miseros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poscite iam precibus tristis ne frigore brumæ.
Adueniat fuga uestra, aut ne tunc sabbata festa
Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu.
Nam cunctis uenient sæuissima pondera terris.
† postera Tale malum non secla prius, nec † postea norunt,
Et ni sublimis genitor decerpere tempus,
Et numerum miserans, uellet breuiare dierum.
Nulla dehinc trepidæ superarent corpora uitæ.
Sed propter lectos ueniet miseratio iustos.
Nomine fallentes Christi, falsiq; prophetæ
Exurgent terris, & monstra potentia fingent.
Quæ forsan lectos capient miracula iustos.
En prædicta docent, instantia secula uobis.
Desertum si quis Christum peragrare loquetur,
Occultisq; procul penetralibus esse repostum,
Longe credulitas absit uanissima uobis.

sicut

Sicut enim fulgur cœlum transcurrit apertum,
Et cerni facile est cunctis, orientis ab oris
Vsq; sub occiduum cœli uergentis in orbem
Occiduum (dico citius) uolitare sub orbem.
Sic rapido aduentu clarebunt lumina Christi,
Sol rutilus furuis radios abscondet in umbris.
Amittet cursum lunaris gratia lucis.
Ignicomæq; ruent stellæ: cœlumq; relinquent.
Omnis item uirtus cœli commota superni.
Signa dabit, proles hominis quis uertice cœli
Clareat, omnigenasq; tribus deflexio lucis
Vrgebit, † quando ueniet nube ignicolori,
Maiestate potens hominis per sidera natus.
Tum tuba terrifico stridens clangore uocatos
Iustos: quadrifico mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præsens generatio secli,
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis:
Hæc tellus cœlumq; super soluentur in ignes,
Sed mea non unquàm soluentur ab ordine dicta:
Quis sit at ille dies, nescire est omnibus æquum,
Ni solum rerum domino qui sidera torquet.
Vt quondam terras undæ inuoluere furentes,
Et diuersa sibi tractantes munia cunctos
Diluuij rapuit subito uiolentia tractu:

† ueniet cũ nubibus igni coloris.

Sic ſubitas flammas uoluens deſcendet ab æthra
Aduentus noſter, nec cunctos ille ſub una
Conditione premet: nam tunc ubi iugera lata
Infindent duo depreßis ſub uomere ſulcis,
† arator Vnus correpto tolletur corpore † aratro,
Ignarusq; alius uaſto linquetur in agro.
Vno quinetiam recubantes ſtramine lecti,
Diſpar iudicium diuerſa ſorte ſubibunt.
Vnus enim ſocium quæret per ſtrata relictus,
Id circo famuli uigilent, quia neſcius illis
Aduentus domini ſubitas deſcendet in horas.
† Præmonitum † Per monitum furis tempus ſi inſiſtere sciret
Quisq; domus cuſtos, uigilaret & obuia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes.
Sed uos intentis animis aßiſtite ſemper.
Namq; repentinus uobis: ſubitusq; recurret
Filius huc hominis, iuſtis ſua præmia ſeruans
Ille fidelis erit ſeruus, cui credere cunctas
Aedes & famulos uoluit per longa profectus
Vir pater ipſe domus: ſapiens nimiumq; beatus,
Quem ueniens dominus ſeruantem iuſſa uidebit,
Illum maiori famulum cumulabit honore.
Aſt ille infelix, qui obſcœnè luxuriatus,
Tardantem contemnit herum, famulosq; fatigat

Verberibus, ſegniſq; indulgens ebrietati,
Luxurioſorum conuiuia † concelebrabat.
Adueniet dominus ſubito, ſeruumq́; furentem
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus ſtridorq́; manebit.

† celebrando

COMMENTARII.

OBſeruate dolũ. Proſequitur euangeliũ Matth. de ſignis præuijs ante ſupremũ iudicium, quo ſic dicitur. Videte ne quis uos ſeducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, &c.

DE DECEM VIRGINIBVS. Matth. 25

COnferri poſſunt cœleſtia regna puellis
Bis quinis: quarum pars eſt ſapientior una,
Altera † præ ſtudio pars eſt ſtolidiſsima corde:
Occurrere illi uotis ſponſalibus omnes
Ornatu accinctæ tedarum flammicomantum
Sed ſapiens pars illa, ſibi quo lumina flammæ
Suſciperet: portare ſimul curabat oliuum.
Stultarum uerò non eſt prudentia talis,
Cumq́; moraretur ſponſus, tum membra ſopore
Soluuntur cunctis per compita lata uiarum.
Iam noctis medio clamor creſcere magnus
Exoritur: lætoq; dehinc occurrere uoto
Admonuit: tediſq; uias ornare coruſcis.

† præſtupido

Surgere tunc properant & claro lumine tedas
Instruere & flammas pingui componere oliuo.
Tum stolidæ rogitant olei sibi cedere partem
Prudentes secum quod tum gestare uidebant.
Sed quoniam sapiens pauitat chorus: omnibus æquè
Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Ex paruo æqualis si detur portio cunctis.
Tum pergunt stultæ: liquidum ut mercentur oliuum
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ
Et sponso tantum comitatur factio prudens,
Adueniunt † fatuæ sero post tempore segnes, † brutæ
Et sponsi pulsare fores, & limina clausa
Ne quicquàm ingeminant, precibusq; ingrata frequen-
Vt liceat miseris penetrare in limina læta. (tant,
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquàm,
† Non sponsus uoluit: quare uigilate timentes † Non ipsus sponsus uoluit uigilare timētes
Aduentus uobis, quid non est certior hora.

COMMENTARII.

CONferri possunt. Recitat contextu heroico: mi-ra autem qua ubiq; pollet breuitate. 25. cap. Matth. in quo sic legitur. Tunc simile erit regnum cœlorum decem uirginibus, &c. Conferri, id est, comparari: unde & collatio dicitur interdum comparatio Puellis, id est, uirginibus: nam puella diminutiuum est

à puera

à puera: uirgo aūt à uigore ſeu uirore ætatis dicitur, unde à poëta accipitur etiam pro ea quæ iam ter pepererat, ut in Buc. Ah uirgo infœlix, &c. de Paſiphaë loquente. Bis quinis, id eſt, decem ſapientior, quia bifariam diuidit, nō male utitur cōparatiuo, ſed tamen pro abſoluto: nam reliqua pars non erat ſapiens. Præ ſtudio, quia ſegniciei aut uitijs ſtudebant, & ita non erant inſipientes per naturam, ſed deſipientes peruerſo ſtudio. Notandum autem ſtudium hic in malum capi, cum ſtudioſi dicantur à uirtute, ſed dictum eſt ſtudet delitijs filius perditionis, unde & praua ſæpe leguntur ſtudia. Votis ſponſalibus, quia omnes acceperunt lampades ſuas, tedarum, id eſt, ramorum reſinæ plenorum: unde & tedas pro intortis cereis uulgo accipiunt: & poëtæ pro facibus nuptialibus, quæ præibant nuptam, ut Aenei. 4. Si non perteſum thalami tedæq; fuiſſet. Flammicomantum. Emittentium flammas in morem comarum. Quo. i. ex quo, uel ut. Oliuum. i. oleum: nam ut arbor dicitur olea & oliua: ita fructus eius expreſſus dicitur oleum & oliuum, integer autem eſt bacca. Cunctis, ſcilicet, tam prudentibus quàm fatuis, unde non eſt ſtultū dormire, ſed in eo ſtatu in quo nolis mori. Exoritur. i. incipit crebeſcere. i. creber fieri. Coruſcis, i. coruſcantibus et lucidis. Tedis. i. lampa-

dibus, ſed propriè quia de nuptijs, ut dixi, ſermo eſt, tedis dixit. Componere, *id eſt, conſtruere & excitare ignem incenſis lichnis.* Cedere, *id eſt, concedere, uel ut concedant.* Pauidat, *id eſt trepidat & timet, aut paui tat, lege.* Nutrimina, *id eſt, nutrimenta.* Pompæ, *id eſt feſtiuitates nuptiales.* Sero, *id eſt, tardo tempore exiſtentes.* Segnes, *id eſt, torpentes, quaſi ſeorſum ab igni qui calidus & actiuiſsimus eſt.* Ingrata, *quia ſurda,* Frequentant, *quia dicunt:* Domine, domine. Aduentus. *Scilicet filij hominis ac mortis.*

SIMILITVDO DE TALENTIS.

Matth. 25. Luc. 19. Marc. 13.

Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens ſeruis tractanda talenta,
Vni quinq; dedit, duo cœpit & alter habenda:
Tertius unius curam tractare talenti
Suſcepit, uires quoniam diuerſa merentur,
Sed maior quis eſt concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt † æra lucellis. († munera)
Ille ſed, unius cui credita cura talenti eſt, (donis)
Telluri infodiens ſeruat ſine fructibus æra.
Iamq; aderat præſens dominus, tum primus & alter
Se geminaſſe illi pariter cum credita monſtrant:
Illos laudat herus, potioraq; credere tantæ

Promit-

Promittit fidei, sed tertius ille resedit:
Et domino reddit tali cum uoce talentum.
Quod scirem domino memet seruire sæuero,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumq; tuum concredere terræ
Malui, uti semper saluum tibi reddere poßim.
Tum dominus famulo respondens talibus infit,
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ ueniam concedere poßim,
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat,
Vt fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostra,
Prudentiq; dehinc detur poßeßio maior,
Quem cumulasse duplis lucris mea quinq; talenta
Inueni: nanq; est certum potiora mereri,
Cui res uberior cumulatæ sortis abundat,
At cui parua subest segni substantia corde
Id minimum penitus iuste tolletur ab illo.
Et nequam seruus tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.

COMMENTARII.

Sicut enim longas &c.] Narrat & *aliam similitudinem sumptam ex eodem* Euangelio *ubi sic dicitur Sicut enim homo peregrè proficiscens uocauit seruos suos, et tradidit illis bona sua &c.*

 Cui

Cui cõtingit ire profecto. Ordo est, cui profecto, id est, postquàm discesserat contigit ire in longas, id est, longinquas terras. Credens, id est, cõmittens fidei eorum. Habenda, id est ut haberet. Dicere posset alenda, scilicet incremento usuræ. Diuersa, id est, præmia aut commissa. Quis, id est, quibus. Maior. Nõ dixit maxima: quia iam in duas partes diuisit maiorem & minorẽ: erat tamen maxima illi, cui quinq; erat cõmissa. Aera, id est, pecuniã. Sine fructibus. i. sine lucro ac fœnore. Primus & alter, id est, secundus: est autem ut dixi uenusta breuitas. Potiora, quia plura & meliora. Quod, id est, quia. Malui quo. Non stet uersus, dic ergo. Malui, uti semper, uti. i. ut. Cui res uberior, sup. est. Nõ autem scribetur qui, ut scriptũ offendi.

DE OVIBVS A DEXTRIS, ET hœdis à sinistris. Matth. 25.

EN hominis natus ueniet. patrisq; ministris
Stipatus, celsa iudex in sede sedebit:
Tunc gentes, cunctæ diuersis partibus orbis
Conuenient, iustosq; dehinc de labe malorum
Secernet, dextraq; libens in parte locabit.
At prauos læua despectos parte relinquet.
Vt pastor pecoris discernit pascua mixti:
† parti Lanigeris dextræ permittens mollia † partis

At læ

At læuos hirtis dumos tondere capellis.
Sed rex ad dextros conuersus talia dicet.
Huc ueniant sancti iamdudum debita sumant
Dona patris, mundo quæ sunt æquæua nitenti.
Et iustis primo promissa parantur ab ortu.
Namq; fame fessum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potuq; sitim mihi sæpe remouit,
Hospitioq; domus patuit mihi sæpe uocato.
Et nudus uestis blandissima tegmina sumpsi.
Carceris † in pœnis horũ solatia cœpi: † &
Tum domino tali respondent uoce beati:
Non meminit nostrum quisquàm te uisere nudum,
Nec famis oppressum dura ditione notauit.
Carceris aut pœnis meminit uidisse reuinctum:
Respondens illis dicit tum talia iudex.
Fratribus ista meis, humiles miserando labores,
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At uos iniusti, iustis succedite flammis
Et pœnis semper mentem torrete malignam.
Quas pater † horrendus baratri per stagna profundi † horrendis
Dæmonis horrendi socijs ipsiq; parauit,
Namq; sitim passo quondam mihi pocula nulla,
Nec famis in pœna parui mihi fragmina panis,
Aut peregrina mihi tecti uestisúe parumper

Tegmina de magnis gracili pro parte dabantur.
Carceris haud ſepto clauſtris morbiúe iacenti
Vnquàm uiſendi ſolatia ueſtra fuerunt.
His damnata dehinc reſpondet factio uerbis.
Haud unquàm noſtrum meminit te uiſere quiſquàm,
Aut ſitis aut ſæuæ famis ægrum agitare laborem,
Hoſpita uel feßis errare per oppida rebus.
Carceris aut merſum pœnis, morboúe grauatum:
Vt tibi ſollicito fieret miſeratio iuſta.
His rerum dominus dicet, cum ueſtra ſuperbo
Anguſtis rebus feritas ſub corde tumebat:
Calcauitq; humiles minimos: me ſpreuit in illis.
Hæc ubi dicta dedit meritis ſua præmia reddet
Aeternum miſeri pœna fodientur iniqui:
Aeternumq; ſalus iuſtis conceſſa manebit.

COMMENTARII.

EN hominis natus &c.] *Perpetuo tenore proſequitur hiſtoriã Euangelicam: Nã uero ſimile eſt dominũ totum hunc ſermonẽ, qui habetur Matth. 24. & 25. ad diſcipulos feciſſe. Nam poſt ſigna iudicij futuri & admonitionem, ut uigilanter ipſum expectemus, & ſimilitudines de decem uirginibus et talentis, iudicij formã ſubdidiſſe. Vnde dicit Matthæus ſic. Cũ aũt uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cũ eo: tũc ſedebit ſuper ſedẽ maieſtatis ſuæ &c.*

En

En,id est,ecce.Natus,id est,filius hominis ueniet.Et ipse stipatus.i.dense comitatus.ministris patris,id est, angelis,sedebit iudex in sede celsa. Tunc cunctæ gentes conuenient.Scilicet ad iudicium,sup.à diuersis partibus orbis. Et iudex secernet, id est, segregabit per angelos tamen.Tunc iustos à labe, id est, contagione malorum. Et locabit eos libens, id est, libenter iustos in parte dextra. At, id est, sed. Relinquet prauos in parte leua, id est, sinistra. Despectos, id est,contemptos à se. Vt,id est,quemadmodum. Pastor pecoris, id est,gregis mixti discernit pascua.Permittēs lanigeris sup.pecudibus,id est,ouibus, Mollia,sup.pascua,patris dextræ.at cogens,aut si uis permittens.Capillis hirtis,id est,hirsutis,utpote hœdis Tondere dumos,id est,uepres. Leuos.i. in leua parte. Sed rex conuersus ad dextros, id est, iustos positos in dextra parte,dicet talia. Sancti ueniant huc,id est ad me,& sup. sumat dona patris debita,sup.ipsis,iamdudum. Dicerem iampridem.scilicet à cōstitutione mundi,unde addit: quæ sunt æquæua,id est coëtanea mundo nitenti:quia ab ornatu dicitur, & sup.quæ parantur iustis à primo ortu .i. creatione rerum.Nāq; hæc plebes,satis humiliter,id est,hæc multitudo grata,scilicet in me refecit quondam. Me fessum.i.confectū fame Et remouit mihi sæpe sitim poto.i.per potum. Et do-

mus, sup. eius. patuit mihi uocato sæpe hospitio, id est, ab hospitium, sic dicitur etiã Aeneid. 1. Vtq; nouæ pateant Chartaginis arces. Hospitio Teucris. Et ego nudus sumpsi, scilicet ab ea [dicerem accepi]. Blandißima, id est, mollißima tegmina uestis. Et cœpi solatia horum, scilicet iustorum, existens in pœnis carceris.

Tum, id est, tunc beati respondent domino tali uoce: Quisquàm nostrum non meminit te uisere, pro uisisse, id est, uidisse secundũ Vallam in Rauden. sed propriè dixit secundum Agrecium. Sed frustra ordinẽ tam euidentẽ persequor. Ditione, id est, imperio. Ponere pro posuisse. Mentẽ, id est, animã suam & corpus. Horrendus, scilicet malis. Ipsi, scilicet dæmoni. Parui miseramina, uerius est parui mihi fragmina panis &c.

Aut peregrinãti. Scilicet mihi aut lege peregrina mihi. Peregrina, scilicet tegmina. i. mihi peregrino exhibita. De magnis. scilicet tegminibus & tectis. Factio, id est, superba & potens dum in terris esset concio. Visere eodẽ modo ut prius dixit. Aeternum, id est, in æternum, est autem aduerbium.

DE SVSCITATIONE LAZARI.

Ioannis. 11.

TALia dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo iustis soror anxia curis,

Horta-

Hortatur iuuenum rapido percurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus seruaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obsequio cuius fratremq; domumq; merentem
Complexus pleno Christus retinebat amore.
Nuncius adueniens narrat sub agone iacere
Dilectum Christo iuuenem, per tristia morbi
Et læti & uitæ confinia summa tenere.
Lazarus hic habuit nomen, sed Christus amaris
Perculsus uerbis: Non est, si creditis, inquit,
Ad letum ducens ista hæc uiolentia morbi.
Sed Deus ut digno iustis celebretur honore,
Et soboles hominis sancta uirtute nitescat.
Tunc ad discipulos dormit iam Lazarus, inquit,
Sed charum iuuenem faciam consurgere rursus.

Agone, id est, certamine mortis.

COMMENTARII.

TAlia dum loquitur.] Recitat ad unguem suscitationem Lazari, de qua Ioannis 11. dicitur sic. Erat aũt quidã etc. Nã quæ ad historiã nõ facere uidebãtur prætermisit, ut patebit cõferenti hæc cũ autore.

HAec ait, & Christo cuncti præeunte sequũtur:
Reddunt discipuli, somno succedere plena
Et remeare salus poterit, nec mente sequuntur
Quod mortem, somni dixit sub nomine Christus.

Error

Errorem quorum tali ſermone remouit:
Lazarus in lætum cecidit, ſed gaudia menti
Hinc ueniunt, ueſtramq́; fidem mihi fortius armant.
Cernitis abſentem longè quoq; cuncta uidere.
Sed properemus, ait Didymus, † tunc talia fatur,

† *diu*

Pergamus pariterq́; omnes procumbere læto
Cogamur, toties quod genus Iudæa minatur,
Hæc ait, & cuncti Chriſto præeunte ſequuntur.
Iamq́; aderat Chriſtus, fuerat ſed forte ſepulto
Quarta dies, merſasq́; atris de morte tenebris
Germanas, luctus lachrymoſaq́; tecta tenebant.
Conuenere illuc, ſolatia debita dantes,
Iudææ gentis proceres, chariq́; propinqui.
Sed Martha, audito Chriſtum ueniſſe, cucurrit
Obuia, deſeruitq́; domum, mœſtamq́; ſororem.
Et procul ó utinam præſens † hic Chriſte fuiſſes
Clamitat haud morti frater ceſsiſſet acerbæ
Nam quicquid poſcis certum eſt tibi poſſe uenire,
Quam dominus tali ſolatur uoce gementem,
Robuſtam mentem mulier uirtute reſume,
Lazarus hæc uitæ rediuina in lumina ſurget.

† *nobis tua uirtus Afforet & morti fratrem rapuiſſet acerbæ*

Et mulier certe ſurgent in munera uitæ
Mortales cuncti, ueniet quum terminus orbi,
Chriſtus item ſancto depromit pectore uocem:

En

En ego sum claræ uobis reperatio uitæ
In me qui credit mortem deponere sumptam
Et uitam poterit iugi comprendere seclo.
At quicunq; fidem uiuo sub pectore sumet
Horrida non unquàm continget lumina mortis.
Ista hæc si credis puro de pectore Martha?
Illa dehinc, hæc una fides mea corda tenebat,
Sublimis ueneranda Dei quod uenerit in te
Cœlestis soboles celso sub nomine Christi.

COMMENTARII.

HAec ait &c.] Prosequitur argumentũ cœptum de suscitatione Lazari, de quo Ioãnes sic. Dixerũt ergo discipuli &c. Reddunt. i. respondent. Nec mente sequũtur. i. assequuntur, hoc est, & nõ intelligũt. In lætum, id est, in mortẽ. Hinc ueniunt. i. sed gaudeo propter uos. Didymus, scilicet Thomas. Læto, id est nece aut morte uiolenta. De morte, scilicet fratris, aut potius de more, scilicet gentis. Solatia imò cõsolationes, quæ in uerbis sunt, ut solatia in factis. Lazarus hic uitæ etc. Id est, resurget frater tuus, quod dictum secundum huius loci mentem, non legetur interrogatiue, sed assertiue. Terminus orbi, id est, nouißimo die. Iugi, id est perpetuo seclo, id est, æuo sempiterno. Non unquàm, id est, nunquàm. Ista hæc, id est, credis hoc?

Vero

Venerit in te. te ablatiuus est casus q. d. in tua persona quod Euangeliũ dicit: Ego credidi, quia tu es Christus filius dei uiui, qui in hunc mundum uenisti &c. Reliqua prosequitur cum Euangelista sic.

Haec ait, et Mariam cursu monitura sororem
Interiora petit, sanctum uenisse magistrum:
Et pariter luctu oppressam uocitare sororem
Admonuit tacito designans omnia nutu:
Prosilit illa foras, audito nomine Christi,
Prosequiturq; simul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquàm conspexit Iesum
Procidit ante pedes, rupitq; hanc pectore uocem:
Si mihi germanum potuisses uisere uiuum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
Fletibus his Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ uolucris spoliata calore.
Haud mora demonstrant flenti mœstoq; sepulchrum
Rupe sub excisa, lapidis quod pondere clausum
Vt uidit sanctus, multo mox uecte moueri
Præcipit, at Marthæ talis uox uerberat aures
Quatuor en luces totidemq; ex ordine noctes,
Prætereunt, quò membra solo composta quiescunt:

Fœtorem

Crediderim corpus motu fugiente caloris,
Fœtorem miserum liquefactis reddere membris.
His dictis contra depromit talia Christus
Iam totiens dictum est: magnis consistere rebus
Credentum uirtute fidem, sed gloria summi
Iam genitoris adest, fidei si robur habetis.
Hæc ubi dicta dedit, saxumq; immane reuulsis
Obicibus patuit, uirtus mox conscia cœlum
Suspicit, & tali genitorem uoce precatur.
Eximias grates genitor tibi sancte fatemur,
Me placidus semper uenerandis auribus audis:
Sed populus præsens me missum credere discat.

COMMENTARII.

*H*Aec ait, &c. hoc dicit Euangelista sic. Et cum hæc dixisset, abijt & uocauit Mariã sororem suã silentio, dicens: Magister adest, & uocat te, &c. Hæc ait, scilicet Martha, & Mariam, scilicet, Magdalenam. More autem Latinorũ corripuit mediam. Monitura, id est, ut moneat, uel talis quæ monere uelit. Interiora, scilicet, domus ubi erat Maria. Designans tacito nutu. Declarat quod dicit euangelium silentio. Nam si silentio quæras quomodo uocauit, dicens: Magister adest, ad respondet, tacito nutu designans, scilicet, ut ad se ueniret, & ubi uenit dixit: Magister ad

est,&c.quia nutu non posset illa audire nomen Christi,& tamen hic additur audito nomine,&c. Tumulo i.ad tumulum fleturas exire. Si mihi.i. ad commodum & ad uotũ meũ. Lazarus. In prosa dixisset Lazarum ne alter uideatur. de corde, quia infremuit spiritu. Quo scilicet, tumulo. Sedem, id est, situm, sed solet sedes pro sepulchro poni, ut Aenei.6. Sedibus hunc refer ante suis. Haud mora, sup. fit. flenti pulchra breuitate utitur. Sanctus, scilicet, sanctorum Christus, qui solus sanctus & solus dominus. Multo uecte, id est, ferreis laminis, aut ut dicunt baculis. Verberat aures, id est, uenit uehementer ad aures Christi, & aliorum qui aderant. Quatuor en luces. Oratorie diuidit dies in partes sicut Verg.1 Aen. Annos in æstatẽ et hyemes: ne si triennium ille dixisset regnaturum parum uideretur: ut si quatriduum tantum mortuum fuisse. Composta, pro composita. solo, id est, in terra: sed melius dicit solo: quia solidum utpote lapideum erat sepulchrum. Reuulsis. Resolutis & amotis obicibus, id est, lapide obiecto. Suspicit, id est, sursum aspicit. discat, id est, hæc dico ut sciat & noscat, &c.

HAec ubi dicta dedit, tumuli mox limine in ipso
Restitit, aduerso complens caua saxa canore.
Lazare, sopitis redeuntem suscipe membris

En

En animam: tuq; ipse foras te prome sepulchro.
Nec mora: connexis manibus pedibusq; repente
Procedit tumulo: uultum cui linea † texit † texta
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solui iussit: lætumq; ad tecta remittit.
Iudæi postquàm factum uenerabile cernunt,
Qui tantum fuerant Mariam, Marthamq; secuti,
Pars credens sequitur sanctæ uirtutis honorem,
Ast alij repetunt urbem: procerumq; superbis
Cuncta pharisæis rerum miracula narrant.

COMMENTARII.

HAec ait, &c.] Pergit quo cœperat prosequens historiam euangelicam secundum Ioannem qui sic dicit. Hæc cum dixisset uoce magna clamauit: Lazare ueni foras. Collegerunt hæc, &c. ut sequens particula quæ de passione dominica inscribitur prosequetur. Ordo est. Vbi, id est, postquàm Iesus dedit hæc dicta, id est, responderat præmissa. Ipse restitit mox in ipso limine, id est, introitu tumuli. Complens saxa. Caua, id est, cauata, id est, sepulchrum saxeum. Canore, id est, clamore. Aduerso, id est, ueniente ex aduerso, aut in aduersum tendente. Clamabat autem. O Lazare, en suscipe animam redeuntem membris sopitis, id est, in membra sopita, id est,

 sepulta,

ſepulta,& tu ipſe prome,id eſt,profer & educ te ſu-pulchro.Nec mora,ſup.fit.ſic & Verg.ferè ponit ſi-ne uerbo.Lazare,ſup.procedit.Repente, id eſt, ilico & èueſtigio. Tumulo,id eſt,de ſepulchro manibus & pedibus connexis,id eſt,ligatis, id eſt, habens manus & pedes ligatos.Cui, ſcilicet, Lazaro faſcia gracilis Linea,id eſt,ut euangelium dicit ſudarium ex lino (ponit autem præter morem Latinæ linguæ duo adiectiua ſine coniunctione cum uno ſubſtantiuo) texit uultum & connexit totum corpus poſſemus etiam diſtinguere Vt linea,id eſt,ueſtis texerit uultum. Et gracilis,id eſt tenuis faſcis connexerit corpus, & Chriſtus iuſsit.tum id eſt,tunc Lazarum ſolui,ſcilicet,à diſcipulis: & remittit lætum ad tecta,id eſt,iuſsit abire. Iudæi qui fuerunt ſecuti Mariam & Martham ſorores Lazari, poſtquàm cernunt factum uenerabile, id eſt, miraculum tam euidens.Pars credens ſequitur, id eſt, partim credentes ſequuntur honorem ſanctæ uirtutis ,id eſt, credit in Chriſtum,cenſens uerum eſſe miraculum.Aſt alij repetunt urbem,ſcilicet,Hieruſalem,& narrant cuncta miracula rerum ſuperbis procerum,id eſt,inter proceres uidelicet, phariſæis.

Paßio

PASSIO DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI AB IVuenco Presbytero metrice composita *secundum euangelium Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Ioan. 11.*

CONCILIVM SACERDOTVM scribarum & pharisæorũ contra Christum. *Et de unguento effuso super caput Christi.*

Ergo ad concilium scribæ, plebisq; uocatur
Iam grauior numerus, qua uatum principis (altè
Pulchra Caiphæ collucẽt atria sedis.
Illic complacuit Christum prosternere læto.
Sed uitare dies paschæ: ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.

COMMENTARII.

Ergo ad conciliũ.] *Hæc pars dependet à superiore. Nam si quis forte hanc partẽ seorsum leget sciet Iuuencum presbyterum natione Hispanum, qui tẽpore Constantini Magni & filiorũ eius floruit, composuisse metrice, ut pote uersibus hexametris (ut Hieronymus approbat) quatuor euangelia, quæ ad uerbum penè transtulit: potissimum tamen Matthæum uidetur imitatus, præsertim hac parte, antequã tracta-*

uit resuscitationem Lazari, de qua sic in fine scripsit. Iudæi postquàm factum uenerabile cernunt. Qui tantum fuerant Mariam, Marthamq́; secuti. Pars credens sequitur sanctæ uirtutis honorem. Ast alij repetunt urbem procerumq́; superbis. Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant. Post quæ uerba infert. Ergo ad consilium & cæt. utens admiranda breuitate. Nam ex ijs quæ dicit sæpe quæ non dicit manifeste intelligenda dat. In particula enim Ergo, innuitur quod dicitur Ioannis 11. Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam & Martham, & uiderunt quæ fecit Iesus crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. Colligerunt ergo pontifices & Pharisæi consilium, & dicebant: Quid facimus & cæt. Ordo autem hic est. Ergo. Quia tam manifestum erat miraculum, ut omnis mundus abiret post Christum. Scribæ sup. uocantur. Et grauior numerus plebis, id est, seniores populi, in quibus grauitas inesse debebat. Vocatur ad consilium. Scilicet habendum, aut ad concilium. Concilium autem per c, est multitudo concitorum seu conuocatorum ad habendum consilium super aliqua re ad rempub. pertinente. Ad eam, sup. partem urbis. Qua pulchra, id est, egregie extructa. Atria; id est,

id est, anteriores partes domus sumptuosæ. Sedis, id est, mansionis, aut cathedræ, quia erat pontifex anni illius. Caipheæ, id est, Caiphæ. Principis uatum, id est, qui tunc erat princeps uatum: qui cum esset Pontifex anni illius prophetauit, aut sic uocatur ad eam partem, qua atria altæ sedis. Principis uatum, id est, Dauid. Et quàm pulchra atria sedis Caipheæ collocent: quia illic Caiphas domum habebat ubi Dauid habitauerat. Complacuit, id est, simul omnibus placuit. Illic, id est, in illo consilio. Prosternere lœto, id est morti subijcere Christum. Pondus est in uocabulo. Scriptum enim est: Noli tangere Christos meos &c. Dicit autem Ioannes sic. Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerent eum. Sed quod alibi dicitur: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Declinat autem uetusto more per primam declinationem pascha paschæ. Nam nunc neutra declinamus per tertiam, ut sit, hoc pascha paschatis. Nec sequitur interpretationem Hieronymi, qui semper per primam declinauit, sed Hieronymus potius ipsum sequitur, præcessit enim cum eius uitam & scripta commemoret.

Raperent furorem, id est, traherent commotionem animarum ad arma, quod Euangelium dicit, ut præmisi ne forte tumultus fieret in populo.

ILle Symonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipsius diffugerat, en recubanti
Accedit mulier propius frangensq; alabastrum,
Quo preciosa inerant late fragrantia oliui
Vnguenta, ab summo perfudit uertice Christum,
Discipuli increpitant, fantes potuisse iuuari
De precio unguenti miserorum corpora egentum,
Has dominus prohibet uoces, factumq; probauit,
Desinite obsequio iusto prohibere puellam,
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus.
Sed me non semper tribuetur uisere uobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat.
Officio mundumq; implebunt talia facta.

COMMENTARII.

ILle Symonis erat.] Paucis percurrit, id quod habetur Matth. 26. sic. Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Symonis leprosi, accessit ad eũ mulier habens alabastrũ ungenti preciosi, & effudit super caput ipsius recumbentis, Videntes aũt discipuli indignati sunt, dicẽtes: ut quid perditio hæc? Potuit enim istud uenundari multo: & dari pauperibus. Sciens aũt Iesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me, & cæt. Ordo autem est.

Ille, scilicet dominus Iesus de quo sermo est. Erat tectis

ctis,id est,in domo aut ædibus Simonis.Bene autem se cundam producit,ut Horatius in arte.Quem lepra lurida,id est,aspera & obscœna tactu diffugerat,id est dispériens fugerat.Virtute ipsius. scilicet Christi. En id est,ecce,quasi dicat præter opinionẽ accumbẽtium Mulier,scilicet Maria Magdalena.accedit propius re cubanti,scilicet Christo.Et frangẽs alabastrum,id est, uasculũ lapideum.Quo.i.in quo inerant preciosa unguenta.Oliui.i.olei.Fragrantis.i.odoriferi.Late.i.ample. Perfudit Christum ab uertice summo, id est,desuper à summo uertice.Quod aũt dicit oliui,aut accipit speciem pro specie. Nam Matthæus dicit unguẽti preciosi. Et Ioannes dicit 12. cap. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici preciosi, & unxit pedes Iesu & cæt. aut etiam oleo admixtum erat, aut omne unguentũ generaliter oleum dicitur.Discipuli increpitant, scilicet Iuda monitore, aut incipiente murmurare. Fantes, id est,dicentes. Corpora miserorum egentum,id est, pauperũ potuisse iuuari de precio unguenti, dominus prohibet has uoces. Et probauit factum. scilicet Magdalenæ. sup. dicens: Desinite prohibere, id est, arcere aut absterrere puellam. Obsequio iusto,id est,mihi debito,& illi utili.Tempus succurrere,pro succurrẽdi. Pauperibus dabitur semper uobis,

id est, pauperes semper habebitis, sed nō semper tribue tur uobis uisere me. i. me aūt nō semper habebitis. Ista scilicet, mulier quā reprehenditis, aut Magdalena ministrat ista multum laudanda officio funeris mei, id est ad sepeliendum me: seu in signum quod sepeliar prope diem. Et talia facta, scilicet eius implebūt mundum id est, prædicabuntur in laudē eius in uniuerso mundo.

IVDAS PRECIVM PETIT VT TRAdat Iesum, qui cœnans de Iuda traditore ad discipulos loquitur. Et sacramentum corporis & sanguinis instituit. Petro dicit, quòd ter eum abnegaturus est.

TVnc è discipulis unus se subtrahit amens
Iudas, qui ad proceres tali cum uoce cucurrit.
† Quod precium sperare datur si tradere uobis
Quæsitumq; diu poßim monstrare magistrum?
† Argenti terdena illi mox pollicebantur
Pondera, dehinc Iudas sceleri se subdidit alto,
Iamq; dies paschæ primo processerat ortu,
† Discipuli Christo quærunt ubi sumere pascha
Vellet, at ille sibi quendam sine nomine quæri
Vltima qui domini caperet mandata iubebat.

[Margin: † Illi cōtinuo statuūt terdena argēti. † Discipuli quærunt, ubi cœnā sumere paschæ.]

Vespere

Vespere mox primo bis sex recubantibus unà
Discipulis, tali diuinat uoce magister.

COMMENTARII.

TVnc è discipulis etc. Prosequitur Euangeliũ Matthæi, in quo sic habetur. Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatem, ut eum traderet. Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere pascha. At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam & dicite ei: Magister dicit. Tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit & c. Hæc ergo describit. Ordo est. Tunc unus è discipulis uidelicet Iudas amens. Subtrahit, id est; clam subducit se. Qui cucurrit ad proceres, id est, principes sacerdotum. Cum tali uoce, id est, talia dicens: Si ego possim tradere & monstrare uobis magistrum, sup. meum. Quæsitũ diu uobis, id est, à uobis. Quod precium datur sperare, sup. mihi. i. quid uultis mihi dare?

Illi pollicentur mox terdena, id est triginta. Pondera *argenti. i. triginta argēteos: qui singulas libras pende bant.* Et dehinc, *scilicet* Iudas. Subdidit. i. *submisit & obligauit se.* Alto. i. *graui quod alte resedit ad precor dia usq;.* Sceleri, *id est, peccato.* Et dies Paschæ *processerat.* Iam primo ortu. *i. iam erat prima dies azimorū & discipuli quærunt à* Christo, *ubi uellet sumere pascha, id est, comesse agnū paschalē.* At ille *scilicet* Christus *iubebat quendam sine nomine, id est, qui non nominatus in* Euangelio, *quæri sibi, qui caperet, id est, obiret ultima mandata domini.* Mox, *id est, paulo post parato iam conuiuio.* Vespere primo, *id est, iam primum facto.* Bis sex, *id est, duodecim discipulis recumbentibus.* Vnà, *id est, pariter.* Magister, *scilicet eorum dominus* Iesus. Diuinat, *id est, ut diuinus, & omnium præscius prædicit futura tali uoce, quæ sequitur.*

EN *urget tempus,* Christum *cum tradere morti*
E *uobis unus scelerato corde uolutat.*
Continuo cuncti quærunt quis talibus ausis
Insano tantum cœpisset corde uenenum?
Ille dehinc: epulis mecum nunc uescitur, inquit,
Sed soboles hominis quondam præscripta subibit
Supplicia ad tempus, miserabilis ille per æuum
Qui iustum tradet: quanto felicior esset,

Si nun-

Si nunquàm in terris tetigisset limina uitæ.
Et Iudas grauiter tum conscia pectora pressus:
Nunquid, ait Iudam talis suspicio tangit?
Respondit dominus, te talia dicere cerno.

COMMENTARII.

EN tempus.] Vt alibi quoq; dicam secundum Augustinũ tempus nõ urgebat simpliciter, sed quia ab æterno sic placitum erat, ut in plenitudine temporis salutem nostrã operaretur. Vnde Ioan. 13. Ante diem festum Paschæ sciẽs Iesus, quia uenit hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad patrem &c. Et Matthæi 26. Magister dicit: Tempus meum propè est. Et paulo post. Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Et contristati ualde cœperunt singuli dicere. Nunquid ego sum domine? Tantum uenenum, id est, tantam perniciẽ, quæ ut uenenum statim enecet animam eius qui conceperit, & in quem conceperit. Ille dehinc. Matthæus. At ille respondes ait: Qui intingit manum mecum in parapside, hic me tradet. Filius quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Respondẽs aũt Iudas qui tradidit eũ, dixit: Nunq̃d ego sum Rabbi. Ait illi: Tu dixisti. Quod hic dicit. Te talia dicere cerno.

re carne. Alludit ergo quàm proxime potest ad uerba Euangelica. Vnde uix eget expositionis. Ne tamen nihil dicam. Ordo est. En, id est, ecce tempus. Vrget, id est, urgenter instat & appropinquat. Quum, id est, quo tempore unus è uobis, hoc est, unus uestrum. Voluntat, id est, cogitat & meditatur. Corde scelerato, id est, sceleribus multis polluto. Tradere morti me. Scilicet datorem uitæ. Cuncti, id est, simul omnes uno tamen excepto. Quærunt, scilicet à Christo. Quis talibus ausis. i. talia audens, aut per talem audaciā. Cœpisset, id est cōcepisset, corde insano. Tantū uenenum, id est, tantā perniciem, et tantā perfidiam. Ille, scilicet Christus dominus. Inquit dehinc. i. deinde postq̄ sic interrogauerāt. Ille, scilicet q me tradet. Vescitur nunc mecum epulis. i. habet manū mecum in parapside. Sed soboles. i. filius. Hominis, scilicet unius, hoc est, uirginis Mariæ, nec est contra latinum sermonem mulierē uocare hominē: nā in epistola cōsolatoria de morte Tulliæ apud Ciceronē ipsa quoq; dicitur homo. Subibit ad tēpus, id est, tēporalia supplicia. Præscripta. i. ante scripta per prophetas. Quondā, id est, olim tempore præterito, hoc est, filius quidē hominis uadit sicut scriptū est de illo. Ille scilicet proditor, uidelicet Iudas, q tradet iustū. Miserabilis. i. in miserijs existens: nō ta

men

mē miseratiōe dignus.(Apud latinos tamē miser et mi serabilis fere in bonā partē accipitur. de ijs qui mala qdem patiūtur sed indigne, hic aūt esset de eo q digne] Quanto. q.d. multo felicior esset. Si nunq̄ tetigisset limina uitæ, id est, si natus non fuisset in terris. Et Iudas pressius, id est, habens pressa grauiter tunc pectora conscia, ait: Nunquid talis suspicio tangit Iudam &c. De se ex more loquitur, tanquàm de alio. Sed euangelium me dixit.

Haec ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panē. Matth. 26.
Diuisumq; dehinc tradit, sanctumq; precatus
Discipulos docuit proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit dominus: uinoq; repletum
Sanctificat magnis uerbis, potumq; ministrat
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atq; ait: Hic sanguis populi delicta remittet:
Hunc potate meum: nam (ueris credite dictis)
Posthac non unquàm uitis gustabo liquorem.
Donec regno patris melioris munere uitæ,
In noua me rursus concedent surgere uina.

COMMENTARII.

Haec ubi dicta.] Prosequitur historiam Euangelicā de paßione dominica, ut habetur Matthæi 26. Quāuis Ioan. 6. multa de pane uiuo habeātur

Est

Eſt aũt ordo. Vbi.i.poſtq̃ ſup.Ieſus. Dedit hæc dicta. id eſt, hæc uerba ſupra poſita. Frangere.i.frangebat ſibi panẽ. Palmis.i.manib. à parte totũ accipiẽdo. Aut ſic ubi hæc dicta, ſup. ſunt. Ieſus dedit diſcipulis .i. dixit et ſignificauit ſe frangere ſibi panẽ palmis. Poßit etiam legi ſic: ut ſit frangere.i.frangebat. Se panẽ. Scilicet uiuum, & tradit dehinc diſcipulis panem diuiſum, id eſt, fractũ. Et precatus ſanctum, id eſt, ſanctè, aut patrem, qui ſolus ſanctus eſt, aut ſancta uerba, ut habetur Ioan. 17. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, etc. aut gratias agens docuit ſe tradere diſcipulis ſuis proprium corpus, ut Matth. 26. Cœnantibus aũt eis accepit Ieſus panẽ & benedixit, ac fregit deditq́; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ. Et accipiens calicẽ gratias egit et dedit illis, dicẽs: Bibite ex hoc omnes etc. Vnde hic additur. Dominus Ieſus ſumit hinc. i. deinde poſtquàm cœnauit calicem & ſanctificat, id eſt, conſecrat eum repletum uino, non tamen mero: quia meratius non bibit, ſed dilutius. Magnis uerbis, id eſt, magnam efficaciam habentibus, ita ut uinum in ſanguinem uiuum conuerterent. Magnum autem dicimus quod ſine comparatione eſt, ut magnus eſt dominus, Magnus Alexander, Pompeius, Carolus & c. Et miniſtrat, ſcilicet

diſci-

discipulis suis potum, dicens: Bibite &c. edocuit, id est manifeste docuit se diuisisse, id est, propinasse illis cruorem, scilicet, suum. Atq; ait: Hic meus sanguis remittet delicta populi, ut Matth. 26. Hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum. Et ait: Potate hunc meum, scilicet, sanguinem. Nã credite ueris dictis, id est, his quæ uobis uerè dico ego non iustabo unquàm post hac, id est, amodo. Liquorem, uitis, id est, uinũ in uite natum. Quod dicit Mattheus de hoc genimine uitis, donec regna patris concedent munere & dono uite melioris, quia immortalis me surgere rursus in meliora uina, id est, in fruitionem æternæ beatitudinis, quam etiam Poëtæ per nectar, id est, deorum potum significant. Dicitur autem à Mattheo sic. Dico autẽ uobis, non bibam amodo de hoc genimine uitis usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei.

EXIN CANTATO SANCTIS CONcentibus hymno.

MOntis olìueti conscendunt culmina cuncti
Talia † tum Christus depromit pectore uerba † dum
Omnes præsentis noctis uos tempore longe
Disperget misere deserto principe terror.
Sic etenim scriptum est, pastoris casibus omnes,

In diuersa fugam capient per rura uidentes,
† post ubi † Hunc cum uita nouos cœli mihi reddet honores
Præueniam: uestrosq; choros genitalibus aruis
Grata Galilææ uolitans per rura docebo.
Respondit Petrus, cunctos (sic credere fas est)
Quod tua labentes poßint præcepta negare,
Sed mea non unquàm mutabit pectora casus.
Ille dehinc. Nox hæc quæ lucida sidera terris
Inducet: lucemq; premens nunc incumbat undis
Audiet: ut ternis pauidus mendacia uerbis
Dices: & Christum fortißime Petre negabis,
Et prius altilibus resonent quam tecta domorum
At Petrus, duram mortem mihi sumere malim,
Vox oblita suum quàm deneget ista magistrum.
Has uires cordis perstant promittere cuncti.

COMMENTARII.

EXin, id est, deinde. Ex enim sæpe connotat post. ut ex meridie sol tendit ad ocasum. Ex illo tempore, id est, post illud tempus. Cantato non petulante nec diffuse, sed sanctis concentibus. ut in euangelio, et hymno dicto. Dicimus enim aliquem etiam carmine. Flaccus. Prima dicte mihi summa dicēde camena. Cuncti, id est, simul omnes. Oliuetū ubi oliuæ nascūtur plurimæ. Terror, scilicet, mortis; dicit autem apud Mat-

Scrip-

theū. Omnes uos scandalum patiemini in me ista nocte Scriptum est enim percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquàm autem resurrexero praeceeam uos in Gallileam. Casibus, id est, aduersitatibus utpote, captiuitate. Genitalibus, quia illic natus est. unde Ioannis. 1. Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth: Respondit Petrus: Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego nunquàm scandalizabo. Ait illi Iesus Amen dico tibi quia in hac nocte antequàm gallus cantet ter negabis me, etc. omnia nota sunt. Inducet terris id est, in terras secundum apparentiam, ternis uerbis quia triplici negatione. Altilibus, id est, gallis domi altis. Vox ista, scilicet, quam dicis mihi mendacem fore Ista igitur per contemptum dicitur. Matth. autem sic Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecū non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

IESVS SECEDIT IN VILLAM Gethsemani, et in horto orat patrē. Matth. 26. Marci. 14. Lucae. 22. Ioannis. 18

NOminis hebraei sunt Gethsamaneida rura
Illo progreditur uitae lucisq; repertor,
Quem mox discipuli tuda fugiente sequuntur
Atq; illic reliquos iussit residere ministros.
Ille sed assumpto longe procedere Petro

Zebedeiq́; ſimul natis per deuia tendit
Tunc angore graui mœſtus ſi uoce profatur
Tria nunc uoluens animus, mihi pectora turbat ſtia
Morte tenus, ſed nunc uos ſegnem excludite ſomnum
Sollicitamq́; ſimul uigilando ducite noctem.
Hæc alit: & paulum procedens, corpore terram
Deprimit, & tali proiectus uoce precatur.
Si fas eſt genitor, calicis me tranſeat huius
Incumbens ualido nobis uiolentia tractu.
Sed tua iam ueniat potius quàm noſtra uoluntas,
Quæ tibi decreta eſt tantis ſententia rebus.

COMMENTARII.

NOminis hebræi. *ſic melius quã hominis, quia & metro melius quadrat, & ſententiæ. Nam ordo eſt.* Rura *quædam nominis, id eſt, appellationis ſeu uocabuli* Hebræi. *S*unt *Gethſemaneida, quod* Mat*theus dicit.* Tunc *uenit* Ieſus *cũ illis in uillam quæ dicitur* Gethſemani. Marcus *autẽ.* Et *ueniũt in prediũ cui nomine* Gethſemani. Neq; *eſt repugnantia in dicto, cũ* Marcus *prædiũ.* Matthæus *uillã hic rura dicat: q̃a uilla nõ eſt oppidũ aut caſtellũ, ſed domus in agro iuxta uidelicet prædia & rura.* Illo. i. *ad illa.* Repertor *uitæ quia ſaluator & lucis, quia erat lux uera, & ſol iuſticiæ aut lucis, i. diei quia omniũ concreator.* Per *deuia id eſt,*

id est, loca de uia deducentia in seceßũ. Morte tenus id est, usq; ad mortẽ. Segnẽ. i. qui segnes & torpentes efficit. deprimit. i. deorsum cadẽs premit, quia progressus pusillũ procidit in faciem suam. Si phas est. Ordo est, ô genitor si est phas, si licitum est, & si fieri potest. uiolentia, id est, neceßitas huius calicis, incumbens nobis, id est, urgens nos ualido tractu, id est, impulsu Transeat, id est, pertranseat me, &c.

IVDAS IESVM OSCVLO TRADIT
Matth. 26 Marci. 14 Lucæ. 22 Ioannis. 18

TVnc ad discipulos repedat: sed somnus anhelus † anhelis
† Prostratis terræ membris dissoluerat omnes, † Prostratos
Tunc ait ad Petrum: Non est tibi ponere uirtus
Vnam peruigilem tantis sub casibus horam?
Sed uigilate precor ne uos tentatio raptos
Horrida præcipitet sæuæ per lubrica mortis
Spiritus iste uiget, sed corpus debile † labat, † lapsat
Seceßit rursus secreti montis in arcem.
Orabatq; patrem: Rerum mitißime rector,
Hunc quoniam calicem non est transire facultas,
Iam tua † perueniat nostra de sorte uoluntas. † præueniat
Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Inuenit: & rursus per idem genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis:

Iam dormire licet: sociosq; reuisere uestros:
† ecce Nam uenit † ille meum qui tradet ad omnia corpus
Quæ maculata meis imponet factio membris,
Cum dicto Iudas numero stipante cateruæ
Aduenit: procerum iussu populiq; ferocis.
Pars strictis gladijs: pars fidens pondere clauæ
Signa sequebatur Iudæ promissa furentis.
† Oscula nam pepigit sese contingere Christi † Dulcia nam Christi tacturum se oscula pactus,
Quò facile ignotum caperet miserabile uulgus
† Hic ubi dixisset simulata uoce salutem
Attigit & labijs iusti miserabilis ora,
Continuo Christus: totum complere licebit
Huc uenisse tuo quæcunq; est causa paratu.
† Ille ubi dissimilans blanda cum uoce salutat Iniecere manum turbæ: Christumq; prehendunt.

COMMENTARII

Tunc ad discipulos. Commemorat graphice, ut post orationē Christus dominus ad discipulos, quos inuenerat dormientes redierit, utq; postea ab Iuda traditus sit. Quia uerò omnia facillima sunt paucula duntaxat uocabula declarabo. Repedat. i. redit. Somnus anhelus, id est, faciens eos anhelare: aut affectantur dormire. Erant enim oculi eorum grauati somno. Terræ, id est, per terram. Maro Aenei. 4 Cæ-

tae r

fera per terras animalia somnus habebăt. Idĕ tamen dicit lib. 5. Condidimus terræ, ut terræ ponatur aduerbialiter sicut humi. Tunc ait ad Petrum, ut ad eũ qui maiori confidentia usus fuerat. non est tibi uirtus, id est, non potuisti, quia per uirtutĕ possumus ponere unam horam peruigilem, id est, insomnem, paßiue tamĕ hic: nam peruigil dicitur qui totum temporis uigilat sub, id est, in, aut imminentibus tantis casibus. Verba Christi sunt ad Petrum secundum Matthæum. Nam dixit Petro: Sic non potuisti unc hora uigilare mecum, quod autem dicit tantis sub casibus alludit ad illud. Aen. quarto. Nate dea potes hoc sub casu ducere somnos. Sed uigilate. Sic in euang. qu a quod Petro dixit omnibus, hoc est tribus illis dixit: Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Quod hic dicit sæuæ per lubrica mortis. Nam ut tentatio si non repellitur ducit ad mortem, sic lubrica nisi firmi fuerimus nos urget ad casum. Spiritus iste, id est, uester. Mat. 26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Labat autem præter morem producit in priore. Vnde Maro Aen. 2. Labat ariete crebro. Seceßit, id est, seorsum ab eis ceßit. Matthæus. Iterũ secundo abijt. In arcĕ. i. uerticĕ. Non est, id est, nõ datur. Mat. Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibã illũ, fiat uoluntas tua.

Vnde quia hic dicit quoniam calicem &c. interpretatatur si pro quomodo. Nostra de sorte, id est, de conditione uitæ. Inuenit, præsentis est temporis, unde mediã corripit. Venio enim in præsenti primam corripit in præterito producit. Nexos, id est deuinctos et oppressos languore fesso, id est, proueniente ex eo quod erant fessi. quietis, soporis, qui per quietem capitur. Socios, id est, cæteros apostolos quos derelinquerat assumptis duntaxat tribus: Petro, Iacobo & Ioanne. Ad omnia, scilicet, tormenta. Maculata, scilicet, crimine inuidiæ auaritiæ & ambitionis: Cũ, dicto, id est, simul ac dixit Contra Maro. Et dicto citius tumida æquora placat At Matthæus. Adhuc eo loquente: ecce Iudas unus de duodecim uenit &c. Stipante, id est, dense comitante, & quasi premente, unde secundũ Seruium stipo uenit à stupa, qua rimæ nauium obstruuntur. Cateruæ, id est, multitudinis comitantiũ. Aduenit hic præteriti est temporis, quia media longa. Procerum, id est, principum scribarum & seniorũ atq; pontificum Caiphæ et Annæ. Clauæ, id est, teli illius capitati, à nominatiuo claua, furentis, id est, insaniẽtis aut nimis affectantis Signa: quia qui tradidit eum dedit illis signum dicens: Quemcunq; osculatus fuero ipse est tenete eũ. Dulcia oscula: est enim osculum imminutum os, quod contrahimus

mus dum osculamur, id est, ora pudice contingimus. Quò, id est, ideò, ut caperet, id est, deciperet, falleret uulgus, scilicet, apostolorum tanti sceleris ignarorum, Hic, scilicet, Iudas proditor. Vbi, id est, postquã dixit salutem ut pote: Aue Rabbi, & ipse miserabilis non dignus miseratione, sed ut uulgo accipitur misere errans, & ita detestabilis. Aut ordo est. Ora iusti, scilicet Christi, quod ipsemet postea fatebitur, ubi dicet: Peccaui tradens sanguinem iustum miserabilis, id est, digni miseratione, ut qui talia non promeruit. Continuo ordo est. Christus continuo, sup. dixit licebit, id est permittetur tibi complere. totum, scilicet conceptum. quæcunq; causa est uenisse, sup. te huc id est, ad me tuo, id est, tali à te orto & instructo paratu, id est, apparatu. Paucis autem dicit quod euangelista sic habet. Amice ad quid uenisti Osculo filium hominis tradis? Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum uerum quod dicit. Totum complere licebit uidetur tractum ex eo quod postea dicet, aut ex eò quod dixit Amice ad quid uenisti. Aut quia nõ omnia scripta sunt, sed id de suo addidit, sciens quia Poëtis Quidlibet audendi semper fuitæ qua potestas.

PETRVS AVRICOLAM SERVO abſcidit. Math. 26. Luc. 22. Io. 18.

TVnc è diſcipulis unus fulgente machæra
Occurrit uatis famulo, & ſublatus in iram
Tempore & † ceſam rapuit ui uulneris aurem. † exciſam
Olli Chriſtus ait, gladium tu ponito noſter,
Nam quicunq; ferox confidit uindice ferro,
Hunc iuſti ſimilis ferri uindicta manebit.
An ego non poßim cœleſtia caſtra uocare,
Et patris innumeras in prælia ducere turmas?
Sed ſcriptura meis complenda eſt debita rebus.
Vos autem ſtricto quid me comprendere ferro,
Fuſtibus & gladijs concurritis? En ego uobis
Occurram, templi media qui ſemper in arce
Vobiſcum reſidens docui, nec talia quiſquàm
Inſonuit, tantis circum latratibus audax,
Diſcipuli paßim Chriſto fugere relicto,

COMMENTARII.

TVnc è diſcipulis unus, uidelicet Petrus, quem ſolus Ioannes nominat. Machæra, id eſt, gladio fulgente, non uidetur hic aptum epithetum: quia non habebant gladios in uſum bellicũ poterat tamẽ ex uſu coquinario fulgere, aut ex reuerberatione lucernarum, erat enim nox. Eſt autem Machera græcum uocabu-

cabulum significans gladium. Gladius autem à clade putatur dictus, sed mutata est quantitas &c. Vatis scilicet, Cayphæ principis sacerdotum aut pontificis quem uatem dicit propter illud uaticinium. Expedit unũ hominẽ mori pro populo. Sublatus in iram specio se dictum sed aliunde sumptum. Tempore ei, aut tempore decisam. Ordo est. Rapuit ei, id est, ab eo, au rem dicerem auriculam. cæsam, id est, decisam, tempore, id est, ab ea parte capitis, ut pote dextera secundum quam est auris & auricula. Sanè auricula est illa cartilago quæ apparet foris & abscidi potest. Auris est organum auditus quæ ablata auricula manet. Olli id est, tunc illi, sic Aenei. id est, Olli sub ridens &c. Olli id est, tunc gladium prius græce macheram dixerat. Tu noster, id est, qui de sorte mea es, & uicarius meus futurus, unde pontifici summo ablatus est usus gladij. Similis uindicta, id est, ultio manebit, id est expectabit aut huic certe futura est. Mat. Omnes enim qui acceperunt gladium gladio peribunt. An ego licenter producit an, nam corripi debet. Cœlestia castra, id est, legiones & exercitus angelorum. Castra enim sunt in quibus milites tempore belli degunt et muniuntur. Vnde Mat. An putas quia nõ possum rogare patrẽ meũ, & exhibebit mihi modo plus

quàm

quàm duodecim legiones angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripturæ: quia sic opus fieri, &c. Vos autem. Hoc dicit ad turbas, unde Matthæus. In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquàm ad latronem existis cũ gladijs & fustibus comprehendere me. Quotidie apud uos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. &c.

IN DOMO CAYPHAE CONDEMnatur, blasphematur & percutitur. *Matth. 26. Marci. 14. Ioan. 18.*

IAmq; Cayphæa † astiterat saluator in aula, (marginal: † steterat)
† Cum uenere omnes scribæ proceresq; uocati (marginal: † Conuenere)
At Petrus longe seruans uestigia solus
Occulte mœstus sedit cum plebe ministra
Extremum operiens tanto sub turbine finem:
Ecce sacerdotes falsos conquirere testes
Incumbunt, fictaq; uolunt contexere causas
Quis mortem insonti possent imponere Christo.

COMMENTARII.

IAmq; Cayphæa, &c. Diserte admodũ prosequitur historiam, utens artificiosa breuitate: nam ex ijs quæ dicit dat intelligere quædã: quædã quæ nõ dicit, uidelicet quæ Matthæus prosequitur dicẽs: At illi tenẽ

tes

tes Iesum duxerunt ad Cayphā principem sacerdotum ubi scribæ & seniores conuenerunt,&c. Nam si astiterat iam in aula Cayphæa, facile intelligitur quod eo perductus aut attractus sit. Aula uero propriè dicitur regia, sed uulgo accipitur pro atrio, seu ut uulgo dicunt pro sala. Cum, id est, quando: aut lege. Conuenere, quia Mattheus dixit. ubi conuenerant. Vbi notabis puer ubi positum esse pro postquàm, aut pro quo. Nā ut Valla adnotauit in Raudensem. Cōuenio exigit aduerbium ad locum, ut: Conuentus quo plures conueniūt Confluens quo duo, aut plures fluuij confluunt, & in unum fluunt. Longe seruans uestigia. Id Maronianum est. Mattheus autē sic dicēs. Petrus autē sequebatur eū à longe usq; in atrium principis sacerdotum. dicerem tamen potius sedit solus, existens mœstus: quam obseruans uestigia solus: quia ut Ioannes recitat non solus sequebatur, dicit ei: ut multi uolunt de se. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad hostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, &c. Negauit autem Petrus, ut Ioannes recitat semel Christum in introitu, unde addit. Dixit er

go Petro ancilla ostiaria. Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille non sum, &c. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Quæras ergo quomodo hic dicat sedisse. Dices secundum Mathæum, qui dicit, Petrus uerò sedebat foris in atrio & accesit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Sanè non difficilis est concordatio euangeliorum: nam prius sedit in atrio foris exclusus, uidelicet & postea stetit ad prunas cum alijs, unde cum agnosceretur ab ancilla negauit coram omnibus. Quinetiam si semper ad prunas fuisset, non repugnaret interdum sedisse, & interdum stetisse, quia ubi pauca sunt sedilia uicißim sedent, ut qui stantes in abeuntium locum succedant: unde Marcus, Petrus autē à longe secutus est eum usq; intro in atrium summi sacerdotis et sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se, &c. Friuolum ergo essent in re tam facili sudare. Verum qui euangelistarum concordiam ad unguem uidere uult, diuum Augustinum in de consensu euangeliorum legat. Opperiens id est, expectans extremum finem ut dicit euangelista, uolens uidere finem, id est, quid tandem

dem fieret de Christo, sub tanto turbine, id est, commotione rerum. Et reuera maxima est rerum commutatio & ita turbatio, ubi iudex omnium futurus iudicandus astat, ubi splendor gloriæ æternæ in derisionem uelata facie cæditur. Vbi ueritas falsis testibus incusatur. Ecce, quasi dicat. de improuiso. Aut quod nullus putasse debebat, incumbunt, id est, toto conamine & toto pectore affectant & nitūtur. Quis. i. quibus. Insonti, id est, innocenti. imponere, id est, fraudulenter inferre.

SEd nullus tanto uisus satis esse furori,
Vltimo prosiliunt testes, qui dicere Christum
Audissent, templum quod solus uertere † poßit, † posset
Et uersum † ternis iterum instaurare diebus. † trinis
Ipse sacerdotum princeps urgere tacentem
Insistit feruens furijs, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas nunc respondere querelas
Conuictus ueris procerum sub testibus audes?
Adiurabo tamen summi per regna tonantis
Vt fateare palam, si fas te credere Christum.
Ille dehinc tali compellat uoce superbum
Ista hæc sola tibi procedunt pectore uerba
Vera tamen ueniet uobis uisenda per auras
Maiestas, hominis proles uirtutis ad altæ

Cum

Cum ſedeat dextram per nubes ignicolores,
Talibus auditis, ſcindit de pectore ueſtem,
Inſultat furijs, & cæco corde ſacerdos,
Atq; ait: audiſtis pugnantis fœda pro ſani
Verba deo: polluta magis conſurgat in iras
Relligio, & ueſtram cuncti iam pandite mentem,
Conclamant omnes mortiq; adijcere certant.
Tunc ſancta Chriſti faciē ſputa improba complent.
Et palmæ in malis, colaphiq; in uertice crebri
Inſultant, uerbisq; omnes illudere certant.
Chriſte, prophetabis cuius te palma cecidit.

PETRVS TER CHRISTVM ABnegat, Mat. 26. Marci 14. Luce 22. Ioan. 22.

AT Petrum mulier triſtem quòd uiderat intus
Túne etiā iuuenis fueras comes additus inqt,
Iſti, quem ludens procerum ſententia damnat?
Ille negat, tectisq; foras ſe promere tentat.
Ecce, ſed egreſſum primo ſublimine cernens
Altera, conſimili prodebat uoce miniſtris.
Rurſus ait, iurans illum ſe noſſe † negabat, († negauit)
Tunc percontatum multi acceſſere ſequentes
Eq; ſono uocis ſeſe cognoſcere dicunt
Cuncta Galilæam ſtreperent quod uerba loquelam.

Et

Et Petrus iurans deuotis omnia uerbis,
Nescire affirmat, quisquis foret ille negando,
Hanc uocem, plausum quatiens sub culmine tecti,
Ales prosequitur cantu, mentemq; Simonis
Circumstant tristem uerbis præsagia Christi.
Egressusq; dehinc ploratus fudit amaros.

COMMENTARII.

AT Petrum. *Prosequitur negationes Petri, do/cens graphice occasionem ortam ex eo quod uisus est subtristis. Cum enim cæteri insultarent Chri-sto, Petrus stans ad prunas cum alijs subinde, ingemi scebat. Tunc etiam iuuenis. Ex suo addit quod erat iu-uenis, quia iam pater fuerat. Ille, scilicet, Petrus, negat, & tentat, id est, conatur promere, id est, eximere se te/ctis, scilicet, pontificis. Tunc percontatum, id est, ab an cilla altera interrogatum. Galilæam loquelam pro Ga lili eam sicut sæpe alibi dicebant enim.* Nam & loque *la tua te manifestũ facit.* Deuotis uerbis, *id est, execra bilibus.* Ex hoc autem loco discere debent, qui se deuo tos dicunt: deuotionem pertinere ad perniciem sese de uouentis. *quisquis, id est, quicunq; dicebant enim:* Non noui hominem. *Hanc uocem.* Ordo est, Ales, id est, auis scilicet, gallus. quatiens plausum, id est, concutiens mo re naturali alas suas, priusquam caneret ut faciunt ap-

 plauden

plaudentes manus suas. Sub culmine tecti, id est, in ædi-dibus pontificis: prosequitur cantu hanc uocem, id est statim cecinit post hanc uocem, id est, negationem tertiam Petri. Et præsagia Christi, id est, quæ Christus præsagiens per sagacitatem præsciens futura prædixerat, circunstant, id est, opprimunt mentem Simonis, id est, Petri, quia & recordatus est Petrus, &c. Tristem uerbis, id est, propter uerba quæ illi prædixerat Christus. Et egressus, scilicet de domo Pontificis. Fudit dehinc ploratus, id est, fletus amaros.

VINCTVS AD PILATVM DVCItur coram illo accusatur, à quo interrogatur de rege Iudæorum. Iudæi petunt Barabbam dimitti: et Christum crucifigi postulant. Matth. 27 Marci. 15 Lucæ. 23 Ioan. 18

Sidera iam + luci concedunt, & rapidus sol — + cœli
Progreditur, radijs terras crepitantibus implens,
Iamq; è concilio Christum post terga reuinctum
Præsidis ad gremium magno clamore trahebant:
Interea celsum dominus stans ante tribunal, — + Talibus exceptum Pilatus uocibus orsit.
+ Talia Pilati uerbis excepit Iesus.
Talibus exceptum Pilatus uocibus urget
Tu rex Iudææ gentis (quod dicitur) astas?

Respon-

Respondit Christus, uestris hæc audio uerbis.
Exin terribilis iusti accusatio surgens
Infremit: & sanctum mendax facundia pressat.
Respondere nihil trucibus dignatur Iesus.
Pilatus quærit quæ tum sit causa tacendi:
Ille magis præstans, miranda silentia seruat,
Solenni sed forte die concedere leges
Vnum damnati capitis de more iubebant.
Et fuit in uinculis famoso nomine latro,
Quem Christo infensus: populus dimittere uitæ
Ardebat: trucibus somno sed territa uisis
Pilati coniunx, iusti discedere pœna
Mandatis precibusq; uirum suspensa rogabat.
Tum iudex iterum procerum disquirere mentem
Tentat: et instanti cuperent quem soluere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
At proceres populum fusa ambitione rogabant,
Latronem legi peterent: Christumq; necarent.
At postquàm procerum incendit sententia uulgus,
Latronisq; petit potius sibi cedere uitam,
Consuluit præses populum: quid uellet Iesu.
Plebs incensa malo, sæuos miscere tumultus
Et crucis ad pœnas iterumq; iterumq; petebat.
Qui regis nomen caperet, qui Cæsaris hostem

Confessus: sese proprio damnauerat ore.
Deniq; ui uictus, detestatusq; cruentum,
Officium, increpitans se libera sanguine ab huius
Corda tenere sibi, coramq; à crimine palmas
Abluit: ut genti tantum macula illa maneret,
Hoc magis inclamant: nos nos cruor iste sequatur,
Et genus in nostrum scelus hoc, & culpa redundet,
Pilatus donat plebi legiq; Barabbam
Et crucis ad pœnam uinctum concedit Iesum.

COMMENTARII

Sidera iam luce concedunt, id est iam erat dies post terga reuinctũ. Virgilius addit manus dicens Aenei. 2 Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctum. Ad gremium, id est, ad medium complexum. q. d ad plenam potestatem. Interea ordo est. Pilatus urget talibus uocibus, quales sequuntur exceptum, scilicet, Iesum. Tu rex, sup. es gentis Iudææ, quod dicitur, scilicet de te. Iesus excepit talia ex uerbis Pilati: & respondit scilicet, idem Iesus. Ego audio hoc uestris uerbis, id est uos dicitis, quia rex sum ego. Damnati capitis, id est, ad plenã capitalẽ. Famoso, id est, insigni suspensus. i. multũ iratus Christo. Vxor autẽ Pilati acceßit ad cũ priusquàm sententia ferretur, dicens: Nihil tibi et iusto huic &c. Et postquàm ordo. At postquàm sententia

procerum

procerum incendit uulgus, &c. Quid uellet Iesu, id est quid uellet de Iesu fieri. Quod autē Pilatus manus lauit. Magis superstitionis quàm religionis uerè erat. Nos nos cruor. &c. Hoc est sanguis eius super nos, & super filios nostros. Scelus & culpa. Exponit quid sit sanguis eius super nos. Plebi, scilicet potenti. Et legi iubenti ut is quem populus peteret absolueretur. Et ita concedit Iesum uinctum ad pœnam crucis.

IVDAS POENITENTIA DVCTVS nummos retulit: et laqueo se suspendit, & de agro figuli. Matthæi. 27

PRoditor at Iudas postquàm se talia cernit
Accepto sceleris precio generasse furentem
Infelix ægris damnans sua gesta querelis,
Argentum & culpans sacram proiiecit in ædem,
Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pœnas:
Informem rapuit ficus de uertice mortem:
Inde sacerdotes (precium quod sanguinis esset)
Illicitum fantes adytis iam condere templi.
Quod dare tum licitum, dum sanguis distraheretur,
Credebant: agrum mercati nomine uero
Sanguinis, horrendo signant scelera impia facto,
Hæc quondam cooperta canens uox uera prophetæ
Euentum rerum patefecit in ordine secli

Argenti triginta minas posuere prophani
Hoc precium preciosi corporis instituentes,
Quod mox ad figuli rursus transfertur agellum.

COMMENTARII.

PRoditor at Iudas. Ordo est. At Iudas proditor Postq̃ cernit. i. uidet, se furentẽ, id est, per furorem mentis generasse talia, id est, uidens quod damnatus esset. Accepto precio sceleris, scilicet, triginta denarios. Ipse infelix damnans et culpans, gesta, id est, facinora sua. quærelis egris, quia ex desperatione oratis: dixit enim peccaui tradens sanguinem iustum. proiecit argentum in ædem sacram, id est, in templum. & exorsus, id est, incipiens, sumere sibi, id est, de se. pœnas suas, id est, sibi debitas laqueo. rapuit mortẽ informem: quia crepuit medius: Et ignominiosum est animam suffocare & gulam frangi laqueo. de uertice ficus. Sunt quoq; qui ficum putent pomum illud, quo Adam transgressus est edictum dominicum. Sacerdotes inde, id est, deinde. Quod, id est, eò quod esset precium sanguinis. fantes, id est, dicentes esse illicitum condere adytis, id est, in penitioribus locis templi, ad quæ non cuiuis adire licebat, ubi uidelicet gazophylatiũ cũ sacra arca. Quod scilicet preciũ, credebant licitum dare. i. in emptionẽ agri. tũ, id est, tunc. dum, id est

donec

donec ſanguis diſtraheretur, id eſt, in diſcrimen ueniret, mercati agrum uero nomine ſanguinis ſignant ſcelera impia facto horrendo, ut in euangelio. Propter hoc uocatus eſt ager ille acheldemach, id eſt, ager ſanguinis. Alludit autem ad illud 1. Aen. Mercatiq́; ſolum facit de nomine Byrſam.

A MILITIBVS DERIDETVR chlamyde coccinea indutus, & ſpinis coronatus. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 24. Io. 19.

TRaditus eſt trucibus iuſtus, ſceleriſq́; miniſtris
Militibus, ſcelerata opprobria corpore † præbet † perfert
Purpureamq́; illi tunicam, chlamydemq́; rubentem † Inducunt
† Induerunt, ſpiniſq́; caput cinxere cruentis
Inq́; uicem ſceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi, regem dominumúe ſalutant
Iudææ gentis, faciem lauere ſaliuis
Vertice & in ſancto plagis luſere nefandis.

COMMENTARII.

TRaditus eſt, per anthiteta, id eſt, contrapoſita declamat ut pathos moueat. Nam iuſtus & truces licet non planè contrarientur tamen ex conſequenti, nemo enim trux aut crudelis iuſtus eſt. Opprobria ſcelerata, id eſt, per ſcelus illata. Ordo eſt. Iuſtus. ſ.

Christus etiam sacrilegorum, iudicio, ut Iudæ & Pilati iustus, habitus, traditus est militibus, id est, stipendiarijs & ministris sceleris, trucibus, crudelibus & atrocibus. Et præbet, id est, exhibet aut patitur corpore, scilicet, suo. opprobria, id est, contumelias & offensiones: scelerata, id est, scelere illatas, ut cum illusione iniqua, & induerunt. Scriptum inueni induunt, sed secunda deberet corripi, unde legerem inducunt: sed sequitur in præterito cinxere, quapropter feci induerũt, cuius licet penultima, deberet produci, nõ tamen sine exemplo corripitur, ut in Bucco. Maronis, Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Et in Georg. Miscueruntq; herbas & non innoxia uerba. Et in Aeneid. Obstupui, steteruntq; comæ & uox faucibus hæsit. Quia uerò additur illi uester legendum inducunt, uerũ Maro etiam induitur inueni dixit: induerunt ergo aut inducunt illi tunicam purpuream, & chlamydem coccineam & cinxere caput eius spinis cruentis, scilicet postea quã ipsius sanguine preciosissimo conspersæ erant & arundo comitatur dextrã, id est, imponitur in dextram illius. in uicem, id est, in locum sceptri, id est, baculi, aut uirgæ regalis, quẽ aut quam reges in solio suo sedentes in manu habere solent. Tũc, id est, deinde, ipsi nixi, id est, connitentes genibus, hoc est genu flectentes

salu-

ſalutant,id eſt,per ſalutationē irriſoriā appellant eum regem,ue pro uel dominum gentis Iudææ,dicentes:aue rex Iudæorum. Vnde rex Iudæorum dictus eſt militum teſtimonio & Pilati. Et lauere,id eſt,madeſecerunt faciem,ſcilicet,eius. ſaliuis,id eſt,ſputo inmundo,& lauere in uertice ſancto,id eſt,ſummitate capitis Chriſti qui ſanctus eſt. plagis,id eſt,uerberibus aut ictibus nephandis.

A PILATO IVDICATVS AD CRVcifigendum ducitur. Symon Cyreneus angariatur ut trucem tollat: felle & aceto potatur: crucifigitur in medio duorum latronum: ſuper ueſtem ſortem mittunt: titulus cruci affigitur: blaſphematur: ſol obſcuratur: & terremotus factus eſt: de domini clamore & morte,& alijs quæ contingebant in morte eius. Mat. 62. Marc. 15. Luce. 23. Ioan. 18.

HAec ubi tranſegit miles ludibria demens,
Indutum propriæ ducebant tegmine ueſtis,
Et crucis ad pœnam ſanctum iuſtumq; trahebant
Ecce ſed egreſſi quendam cœpere Symonem
† Cyrina genitum, & lignum deferre iubebant. †Cyrenæ
Quo dominum lucis duris ſuffigere clauis

Instans urgebat secli immutabilis ordo.
At postquàm uentum est, ubi ruris Golgotha nomen.
Permixtum felli uinum dant pocula Christo,
Ille sed in summo gustu tractata recusat
Vt satis antiquis fieret per talia dictis,
Nec tamen † immanis plebis furor omnia posit.
Iamq; cruci affixum pendebat in arbore corpus
Intactamq; dedit tunicam sub sorte per omnes
Militis unius seruans possessio textum.
Et scriptum causæ titulum meritiq; locàrunt,
Quod rex Iudææ gentis plebisq; fuisset.

Insultans hominum furor

Accidit ut pœnæ pariter consortia ferrent
Latrones hinc inde duo, sed cœca furentis
Insultat plebis fixo uesania Christo.
Hic est qui templum poterat dissoluere solus
Hic est qui terno lucis reparare meatu.
Sed nunc descendat proles ueneranda tonantis.
Et crucis è pœna corpusq; animumq; resoluat.
Hæc uulgi proceres uecordis dicta sequuntur.
Atq; pharisæi scribæq; & factio demens
Illudunt, motuq; caput, linguasq; loquelis
Insanis quatiunt, æternæ ad uincula pœnæ.
Nónne alios quondam trucibus seruare solebat
Morborum uinclis, sese cur soluere uinclis

Non ualet? En regem nostræ quem credere gentis
Debuimus, soluat ligni de robore corpus,
Tunc sanctis digne ualeamus credere uerbis,
Confidit genitore deo, dimittere pœna
Cur non uult propriam sobolem ueneranda potestas?
Nec minus increpitant, dextra læuaq; gementes
Affixi crucibus scelerum pro sorte latrones.

COMMENTARII.

Haec ubi transegit. Mira breuitate rem pertractat. Nam neq; de accusatione, neq; de condemnatione eius iniustissima loquitur, paucis tamen innuit. Nam si si trahebant ad pœnam crucis satis liquet condemnatum fuisse, & si iustum, non dubium qui iniqua fuit sententia, præsertim eius qui sciuit, quod per inuidiam tradidissēt eū: potest enim fieri, ut iniusta sentētia iustè feratur. Quendā Simonē, bene primā corripit et mediā producit ut Flaccus in arte. Cyrina genitū, unde euangelium Cyrinaicum uocat lignum, scilicet, crucis: quo id est in quod, ordo seculi pro seculi immutabilis: quia iam uenerat hora eius, non quam fatum attulerat, sed quam ipse elegerat: tunc enim uenit quando ipse uoluit, ubi ruris nomen, sup. est hebraice Golgotha, quod est caluariæ locus. In summo gustu. i. extremis labijs. In tactā, id est, nō scissam: erat enim in consutilis desuper

contex-

contexta per totum. Vnde dixerunt milites: Non scindamus eam sed sortiamur, &c. Titulus erat: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hinc inde, id est, ab utraq; parte, non tamen hinc inde duo, sed duo latrones, hincinde, id est, alter: hinc, id est, à dextra: alter inde, id est, à sinistra. Terno meatu lucis, id est, reditu solis, qui lucem affert, id est, & post triduum reædificare illud. Qui, sup. poterat descendat, scilicet nunc de cruce & credemus ei. Nónne alios. Alios saluos fecit seipsum seruare non potest. Dextra leuáq;, scilicet, in principio Postea tamen à dextra crucifixus socium reprehendebat, dicens: Nihil tu times deum, &c.

IAm medium cursus lucis conscenderat orbem.
Cum subita fugit ex oculis, furuisq; tenebris
Induitur, trepidumq; diem sol nocte recondit,
Ast ubi turbatus nonam † conscenderat horam
Consternata suo redierunt lumina mundo.

† trāsiuerat

COMMENTARII.

IAm medium. Recitat quomodo hora nona sol obscuratus est, dum Christus sanctam erat emissurus animam, sed omnia manifestata sunt.

ET Christus magna genitorem uoce uocabat,
Hebrææ in morem linguæ, sed nescia plebes
Heliam uocitare putat, tunc concitus unus,

Cogebat spongo turpi calamoq́; reuincto
Impressum labijs acidum potare saporem.
Cætera turba furens tali cum uoce cachinnat.
Spectemus pariter cœlo ne forte remissus
Helias ueniat, celsa qui sede quiescit,
Liberet misero † crucifixum stipite regem. † confixum
Tunc clamor domini magno conamine missus,
Aethereis animam comitem commiscuit auris
Scinduntur pariter sancti uelamina templi,
Carbasaq́; in geminas partes dirupta dehiscunt
Et tremebunda omni concussa est pondere tellus.
Dissiliuntq́; suo ruptæ de corpore cautes.
Tum ueterum monimenta uirûm patuere repulsis
Obicibus, uiuæq́; animæ per membra reuersæ
Et uisum passæ populi, per mœnia latæ
Errauere urbis, sic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pauore
Dedita qui sæuæ seruabant corpora pœnæ
Et sobolem dixere dei, Christumq́; fatentur

COMMENTARII.

ET Christus magna genitorem, &c. ut in euangelio. Eeli, eeli lama zabathani, hoc est deus meus, deus meus ut quid dereliquisti me. Quidā aūt illic stantes & audientes, dicebant: Eliā uocat iste. Et conti

nuo

nuo currens unus ex eis acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Dicit autem hic ſpongum ubi. Euangelium habet ſpongiam. Cachinnat, id eſt, diſſoluto riſu dicit. Tunc clamor qa Ieſus autem iterum clamans uoce magna emiſit ſpiritũ Quod autem hic dicit. Commiſcuit animas comitem, &c. Videtur poëtice & non apte dictum: quia ſi auras æthereas ſpiritus cœleſtes intelligit potius dux quã comes fuit: ſin auras ipſas non illis commixta eſt, nec in cœlos ante aſcenſionem ſuſcepta: quia tamen diuinitate unita eſt ante aſcenſionem fuit in beatitudine, ſed finẽ facio. Carbaſa. i. uela tẽpli. Sunt tamẽ carbaſa ſæpe uela nauiũ. Viuæq́; animæ, per pro ad membra. Omnia autem habentur in euang. Matth. ubi ſic ſcriptũ eſt. Et ecce uelũ templi ſeſſũ eſt in duas partes à ſummo uſq; deorſum, &c. In textu offendi monimenta pro monumenta. Patet aũt mortuos ſurrexiſſe cum Chriſto nõ ante, quia ipſe erat primitiæ reſurgentium omnia autem uel rudibus patere poſſunt.

DE SEPVLTVRA DOMINI Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Et ſpeculis matres miracula tanta tuentur
Omnes, obſequium Chriſto quæ ferre ſolebant,

Iãq́;

Iamq́; recedenti uesper succedere soli
Cœperat, & procerum solus tum iustior audet
Corpus ad extremum munus deposcere Christi,
Hic ab Arimathia nomen gestabat Ioseph.
Qui quondam uerbis aures præstabat Iesu.
Pilatum tunc iste rogat sibi cedere membra
Quis nuper tulerat uitam uis horrida pœnæ
Concessit preses, sed corpus fulgida lino
Texta tegunt, saxiq́; nouo componitur antro.
Concludunt limen immensa uolumina petræ.
E speculis seruant matres & cuncta tuentur.

COMMENTARII.

E speculis matres, i. est, matronæ illæ finem obseruantes, ut Maria Iacobi, Salome & Magdalenæ. Miracula tanta non quidem de resurrectione mortuorũ, quæ nondum facta erat, sed de obscuratione solis, & concussione terræ, scissione ueli, ualido clamore in morte facto à Christo. Vesper qui & uesperus & hesperus est autẽ stella Veneris uesperi apparens. Sanè dum hesperum seu uesperum significat masculini est generis. Maro. Deniq; quid uesper serus uehat. Dum temporis uespertinum, neutri. Ioseph ab Arimathia. Bene Ioseph trissyllabum facit correpta prima Qui quondam. Qui uenerat ad Iesum primum nocte.

Sibi

Sibi cedere, id est, concedi, ut cedant sibi, id est. uoluntati suæ tradantur. Vis, id est, uiolentia. horrida, id est horrenda. Conceßit præses, scilicet Pilatus. lino, scilicet syndone munda. Texta, id est, contexta, scilicet, lino tenui. Cōponitur, id est, sepelitur nouo antro: quia in quo nemo antea sepultus erat. Concludunt limen, ea licentia qua Poëtæ raro. Alexander frequentißime abutitur iambum in tertio loco posuit propter pentimemerum. Sanè quod principalis est agentis cōceditur instrumento: nā homines concludunt limen, ut lectus sternitur floribus. Rursus dicit. E speculis, Specula autem est locus altior ad speculandum aptus. Non est autem uerisimile matronas illas sanctas in ueris speculis finem obseruasse.

DE CVSTODIA CIRCA SEPVLchrum. Mat. 27.

Iamq́; dies rutilo complebat lumine terras,
Ocia qui semper prisca de lege iubebat.
Nulla sed immitis procerum furor ocia seruat.
Conueniunt, onerantq́; simul sic iudicis aures.
Erroris laqueos iustißima pœna resoluit.
Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat
Vulgari semper iactans promittere plebi,
E mortis sese tenebris ad lumina uitæ

Cum

Cum terno ſolis pariter remeare recurſu.
Sed petimus, cuſtos miles noua funera ſeruet.
Ne fera diſcipulis furandi audacia corpus
Conſurgat, turbetq; recens inſania plebem.
Et Pilatus ad hæc: miles permittitur inquit,
Seruate, ut uultis corpus tellure ſepultum.
Conueniunt, ſaxiq; ingentia pondera uoluunt,
Et limen ſignis, & ſaxum milite ſeruant.

COMMENTARII.

IAmq; dies. *Oſtendit quid egerint cuſtodes ſepulchri Poſtquã dominũ Ieſum ſibi commiſſum amiſerãt.* Lu mine rutilo, *id eſt, re ſplendenti more auri.* Ocia *id eſt ceſſatione ab omni opere.* Erat enim dies ſabbati. Sabbatum *autem dicitur requies.* De priſca lege, *id eſt, ſecundum priſcam ſeu ueterem legem, quia in* Decalogo *præcipimur ſabbata ſanctificare.* Iudæi *tamen nullum ocium patiebantur.* Erroris laqueos. Apud Matthæum *legitur ſic.* Recordati *ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc uiuens:* Poſt *tres dies reſurgam.* Iube *ergo cuſtodiri ſepulchrum, uſq; in diem tertium: ne forte ueniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi ſurrexit à mortuis.* Et *erit nouiſſimus error peior priore.* Quoniã planus. *Si uera eſt lectio alludit ad* Planũ *Horatianum in epiſtolis, qui ſæpe ſeduxerat ac decepe*

rat mortales, fingens se non posse sine corũ patrocinio surgere unde fauorẽ adeptus est. Trino aut terno, pro tertio recursu, id est, ueloci creditu. Ordo autẽ est: ille planus. i. deceptor ut Planus iactãs solebat promittere plebi, uulgari sese remeare. i. remeaturũ: è tenebris mortis ad lumina uitæ pariter cum terno recursu solis Et Pilatus ad hæc, sup. dixit. Vnde Mattheus. Ait illis Pilatus habetis custodiam. Ite custodite sicut scitis. Illi autẽ abeuntes munierunt sepulchrũ, signantes lapidẽ cũ custodibus. Conueniunt. s. milites ad tale munus à Pilato precibus seniorum inducto. Milite pro militibus. ut Aeneid. 3. Armato milite complent.

IN DIE SANCTO PASCHAE. DE gloriosissima domini resurrectione. Matth. 28 Marc. 16 Luc. 24 Ioan. 20

Sidera iam noctis uenturo cedere soli
Incipiunt tumuli matres, tum uisere septum
Concurrunt, motus sed terram protinus omnem
Concutit: & cœlo lapsus descendit aperto
Nuntius & saxum tumuli de limine uoluit.
Illius & facies splendet ceu fulguris ignis,
Et niuis ad speciem lucent uelamina uestis,
Militibus terror sensum discluserat omnem:
Et iacuere simul seu fusa cadauera lecto

Ille

Ille sed ad matres tali cum uoce profatur:
Vestra pauor nullus quatiens nunc corda fatiget,
Nam manifesta fides sanctum uos quærere corpus
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit,
Surrexit Christus æternaq; lumina uitæ
Corpore cum sancto deuicta morte recepit.
Visere iam uobis licitum est, quod sede sepulchri
Nulla istic iaceant: fuerant quæ condita membra.

COMMENTARII

Sidera iam noctis. Graphice prosequitur resurrectionem dominicam. Sidera noctis, id est, quæ noctu apparere solent. Venturo soli, scilicet, postridie illius diei. Et matres .i. dictæ, uidelicet, tres Mariæ Concurrũt, id est. festinãt. tũ, id est, tũc, scilicet orto iã sole. uisere septũ .i. clausurã tumuli .i. sepulchri dominici. Nuncius latine, dicitur angelus græce. Euangeliũ autem Matthei ultimo dicit sic. Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, uenit Maria Magdalena, & altera Maria uidere sepulchrum. Et ecce terre motus factus est magnus. Angelus aũt domini descẽdit de cœlo, & accedens reuoluit lapidẽ, et sedebat super eũ. Erat autẽ aspectus eius sicut fulgur, et uestimentũ eius sicut nix. Præ timore autẽ eius exterriti sunt custodes, & facti sunt sicut mortui. Respondens

autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere uos. Scio enim quod Iesum qui crucifixus est: quæritis, etc.

Dicite præterea celeri properoq; recursu
Discipulis Christum remeasse in luminis oras,
Inq; Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis uisisq; animos perfuderat ardens
Læticia, attonitos, stupido ancipitiq; fauore:
Deniq; præcipiti celerantes gaudia cursu,
Talia discipulis referunt, tumulumq; relinquunt,
Ecce † uiæ medio clarus se ostendit Iesus: † iteris
Et fidas matres blandè saluere iubebat.
Occurrunt illæ: & genibus plantisq; prehensis
Victorem læti pauidæ uenerantur Iesum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat,
Mentibus absistat fidei pauor omnis, & ista
Fratribus hinc nostris properè mandata referte,
Nostri conspectus si cura est. Ite uolentes
Inq; Galilæam properè discurrite terram.

COMMENTARII

Dicite præterea. Matheus. Et cito euntes dicite discipulis eius: quia surrexit. Ecce præcedet uos in Galilæam. &c. Propero, id est, properanti & festino. Stupido & ancipiti fauore, scilicet, ab affectu. Tumulum, id est, sepulchrum. Credebant ergo uerbis angeli

angeli. Viæ medio. Euang. & ecce Iesus occurrit illis dicens: Nolite timere, etc. Absistat, id est, procul absit Si cura est, id est, si quid curant. Cuncta autem legentibus euangelium tam manifesta sunt, ut non uideantur expositoris indigere, sed monitoris.

CVSTODES PECVNIA CORRVMpuntur, ut resurrectionem celent. Matth. 27

INterea tumuli custodum exterrita corda
Mittunt è numero partem, quæ tanta referret
Iudæis rerum miracula, sed manus amens
Iam semel insano penitus deuota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit.
Et famam argento redimit quod limine rupto
Furtim sustulerit corpus defensa tenebris,
Occulte rapiens audacia discipulorum

COMMENTARII

INterea tumuli. Res manifesta est ex solo euangelio et ex titulo præuio satis elucidata, nec contemnendus est ob id stilus, quod apertus: Ea enim est prima uirtus eloquẽtiæ, autore Fabio. Sed manus id est, multitudo sacerdotum amens. capta furore inuidiæ & auaritiæ: quia excæcauerat eos malitia eorum deuota id est, malo uoto destinata & addicta: ut Aeneid. 4 Pesti deuota futuræ. Deuotio enim raro in bonam par

tem accipitur. Semper enim deuoto perniciẽ uidetur in ferre. Deuotus enim est morti ud dictus ob salutẽ alterius, aut reipublicæ, ut Decius pater, & filius, & etiã nepos: aut per similitudinem alterius obsequio sic addictus, ut mortẽ potius obeat, quã patronũ derelinquat Vnde Iuue. Quod ni tibi deditus eßem Deuotusq; cliens uxor tibi uirgo maneret. Quia itaq; uiri religiosi & deum timentes sic mandatis eius intendunt, ut uita uelint pro eis pascisci, uulgo dicuntur deuoti, ubi potius deuouentes se dicerentur. Certatim, id est, accumulate, ut fieri solet in his quæ certatim fiunt. Famam, id est, diuulgationem redimit, id est, comparat dicebant enim milites, quod audacia discipulorum defensa tenebris rapiens occulte sustulerit furtim corpus, scilicet, Iesu. Graphice multa inculcat, ut fieri solet ab ijs qui anxie mentiuntur, & in mendacio deprehendi uerentur. Afferunt enim omnia quæ uero similẽ faciant rem non tamen sic quin ueritas elucescat. Si enim diceretur uigilibus cur corpus non custodierint, dicerent se dormisse, & per tenebras sublatum: uerum si dormierunt non uiderunt discipulos sufferre, aut surripere quod si non uiderant, asserere non debebant. Et si uiderunt obstare debuerunt, quia non est ueresimile inermes armatis præualuiße, præsertim cum nulla uio lentiæ

lentiæ indicia ostẽdere possent, Limine, id est, clausura sepulchri: sed finem facio.

IESVS IN GALILAEA DISCIPVLIS apparuit, præcipiens eis euangelium prædicare, & credentes in nomine patris, & filij, & spiritussancti baptizare. Matthæi. 28

IAmq; Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concurrens turba suorum,
Cernitur esse suis proles ueneranda tonantis
Illum procumbens sanctus chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus uirtus: nam pars dubitat eorum
Tunc sic discipulos clarus compellat Iesus
In cœlo & terris genitor mihi cuncta subegit.
Gentibus haud aliter nunc uos ego mittere cunctis
Institui, uestrum est cunctas mihi iungere gentes,
Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto patris natiq; lauate
Viuifici pariter uiuantis spiramine flatus
Ablutisq; dehinc nostra insinuate: docentes
Præcepta: ut uitam poßint agitare perennem
Nec uobis unquàm nostri præsentia deerit,

Donec consumens dissoluat secla finis.

COMMENTARII

IAmq́;. Comemorat id quod habetur Matthei ultimo. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis. Et uidentes eum adorauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes in nomine patris & filij & spiritussancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi.

CONCLVSIO.

AS mea mens fidei uires sanctiq́; timoris
Cœpit, & in tantum luxit mihi gratia Christi
Versibus ut nostris diuinæ † gratia legis († gloria)
Ornamenta libens tulerit terrestria linguæ,
Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi secli,
Quam fouet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti.
Qui solus regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus, quo iustis dignior actis
Aeternam capiat diuina in secula uitam
Per dominum lucis Christum, qui in secula regnat

COMMENTARII.

Has

HAS mea mens. Et fiducia bona opus claudit, significans se gratia dei fretum rem euangelicam carmine perscripsisse. Et tantam maiestatem non dedigna tam ornamenta terrestria linguæ. Additq; quo tempore scripserit, uidelicet sub Constantino Magno imperatore rei Christianæ utilissimo, & sub filijs eius. Anno CCCXXX. Acceptum autem fert hæc omnia paci duplici: cum Christo, uidelicet, & cum mundo: nec ab re, quia carmina proueniunt anemo deducta sereno, ut Naso testatur. Et sunt ut Iuuenalis inquit. Magnæ mentis opus nõ de lodice paranda Sollicite. Verũ qui cum Christo pacem non habet, non potest esse mente tranquilla, nec tempore belli externi facile immunes sumus à perturbatione, unde se multa debere fatetur Constantino, sub quo pax erat mundo, & qui solus, regnũ fugit præconia: nam Christo concessit imperij gloriã.

TRIVMPHVS CHRISTI HEROICVS.

CVm faber astrorum mortis pateretur acerbum
In cruce supplicium, sese non posse dolores
Ferre creatoris, mundus clamabat & astra
Igniuomi solis, lumen nox abstulit atra
Contremuit tellus, scopuli rupesq; dehistunt.
Et quid opus multis, lugebant cuncta creata,
Rex cœli ut Christus phlægetontis regna subiuit
Princeps regali Pluto prospexit ab aula
Ad sua dum sensit concurrere limina Christum.
O socij exclamat: Iam tempus sumere tela
Quandoquidem hic saniæ perfusus membra propin-
Prædaturus opes nostras umbrasq; animasq;, (quat
Scandite tecta alacres, hostemq; à limine telis.
Arcete obiectis, multa & compage serarum
Regalem interea nos hic tutabimur armis
Obicibus crebris & duris uectibus aulam
Agmine facto illi summa ad fastigia currunt.
Vocibus horrisonis & tecta & mœnia complent.
Ecce autem Christus per tetra silentia rupit
Lumine sidereo, claraq; in luce refulsit,
Heus agite umbrarum proceres, attollite portas
Portarum seras, & magnos demere uectes.

Quid

Quid miſeri audetis contra capere arma tonantem?
Hic ego rex ueſter, fruſtra eſt obſiſtere regi,
Hæc ubi dixiſſet ſubitus pauor occupat omnes
Turmatim effugiunt, ululatibus aëra complent.
Nec mora cum ſonitu poſtes cecidere ſolutis
Cardinibus, magnamq́; dedit collapſa ruinam.
Ianua & admittunt concuſſa palatia Chriſtum
Obſtupuit prior ipſe Charon, ſeq́; abdit in ulua
Et canis obſtupuit claudens tria Cerberus ora
Gorgones Harpiæq́; tremunt pauet ipſa Megera
Tiſiphone, Alecto perculſæ luce moleſta
Vltrices, diræ, furiæ, Parcæq́; ſorores.
Et quid multa ſilent, gemitus, tormenta, dolores
Quò ſimul ingreditur, Chriſtus tremere omnia circũ.
Sed gaudent animæ ſanctæ, maneſq́; piorum.
Primus Adam ante alios palmas ad ſidera lætus
Extulit, & dominum deuota eſt uoce precatus,
Expectate uenis miſeris, ô ſancte redemptor,
Da requiem finemq́; malis fer ad aſtra redemptos
Sic pater Habramus, puer Iſacus atq; Iacobus
Procedunt alacres, iuxta formoſus Ioſeph
Et Moſes ſanctus, & uita inſignis Aaron
Et Ioſue inuictus, reliqui regeſq́; duceſq́;
Et patriæ uindex Machabæus origine Iudas

Inde

Inde alij patres fama super æthera noti.
Candidus ille chorus Christum reuerenter adorat,
Regius ante alios uates notißima proles
Stirpis Iessex cytharam tangebat eburno
Pectine, & ad numeros una omnes uoce precati.
Dulce melos pangunt concordi carmine uates.
Ante alios iuuenis qui Christum nuper ad undas
Tinxerat, hic lætis concentibus agnifer ibat
Salue herebi uictor, domitor salue inclyte mortis
Destructor scelerum, salue ô fortißime uindex
Amissæ uitæ, Salue ô spes una salutis
Aspice plasma tuum Sancte & uenerande creator
Et post tot gemitus nos duc ad regna polorum.
Tum Christus uerbis animas adfatur amicis:
Ponite corde metum tristes secludite curas
Ipse ubi tempus erit uos ad mea regna reducam
Hæc dicens fractis portarum molibus intrat
Horrendi ditis regnum, quem protinus inde
Extractum uinclis & carcere frenat opaco.
Horrendum ille tonans nequicquàm palpitat artus
Immordetq; feras indignaturq; teneri.
At Deus ille stygis domitor phlegetonte relicto,
Intulit Elysio raptos de carcere patres.
Hinc redit à tumulo rediuiuus peruigil ipsum

Miles ubi clausum studio seruabat inani,
Quos tremor attonitos sic fecerat, ut neq; dictis
Auderent contra, aut sumptis insurgere telis.
Sed Solymam ingressi magnis terroribus urbem,
Surrexisse aiunt magno cum robore Christum.
Interea sese uitæ reparator amicis,
Discipulisq; suis rediuiuum præbuit, & post
Quadraginta dies cœlestia regna reuisit.
Quem mox uenturum rursum expectamus ab alto,
Arbiter ut iusta cunctis det præmia lance.

TROPHEVM CHRISTI.

REx ergo noster Christus super omnia regnat.
Et ueluti quondam belli statuere trophæa,
Magnanimi Graium proceres, regesq; Latini:
Sic Christus statuit celebris uictricia pugnæ
Signa suæ, signa æternos mansura sub annos.

CRVX.

ARboris ipse crucem posuit uenerabile lignum,
De cuius ramis fractis ceruicibus huius
Vincti dependent oculis turgentibus hostes.

PLVTO.

ANte alios stygius Pluto de stipite pendet
Arcubus attritis, telis, laqueis, pedicisq;.

MORS.

Hinc

HInc alia mortis de ſtipite pendet imago
Pallida, cæca, ferox, elinguis, frigore torpens,
Dentibus excuſsis & truncis naribus ora
Horrida commonſtrans, & hyantia guttura late.

INFERNVS.

FRonde alia inferni dirupti ianua pendet
Poſtibus attritis, cum cardinibusq́; ſerisq́;.

MALA CONSCIENTIA

Ira Dei.

FRonde alia ira Dei, & ſibi mens male conſcia pen
Omnia quæ Chriſti roſeo ſunt terſa cruore. (dent

CHYROGRAPHVM.

FRonde alia patris primæui ſyngrapha pendent
Dilaniata modis miſeris extinctaq́; prorſus.

MVNDVS.

TAndem ſordifluus ualido de ſtipite mundus,
Plenus diſsidijs & multo crimine pendet
Et uariæ pompæ, & crudelia facta tyrannum.

VICTORIA CHRISTI.

HOs hominum Chriſtus ſæuos abſorbuit hoſtes
Vt neq; iam poſsint ultra damnare fideles
His equidem tentare datum, ſed uincere noſtrum eſt.
Id quoq; per Chriſtum, cuius uictoria noſtra eſt
Cum patre, qui æternum ſancto cum flamine regnat.

BASILEAE,
APVD BARPTHOLOMAEVM
VVESTHEMERVM. ANNO
M. D. XLI.

ARATORIS
POETAE CHRI=
STIANISSIMI ACTA APO
ſtolica, carmine Heroico
deſcripta.

An. M. D. XXXIIII.

PROLOGVS ARATORIS SVBDIACONI VRBIS ROMÆ.

QVI meriti florem maturis sensibus ortum
Nominis ore tui iam Floriane tenes,
(Nam primæuus adhuc senibus documenta dedisti,
E quibus in cœlum uita pararet iter)
Ad carmen concurre meum, pedibusq; labanti
Porrige, de placido sæpe fauore, manum.
Ieiuno sermone quidem, sed pinguia gesta
Scripsimus, ac pelagi pondere gutta fluit.
Inter grandiloquos per mille uolumina libros
Maxima cum teneas, & breuiora lege.
Naturæq; modo (quam rerum condidit auctor)
Concordent studijs celsa uel ima tuis.
Quæ genuit tygres, quæ nutrit terra leones,
Formicis, apibus præbuit ipsa sinum.
Et si respicias, dispenset ut omnia rector,
Ingenium mites, uim meruere truces.
Ipsaq; continuum uirtus infracta laborem
Deserit, & uarias quærit habere uices.
Loricam solitus membris imponere miles,
Gymnasij gaudet nudus adire locum.
Et qui ferratas acies atq; agmina uincunt
Imbelles, feriunt per sua tela feras.
Ergo gradum retinens, & prisca uolumina linquens,
Cede dies operi, quod pia caussa iuuat.

DOMINO SANCTO, BEATISSIMO, APOSTO-lico, & in toto orbe primo, omnium sacerdotum Papę Vigilio, Arator subdiaconus.

Moenibus undisonis bellorũ incendia cernẽs,
Pars ego tunc populi tela pauentis eram.
Publica libertas, sanctissime papa Vigili,
Aduenit incluso soluere uincla gregi.
De gladijs rapiuntur oues pastore ministro
Inq; humeris ferimur, te reuocante, pijs.
Corporeum satis est sic euasisse periclum,
At mihi plus animæ nascitur inde salus:
Ecclesiam subeo, dimissa naufragus aula,
Perfida mundani desero uela freti.
Transferor ad niueas Petri sine turbine caulas:
Et fruor optati iam statione soli.
Littoris ille sinus ad carbasa nostra parauit,
Fluctibus in medijs, cui uita sicca fuit.
Esse reus potero, grates si reddere cessem,
Vnius officio displicuere nouem.
Sensibus ardor inest, horum celebrare labores
Quorum uoce fides, obtinet orbis iter.
Versibus ergo canam, quos Lucas rettulit actus
Historiamq; sequens, carmina uera loquar.
Alternis reserabo modis, quod littera pandit,
Et res si qua mihi mystica corde datur.

Metrica

Metrica uis ſacris non eſt incognita libris,
Pſalterium lyrici compoſuere pedes
Hexametris conſtare modis, in origine linguæ
Cantica Hieremiam, Iob quoq; dicta ferunt.
Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris,
Reſpice quod meritis debita ſoluo tuis.
Te duce tyro legor, te dogmata diſco magiſtro
Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

ARATORIS POETAE CHRISTIANISSIMI ACTA APOSTOlica verſu Heroico deſcripta.

Vt ſceleris Iudæa ſui polluta cruore,
Auſa nefas, cōpleuit opus: rerumq; creator
Hoc quod ab humanis ſumpſit ſine crimine membris,
Humana pro ſtirpe dedit, dignatus ut ima
Tangeret inferni: non linquens ardua cœli,
Soluit ab æterna damnatas nocte tenebras,
Ad manes ingreſſa dies: fugitiua relinquunt

Astra polum, comitata deum, cruce territa Christi,
Vult pariter natura pati. mortisq; potestas
Se uincente perit, quæ pondere mersa triumphi
Plus rapiens nil iuris habet, diuinaq; uirtus
Rursus membra ligans, animata cadauera mouit.
Ad uitam monumenta patent, cineresq; piorum
Natalem post busta nouant, lux tertia surgit.
Maiestas cum carne redit, speciemq; choruscam
Vmbrarum de sede refert, ut ab exule limo
Interclusa diu patriæ repetatur origo,
Omnipotens parat ipse uias, & corpora secum
Post tumulos regnare iubet, moriente ueneni
Semine florigero sua germina reddidit horto.

DE ASCENSIONE DOMINI nostri Iesu Christi.

CAPVT PRIMVM.

IAmq; quater denis dominus manifesta diebus
Contulerat per signa fidem, cernentibus illis
Vsq; sub extremum diffuso in limite mundum.
Quos testes iubet esse suos, miracula rerum
Non poterant cælare deum, documenta resurgens
Quæ sic certa daret, quam mandere corpora uitam
Hinc humana probant, cœlum petiturus, oliuæ
Progreditur lustrare nemus. qua germine sacra
Luminis & pacis locus est, uult inde reuerti.
Vnde creaturam signata fronte micantem
Diuinus commendat odor, cum desuper unctos

Ablu-

Abluit interius Christi de nomine chrisma.
Tollitur astrigerum rediturus uictor in axem,
Et secum quod sumpsit habet, noua pompa triumphi
Arua deus petijt: homo sydera, quis datur illi
Aetherea de parte fragor, quantumq; resultant
Cœlestes in laude chori, cum rector olympi
Euehit excelsis quicquid suscepit ab imis.
Ingrediensq; polum carnis comitante trophæo,
Exuuias atri raptas de fauce profundi
Lucis in arce locat, terrenosq; erigit artus,
Quos pietate capit, propter quem uenerat iuit.
Discipulos stupor altus agit, quibus ore chorusco
Perspicui dixere uiri, quæ cognita nobis
Et miranda sonant, nunc iam speculemur ouantes,
Imperijq; modum per subdita iura probemus.
Virgine matre satus, calcata morte resurgens,
Cœli sceptra petens, bis nuntiat acta ministris.
Nec cessant elementa suo seruire tonanti,
Stella comes progressa magos, uenientis honore
Militat, obsequio nubes famulatur euntis.
Angelicis igitur postquam est affatibus usa,
Liquit oliuiferi ueneranda cacumina montis,
Ad messem prælecta manus, qui calle citato
Mœnia nota petunt, quo per sua sabbata mille
Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat
Porta Maria, dei genitrix intacta creantis,
A natoq; ornata suo, mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus,

Restituit quod prima tulit, non uoce querelas
Excitet, aut gemitu mœrentia corda fatiget
Antiqua pro lege dolor, scelera ipsa nefasq́;
Hac potius mercede placent, mundoq́; redempto
Sors melior de clade uenit, persona ruinam
Non natura dedit, tunc fœmina fœta periclum
Nunc tumuit paritura deum, mortalia gignens
Et diuina ferens. per quam mediator in orbem
Prodijt, & ueram portauit ad æthera carnem.

DE ALLOQVVTIONE Petri, & Matthia. xij. relato. CAPVT II.

PRimus apostolico parua de puppe uocatus
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squamea turba capi, subito de littore uisus
Dum trahit. ipse trahi meruit, piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus. quæ gesserat hamum
Ad clauim translata manus, quiq; æquoris imi
Ardebat madidas ad littora uertere prædas,
Et spolijs implere ratem. melioribus undis
Nunc alia de parte leuat, nec deserit artem
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus
Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit. & insinuans diuina negotia, coram
Sic uenerandus ait. nostis quam proditor amens

Mercedem sceleris soluit sibi, tædia noxæ
Horruit ipse suæ, stringens in gutture uocem
Exemplo cessante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit, crimenq; retractans
Iudicio tali permisit membra furori,
Aëris ut medio communi poneret hosti
Debita pœna locum. cœli terræq; perosus
Inter utrunq; perit, nullis condenda sepulchris
Viscera rupta cadunt, tenuesq; elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis. non hæc uacat ultio Iudæ
Quæ suprema negat. uindictaq; mercis iniquæ
Sic placitura uenit. nam cum modo rura parasset
Funeris ex pretio, cum nomine sanguinis emptus
Cespes, in externas componens busta fauillas
De tumulis fœcundet humum, caret impius agri
Fertilitate sui, solusq; excluditur aruis
Quæ monumenta ferunt, cuius tuba sæua cruentum
Est exorsa nefas, qui signifer oscula fingens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.
Nunc opus est uotis, quod uerba prophetica clamāt
Quem liceat supplere uices, tunc summa precantes
Constituere duos, Ioseph cognomine Iustum,
Matthiamq;, dei paruum quod nomen, ut aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilemq; uocando
Comprobat, ó quantum distant humana supernis
Iudicijs, parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui iustus erat. duodena refulgent
Signa chori, terrisq; iubar iaculatur olympi.

Hæc quoq; lux operis quid præferat, ædere pergam
Quattuor est laterum discretus partibus orbis,
Trina fides uocat hunc, quo nomine fonte lauatur.
Quattuor ergo simul repetens ter, cõputat omnem
Quam duodenarius circuntulit ordo figuram,
Discipulisq; pijs, quibus hoc baptisma iubetur,
Mystica caussa dedit numerum recreare priorem.

DE ADVENTU SPIRITUS sancti, in igne super apostolos descendentis. CAP. III.

SPiritus ætherea descendens sanctus ab aula
Irradiat fulgore locum, quo stemma beatum
Ecclesiæ nascentis erat, quibus igne magistro
Imbuit ora calor, dictisq; fluentibus exit
Linguarum populosa seges, non littera gessit
Officium: non ingenij stillauit ab aure
Vena, nec egregias signauit cera loquelas,
Sola fuit doctrina fides, opulentaq; uerbi
Materies. cœleste datum noua uocis origo
Quæ numerosa uenit, totoq; ex orbe disertis
Sufficit una loqui. dudum uetus æquoris arca
Cum superasset aquas, turrim uoluere maligni
In cœlum proferre suam, quibus impia corda
Sermonum secuere modos, socijsq; superbis
Affectus cum uoce perit, confusio linguæ
Consimili tunc gente fuit, nunc pluribus una est
Ecclesiæ quondam uenientis imagine gaudet

Concor

Concordes habitura sonos, & pace modestis
Fit facunda, redux, humilisq; recolligit ordo.
Quod tumidi sparsere uiri, res maxima cogit
Non reticere diu, quid sit quod spiritus almus
His datur in flamma, Iordanis ab amne columba.
Quod tunc rite canam, promissaq; debita soluam,
Si sua dona ferat. duo sunt hæc signa figuræ,
Vt sit simplicitas, quam congrua diligit ales,
Quæ ne tarda gerat sine dogmatis igne tepores.
Sit pariter succensa fides, ibi destinat undis
Vnanimos, hic ore iubet flagrare docentes.
Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor.
Nos etiam musto typica ratione moueri
Error uetus ait, quos ebria fonte recenti
Compleuit doctrina poli, noua uasa liquorem
Suscepere nouum, nec corrumpuntur acerbo,
Quo ueteres maduere lacus, de uite bibentes,
Quæ Christo cultore dedit conuiuia uerbis.
Vnde rubent, quas uertit, aquæ, tenuemq; saporem
Legis in ecclesiæ fecit, feruescere libris.
Tertia sydereis inclaruit hora loquelis,
Hunc numerum deus unus habet, substantia simplex
Personis distincta tribus. quàmplurima nobis
Instrumenta patent, simul hæc & tēpora monstrāt.

DE SERMONE PETRI AD baptismum hortantis.

CAP. IIII.

Primus

PRimus at ille Petrus, cui seruit in æquore gressus,
Retia iam cupiens hominũ uibrare saluti,
Vt piscator ouans leuet has de fonte cateruas,
Rettulit æthereos populo mirante triumphos.
Venit ad occiduas carnaliter æditus horas,
Humana sub lege deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit: nec uile putauit
Maiestate potens, terreni sumere formam
Corporis: atq; opifex hominum pars esse: suoq;
Nos pretio reuocare sibi, post dona salutis,
Postq; tot erectos pulsis languoribus ægros.
Cum defleta etiam perfunctaq; corpora luci
Redderet, & superas iterum concederet auras,
Se quoq; permittens fusæ, genitricis ab aluo
Carnis iura pati, uitam ne perderet orbis,
Maluit ipse mori. sed quod de uirgine fœta
Nascitur, illud obit, ligno suspenditur insons,
Et ligni uacuatur onus. sic uulnus iniqui
Fit medicina dei. pauidis resplenduit umbris
Pallida regna petens, propria quem luce choruscum
Non potuit fuscare chaos, fugere dolores,
Infernus tunc esse timet. nullumq; coërcens
In se pœna redit, noua tortor ad ocia languet,
Tartara mœsta gemunt, quia uincula cuncta quiescunt.
Mors ibi quid faceret, quo uitæ portitor ibat.
Hunc deus oĩpotens, cui nunquam terminus instat,

Post sacra busta leuat, radiantem in corpore Iesum
Vidimus, & proprijs reducem conspeximus astris.
Sed fugite ò miseri, & funesta piacula gentis,
Cui, ueniente deo ueteres auertere noxas,
Addita sacrilegæ creuerunt uulnera culpæ.
Cui natos Iudæa tuos per uota cruoris
Parricida trahis? quid Christi sanguine fuso
Hos tecum damnata premis? necdumq; creatos
Festinas proferre reos? homicidaq; lingua
Naturæ percussit iter, cui serior ortus
Quàm facinus, discrimen alit, scelerumq; propago
De natale perit. quæ saucia uoce parentum
In lucem punita uenit. si soluere cura est
Fœcundi crementa mali, fœlicibus undis
Extinctum reparate genus, spes una remitti,
Debita supplicij, post crimina uelle renasci.
Multiplicat iam pastor oues, tria milia uulgi
Non minus illa dies in flumine diluit agni.
Hic primum post iussa dei baptismatis usus
Exoritur, data iura probans, nam trina potestas
Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum.
Perfectum est quod mille sonat, sic deniq; sæclis
Ponimus ætates, cum tempora dicimus orbis.
Res perfecta semel ter iungitur, & facit agmen
Mystica uis numeri gregis est pia forma nouelli.

DE EO VBI ERANT IL-lis omnia communia.

CAP.

CAPVT V.

FVnditur interea per cunctos gratia sensus,
Diuitiasq; metit locuples in amore uoluntas.
Vtq; pij coeant in fœdera pignore certo,
Res laxant, & corda ligant sine limite census
Affectu consorte licet, noua iura beatis
Munifica fluxere manu, quibus ubere læto
Diuisæ geminantur opes, & crescit in omnes
Quod faciunt commune sibi. totumq; capessunt,
Qui proprium nil esse uolunt, quo fonte cucurrit
Hæc probitas, quæ ue, illa fuit bonitatis origo
Hinc canere incipiam. Sacris bis spiritus almus
Discipulis concessus erat, spiratus in illos
A Christo surgente semel, post missus ab astris
Nescia uerba uiris facundus detulit ignis.
Ne quid inexpertum studio meditemur inani,
Spiritus alme ueni. sine te non diceris unquam,
Munera da linguæ, qui das in munere linguas.
Hæc iterata reor, confirmant præmia iustos,
Vt duo iussa colant, tabulis conscripta duabus.
Dilige mente deum feruenti, plenus amore,
Rursus ait, charus tibi sit quoq; proximus, ut tu.
Hoc pactum ius omne tenet, quod spiritus almus
Bis ueniens per corda creat, semel hūc dedit auctor
In terris ut ametur homo, post misit ab astris
Vt flagrent humana deum: dilectio prima est
Quæ dominum uehementer amat, cui deinde secunda
Quæ sociat mortale genus, tamen incipit ante

Poste

Posterior numero, sequitur comitata secundam
Quæ prior est, sic forma docet, nisi diligis inquit
Cernere quem potis es fratrem. quem cernere non est
Nescis amare deum, concordia nexa calescat.
Ergo pari dominum uotoq; in pectora condat
Fratris amor, geminæ sibi sit substantia caussæ.

DE CLAVDO A SANCTO Petro ad portam speciosam curato.

CAPVT VI.

CLaudus erat, cui prima dies exordia uitæ
Membrorũ cum strage dedit, languore coæuo
Octo lustra gerens. ad quẽ comitante Ioanne
Respice Petrus ait, uetum spes lusit auarum,
Cumq; negat, meliora parat. quã sæpe grauatos
Desperata iuuant, & semine nata sinistro
Prosperitas, cælans mœstis confinia læta
Principijs, ad uota uenit. gaudebat egenus
Plus uacua meruisse manu, qui munera poscens
Est datus ipse sibi. Nulla hic mihi uena metalli
Respondit quæ fundat opes, ego ditior ægro
Pauper ero. progressus abi. de uoce iubentis
Exilijt medicina potens, atq; hospite gressu
Conuixere pedes, cunabula longa relinquens
Calcauit ueteranus humum. plantisq; nouellis
Materies se prisca mouet, cui præpete cursu
Protulit incessus, quicquid non addidit ortus.

Stat

Stat facti manifesta fides. Sed & altera nobis
Res aperit quod caussa gerit. Gens nomen ab illo
Israël dicta tenet, qui bella reliquerat æger
Conatus certare deo: tulit ipse figuram
Corporis ante grauem: quam post in uulnere matris
Israël claudus habet, qui per sua crimina labens
Corde magis q̃ carne fluit, spatijsq; sub ipsis
Quadraginta annos Ægypti fine remotus
Claudicat: Ægyptum cupiens atq; idola quærens.
Ponitur ad portam speciosam debilis: ultra
Non ualet ire miser, nec limina tangere portæ
Culpa negauit iter: nam sunt qui pectore claudum
Israël ferre solent: portæq; adiungere certant,
Quæ speciosa suo prodit de nomine Iesum.
Isaias, Daniel, similes uno ore prophetæ
Obscuris manifesta canunt miracula Christi,
Et portæ qui nomen habet, sic admonet ipse.
Porta ego sum uobis, qui per me intrare recusat,
Fur erit ille nocens: possunt portare prophetæ
Ad portam: cernenda magis q̃ uisa loquentes,
In templum non ferre queunt: hæc ianua Petro
Credita, qui Christum confessus cognita monstrat,
Non uentura sonat. uetus ô sine fine iacebis
Ni Petrum iam claude roges, qui noxia pellens
Auri uitat onus, rerum cui censuit auctor
Nec peram gestare sibi: pete dona salutis.
Non fragiles secteris opes, quas spernere debet
Cum domino qui diues erit. post limina templi

Porti-

Porticus hunc Salomonis habet, qui iure uocatur
Pacificus. regnante fide, quis ſemper in orbe
Pacificus niſi Chriſtus erit: hic protegit omnem
Qui Petro ductore placet. quo præſule ſurgit.

DE INTERMINATIONE Iudęorum, qui beato Petro reſpõdente, ſunt contempti. CAP. VII.

AGmine iam niueo per millia quinq; uirorum
Eccleſiæ creſcebat apex. arcere laborat
Hunc Iudæa coli, cuius de munere fluxit
Quod uirtus operata dedit. ſed linquere Chriſtum
Petri neſcit amor: Non hunc reticebimus, inquit,
Quo remeat præſtante ſalus, qui iure creantis
Infectum ſuppleuit opus, ſolidumq; decorem
Pars reparat quā iuſſa nouāt. hic mēbra redemptor
Saucia reſtituit, qui mortua ſurgere fecit.
Fert animus patrare nefas, ſanctisq; uerendis
Sacrilegas inferre neces. O ſemper iniqui,
Dona uident & bella mouent, ſed cœpta relinquunt,
Ne uiolent quos turba fouet, quibus indice claudo
Teſtis erat meriti, cumq; hoc ſua corda leuabant.
Nam non parua dedit populo miracula greſſus,
Quem rudis atq; ſenex nullis iam legibus æui
Vernula ſumpſit humi, cum quo ſtupet ipſa moueri
Quæ iacuit natura diu, firmataq; nuper
Inceſſu properata nouo ueſtigia ſignat,

Quæ fuerant aliena sibi, tamen improba proles
Sæuit adhuc, fariq; uetat, quod gaudia clamant.
Quid toties Iudæa cadis? surrectio Christi
Vt furto cæletur emis, sed inania demens
A somno documenta petis, liuore caduco.
Quæ sentis uirtute geri, uis fraude negari.
Infernum dominus cum destructurus adiret,
Detulit inde suam spoliato funere carnem.
Victor ab arce crucis radiantia signa ministrat,
Sol ruit in tenebras, tu pectore nigra rebellas.
Arua tremunt concussa locis, tu fixior hæres.
Saxa crepant, tu dura manes. iam scißio ueli,
Quæ latuere diu, nudauit mystica templi.
Lux tua nos adijt: tecum nox sola remansit,
Mors sine fine premit, cui nunquam uita resurgit.
Planta uetus sociare nouis & condere libris
Ne pereas uiduata cibis, sine munere quorum
Arida ficus eris, nullo quoq; tempore fructum
Ad Christi uis ferre manum, neq; cernere quantum
Floruit insertus faciens oleaster oliuas,
Plenaq; per gentes de spinis pullulat uua.
Imminet exhaustis radicibus ira securis,
Vt succisa ruas, ni iam translata uirescas.

DE EO VBI OMNES apostoli gratias deo retulerunt.

CAPVT VIII.

Post

Postquam mira salus in corpore nata uetusto
Discipulis audita liquet, gentisq; superbæ
Cognouere minas, celebrãt bis uocibus hymnũ.
Tu qui cuncta deus proprijs animata figuris
Artifici sermone facis, quiq; ædita cernens
Ante uides, rerumq; creans per nomina formas,
Cum fierent uox semen erat, nec distulit ortus
Imperium natura sequens, mox spiritus oris
Æthera curuauit, sola nexuit, æquora fudit,
Materiamq; operis sola est largita uoluntas.
Ne deforme iugum similis portaret imago,
Tegmine serutli latuit regnator olympi,
Vt sua gentiles implerent cœpta furores.
Quis dolus Herodis, cum tristia bella moueret
Infantum mandata neci, quos ubere raptos
Vulnera suscipiunt, paruis errantia membris
Vix habitura locum. sæuoq; iubente tyranno
Nasci pœna fuit, cuius tulit impetus æuum
Quem nesciuit agi, qui perdidit. O noua mortis
Conditio, solo uitam pro fine subire.
Et cum prima dies atq; ultima sit simul una,
Posse magis q̃ scire mori. quis lumine sicco
Aut gemitu cessante queat memorare Pilati,
Quod deflent elementa, nefas? quo iudice Christus
Subdere pro mundi uoluit sua membra periclis.
Vt carnale malum caro solueret, & ferus hostis,
Cuius ab ingenio fluxerunt tela ueneni,
Perderet antiqui lachrymosa piacula belli,

Materia ſuperante pari, ne criminis ultra
Per ſobolem prodiret onus. damnatio iuſti
Libertas eſt facta reis, da ſemina uerbi
Per tua dona coli, ſignisq; noualibus uſa
Colligat iſta manus te fructificante maniplos,
De quibus ipſe tui componas horrea cœli,
Triticeamq; fidem lolio pereunte corones.
Qua ſancti fulſere pedes, concurrere uiſa eſt
Pondere terra graui, moxq; almus ſpiritus illis
Splenduit, & linguis facundia creuit abortis.
Auditæ ualuere preces, humana propago
Materies terrena ſumus, limumq; parentem
Nomine prodit homo: ius flexit, & impulit arua
Vocis apoſtolicæ, quæ de tellure creatos
Fecit habere fidem, ſed quod magis exilit unus
Concutiturq; locus, cecinit ſcriptura decoros
Pacem ferre pedes. horum ſub greßibus ergo
Læta mouetur humus, quibus eſt ſermone magiſtri
Pax commiſſa pij. quæ deportata per illos
Exijt in cunctas ueloci munere terras.

DE EO VBI ERANT CREdentibus cor & anima vna.

CAP. IX.

ECce tot egregijs unum cor eſſe cateruis
Incipit, atque animam populus nanciſcitur unam.
Quis dubitare queat myſteria dogmatis, unum

Perſo-

Personas tres esse deum? cum milia uulgi
Conueniant sub mente pari, numeriq; frequentis
Sint animi uelut unus homo. quam turba perennem
Portatura crucem, dominumq; sequuta fidelem
Spreuit agros, habitura polos. hæc nempe facultas
Fortior est de parte magis conquirere totum,
Atq; caducorum pensare manentia caussis,
Et quæstum per damna sequi. Non prodige rerum
Venditor ista facis, sed qui tua iura tenere
Ambitiose cupis, paruoq; in tempore linquis
Quod semper uis esse tuum. Sic spargere rura,
Nolle carere fuit. quid enim substantia prodest,
Quæ seruata perit? quam syderis arce locatam
Commodius qui cedit habet, pete creditor inde
Vsuræ maioris opem, gazasq; reconde,
Quæ nequeant aduersa pati. non deterit ullus
Perpetuas ibi casus opes, sine fine tenebis
Quæ dominum debere facis. Nunc aspice partes
Lector docte pias, & tecum mente sagaci
Volue quid esse putes, rutili quoq; pompa metalli
Ponitur ante pedes, non sacris dedita dextris
Restitui debere probant, quod tangere uitant,
Calcandumq; docent, quod subdunt gressibus aurum
De quo terrenæ ueniunt ad pectora curæ,
Consimili iactatur humo. Quo sistat auara
Mens tua disce loco. quod tu custodis anhelus,
Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes,
Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris,

Horrescunt tractare pij, nec te quoq; gestant
Cum bona facta parant. quantum speculatur in illo
Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.

DE ANANIA ET SAPHIRA CAPVT X.

Cecidit infœlix Ananias uulnere culpæ
Fur census sub fraude sui. cadit impia cõiunx
Supplicio percussa pari, quia crimine ab uno
Fit commune nefas. quoties scelus ante peractum
Consensus facit esse suum, non mentis auaræ
Vindex illa fuit sententia. deniq; quando
Auri ceßat amor, qui pectora semper adurit,
Quo capitur mortale genus, qua pullulat omne
De radice malum, cuius uiolentiaq; ardet
Ambitio crescente modo, stimulantq; rapinis
Addita lucra famem, sed quod mutata uoluntas
Falsi crimen habet, cumq; est iam cautio uoti,
Stare decet, nec uelle prius, uiolare sequenti.
Ius proprium retinere magis q̃ demere fas est.
Omnibus exemplum sanxit uindicta duorum,
Ne quis dona uocet, quæ sponsio debita poscit.
Respice uera fides, ac dogmata clara beati
Verba require Petri. Quisnam te fallere suasit,
Conclusitq; probans? homines haud talia fando
Deludis, mentire deo, qui damnat iniquos:
Ædificat doctrina pios, quod spiritus almus
Sit deus, ex multis plena est instructio libris.

Et ta

Et tamen hinc capit arma fides, quò tendimus ulti.
Quis dubitet quod Petrus ait? qui iure uenitis
Ad latices, hoc ſtate loco, ſatis hoſtibus obſtat
Eccleſiæ quod forma ſonat, diuiſor amare
Iudicium de fine time, qui criminis auctor
Erroris q; tui eſt, fuſo ruit Arrius aluo
Infœlix, plus mente cadens, lœtumq; peremptus
Cum Iuda commune tulit: qui gutture pendens
Viſceribus uacuatus obit. nec pœna ſequeſtrat,
Quos par culpa ligat, qui maieſtatis honori
Vulnus ab ore parant, hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de uoce rei, deus arbiter orbis
Perſonis tribus eſt, in quo ſimul una poteſtas
Abſtulit his ſpecies operum bonitate creatas.
Qui fabricatoris non inſpexere decorem,
Errantesq; putant qui fecerit omnia factum.

DE EO VBI VMBRA CORporis beati Petri ſanabantur infirmi. CAPVT XI.

FAma ciet populos ad myſtica ſigna ſalutis
E cunctis properare locis, & peſtibus ægros,
In lectis deferre ſolo, quos orbis in illa
Parte locant, qua ſacra tenet ueſtigia Petrus.
O mihi ſi curſus facundior ora moueret,
Centenosq; daret uox ferrea, lingua diſerta
Hac in laude ſonos, quantum ſpecioſior eſſet
Ambitus eloquij, uarijs aperire figuris

Singula, nec modicis includere grandia uerbis,
Quæ fuerit rerum facies, cum tempore paruo
Morborum cecidere greges, & fluxit ad omnes
Improuisa salus, quam corpore fusa sereno
Luminis umbra creat. dubiaq; à morte remoti
Erexere caput: sed non deprendere uisu
Auctorem potuere boni, quibus ardua uirtus
Occultat quam præstat opem, resq; ante paratur
Quàm spes ulla foret, furtiuaq; præmia uitæ
Dat medicina latens, & anheli corporis æstus
Ignaro languente rapit. quam nescit adesse
Qui uenisse probat, crescitq; potentia facti
Agnitione carens, cuius splendoris imago
Omnia peruolitans, tactuq; nocentia mundans
Stat donis, fugitiua oculis: & munere plenos
Linquit ubiq; thoros, hostesq; à sensibus atros
Proijcit, ac nebulis larualibus exuit artus.

I citus, & curas hominum de calle frequentans
Excute Petre gradus, tecum medicina salutis
Ambulat, adde uiam, spes est ad gaudia uelox,
In pedibus non esse moram, tua semita uita est
Si properas iam nemo iacet: tu motibus umbræ
Corpora cuncta leuas, atq; hoc simul inscia uoti
Sumit turba iacens, quod cum rogat accipit unus.
Omnibus ergo salus uno poscente uenibat.
Quærite quos agitat tanti reuerentia facti,
Quid typicum res ista ferat, librisq; uolutis,
Noscite quod soli cessa est hæc gloria Petro.

Quæ

Quæue sub hac specie latitant documenta uidete?
Quæ tentabo loquens, & si datur ista facultas,
Aridus ut magnas impellat riuulus undas.
Rursus ab antiquis ueniunt miracula caussis,
Firmior in cunctis capitur substantia rerum
Corpore sensa suo, sequitur quam corpore certo
Funditur, & solidam non terminat umbra figuram.
Sed tamen ipsa sibi præcedere corpora signat
Ecclesiam terris colimus, quam prodere nulli
Æthereram dubitare licet: sed uerior illa est
Quæ super astra manens, cœlestis & alta uocatur:
Hæc intrans cursu dubij quæ cernitur orbis
Ad uitæ datur esse uiam, spatioq; sub isto
Destinat æterne quos colligit, atq; probatis
Hinc iter est excelsa sequi, regit agmen utrunq;
Petrus. & hinc sorti dat sydera turmis,
Vt patuit per uerba dei, quod solueris, inquit,
Quodq; ligas terris, sic uinctum siue solutum
Æthere perdurat. culta hæc quam cernimus aruis
Ergo figura foret, firma est quam nubila gestant
Petrus utranq; regens. ibi corpus et hic parat umbrã
Et quos hic uitijs noxisq; resolueret ægros
Innocui ducuntur ei, quæ permanet astris,
Susceptura pias hac emundante cateruas.

DE EO VBI IN TEMPLO apostoli, qui in carcerem missi erant, sunt reperti.

CAPVT XII.

INterea templi zelo mordente priores
Ecclesiam creuisse dolent; animæq; colonos
Ne spargant quod corda metãt in sede relegant
Carceris, ut desint nascenti sarcula messi.
Angelus adueniens tenebrosa uolumina noctis
Reppulit, & subito micuerunt astra sereno,
Erumpensq; dies alieno tempore sanctos
Ad templum facit ire uiros. sed cardine fixo
Irrita signato custodia permanet antro.
Stansq; suis foribus uallante crepidine carcer
Clausus apostolicis uestigia pandit aperta
Gressibus & uigiles illudit ianua fallax.
O nunquam neglecta fides, cui subiacet illud
Quod natura negat, proprijs quam legibus uti
Non sinit omnipotens, quoties iubet esse uicissim
Posse, quod insolitum fieri mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat. quia tunc penetrata recepit
Ianua clausa deum: mirum est si corpore portam
Sic adeat quem uirgo parit, quem uiscera matris
Integra concipiunt? humanam quem rogo carnem
Sumere caussa fuit, nisi suscitet? inde reuersus
Exhibuit proteste latus, nostriq; fauillas
Corporis exemplo proprij docet esse nouandas
Vulneribus sua membra probãs, modo Didyme discis
Quàm fuerit dubitasse nefas, an fecerit auctor
Quod uobis licuisse uides, si uoluere sensu

Cura subit quod Christus ait, non indiga uocis
Est species, cur has sancti liquere tenebras.
Dixit opima parans hos luminis esse ministros,
Et candelabri positas uelut arce lucernas
In tota fulgere domo. nox illa retentet
Quos lumen lux ipsa uocat, qui dona ferentem
Et testem meruere deum. qua lege cauernis
Occuleret locus ille suis, tot in ordine soles.
De quibus, ut tenebras pulsis erroribus orbis
Vinceret, æternam meruit cognoscere lucem.

DE EO VBI AB APOSTOLIS septem diaconi ordinati sunt.

CAP. XIII.

CVra ministerij sacris altaribus apti
In septē statuere uiris, quos undiq; lectos
Leuitas uocitare placet, quā splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, qui pocula uitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.
Hoc numero delatus honor sublimia secum
Sacramenta gerit. per quem nunc longius ire
Non patitur mensura uiæ, ne plura loquutus
Inueniar dixisse minus. si cura ministris
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc decet, hinc lucere chorū, quem mysticus ordo
Consecrat in numero, cui dant cœlestia formam.
Promissum seruabo modum, uenerabilis orbi
Cœtus ait, uerbi potius nos conuenit omnes

Quàm

Quàm mensæ captare cibos. O gloria diues
Oris apostolici, nunquam permittere plebem
Virtutum sentire famem: dispersa talenti
Crescere summa solet: commissa pecunia linguæ
Displicuit cum sola fuit, locus indicat iste
Quod meliora rudi populo sint fercula mentis,
Quàm fusæ per membra dapes, lateq; peritum
Nutriat ingenium uerbi pinguedo superni.
Nam quid corporeæ prosunt alimenta saginæ,
Esuriente anima? cuius ieiunia pasci
Semper ab ore decet, mensam ut tendamus ad illam
Vberibus uerbis ad quam conuiua recumbit
Qui uestis candore nitet: ne fulcra beata
Deserat abstractus, quibus & deformis ad illam
Eloquio sordente uenit, nam fecerat esca salutem.
Progrediens de pane poli. gula pectoris ipsum
Ambiat, atq; animi pleno gustare palato
Interior festinet homo, ne uilior esset
Caussa relicta tamen: claris tractanda ministris
Creditur, & numerum tenuit pretiosa supernum.

DE PASSIONE SANCTI STEphani prothomartyris.

CAPVT XIIII.

EMicat hinc Stephanus, primus qui in agone coronam
Hæres huius habet, de quo prænuntia palmæ
Vox cecinit, quod caussa dedit, fere præmia martyr,

Fœlia

Fœlices habitura neces, ubi gloria pœna,
Et cadere est ortus, iugulisq; parantibus æuum
Nascitur æternæ complectens munera uitæ.
Vitæ principium fuit en sine fine beatæ
Sic meruisse mori: lapides Iudæa rebellis
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea semper eris: hunc deniq; Christus adoptat
Ad quem miles ouans, per uulnera sacra uocatus
Sanguine fecit iter, cupiens in præmia uictor
Hac properare uia, niuei & metitus honorem
Callis, ad excelsi pergit fastigia regis.
Et per tot lapides petræ coniungitur uni.
Quis furor iste nouus, nulli feritate secundus,
Parcere nulli impio? uibrantibus acta lacertis
Saxa iacis, parat ille preces, nec respicit unde
Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amice
Pro populo peccante rogat. licet omnia tecum
Tela feras, silicesq; graues, & pondera libres.
Quem perimis uicturus erit, qui sine colono
Seminat exemplum quo surgat uinea Christi,
Et calicem domini conuiuia festa coronent.
Lumina cordis habens, cœlos conspexit apertos.
Ne lateat quid Christus agat, pro martyre surgit.
Quem tunc stare uidet, confessio nostra sedentem
Cum soleat celebrare magis, caro iuncta tonanti
In Stephano fauet ipsa sibi. dux præscius armat
Quos ad dona uocat, ne quis hic dimicet anceps.
Corpus in arce dei patuit, pro munere testi

Ad Sau

Ad Sauli posuere pedes uelamina sæui.
Infernum quod Hebræus ait, iam constat utrisq;
Hinc meritum sentire suum, cum sydera martyr,
Carnifices inferna petunt, sors prima reuelat
Exemplumq; creat. quod talia bella gerenti
Hoc de fonte manat, sic occidentibus ut mox
Tartara succedant, morientibus astra patescunt

DE EO VBI SYMON PECVniam offerens, Petro increpante, confusus est.

CAPVT XV.

SÆpe sibi socium Petrus facit esse Ioannem
Ecclesiæ quia uirgo placet. quo deniq; iuncto
Samariæ uicina petens, baptismatis undis
Ablutas signauit oues, quibus affuit almus
Spiritus, & uarias fecit procedere linguas.
Hic fuerat Symon ille magus, quem prodidit orbi
Fonte quidem lotus, sed non in pectore mundus,
Pœna sequens nescisse fidem, contractibus auri
Munera uult æquare dei, nummisq; referre
Quod pretio mercator emat. Quem talia Petrus
Attentare uidens, Quisnam te perdite, dixit,
Mouit ad ista furor, domini quod gratia donat,
Vt uenale putes? sensu hoc non sumitur auro.
Nec licet ut cœlum corrupta pecunia quærat,
Quam terræ scrutator amat. tibi nulla profecto
Hac super est in sorte quies, nec ad ista uenire

Tu pollute potes dolis, qui cordis amari
Felle tumens, aliena petis. nanq; atria mentis
Spiritus illa subit, quæ simplicitate nitescunt.
Hac de uoce sacræ lux est manifesta figuræ.
Ecclesiæ speciem præstabat machina quondam
Temporibus constructa Noë, quæ sola recepit
Omne genus, clausisq; ferens baptismatis instar.
Cum uaga lætales pateretur turba procellas,
Ad uitam conuertit aquas, simul ipsa columbam
Diluit & coruum. sed non concordia mentis
Fecit utrosq; pares, hunc guttura plena rapinæ
Subduxere uiæ. cupiensq; in funere pasci,
Nil potuit uitale sequi, redit ales amica
Frugibus, & nullis succumbit naufraga lymphis.
Nutrici de morte timens, studioq; laboris
Dat documenta pij, quanto teneatur amore
Plus operi deuota fides: rostriq; modesti
Pignus oliua fuit, dilectio semper in ore
Fructum pacis habet. uolitant in fluctibus ambo,
Ex uno sanctoq; sinu seruantis in aluo
Purgati uallante freto, tamen exulat unus
Et reditu cessante perit. non ergo saluti
Sufficit unda lauans, nisi sit sine felle columba.
Qui generatur aquis, Symon hic baptismatis undam
Contigerat, sed coruus erat, sua lucra requirens
Quæ nunquam meruere deum, qui limine templi
Vendentes arcere solet. meliora sequamur
Petrus ad ista uocat, qui filius esse columbæ

Dicitur ore dei, meritoq; hac matre creatus,
Ecclesiæ sublimat opus, de munere prolis
Nomen habet genitrix, quod spiritus eligit almus,
A litis innocuæ dignatus imagine cerni.

DE PHILIPPO ET Eunucho.

CAPVT XVI.

ANgelus alloquitur plenum uirtute Philippũ
Australem celerare uiam qua spado iugatis
Æthiopum pergebat equis. qui sydus in aula
Reginæ seruabat opes, uolat axe citato
Gaudia fixa petens, curruq; merebitur ipso
Errorum iactare rotas. O quanta bonorum
Semina percipies, qui tam pretiosa lauacri
Sumere dona uenis, steriliq; in corpore condis
Quod fructu meliore metas impone Philippum
Oris cor quod Hebræus ait, qui mentis honorem
Nomine teste probat: iuuat hunc audire magistrum
Discipuli quæ iure docet, dabit ipse prophetæ
De quo uerba sonent, cum qui omnia fecerit olim.
Qua fuerit nunc parte satus, si credulus audis,
Et tibi nascetur: tuq; inde renasceris illi.
Conspectis properanter aquis ardescere cœpit
Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus,
Deposuit serpentis onus: plaustroq; cucurrit
Heliæ meditatus iter, non parua figuræ
Caussa sub obscuræ regionis imagine lucet.

Comprobat omnipotens, tedarum fœdere Mosen
Æthiopam sociasse sibi, quem dogmata produnt
Postea cum domino uicinius ore loquutum.
Quid mirum si legis amor tunc crescere cœpit,
Ecclesiæ quum iuncta fuit? quod sponsa perennis
Hac ueniat de gente magis, nec cantica cedant
Quæ fuscam pulchrāq; uocāt. hæc pergit ab austro
Æthiopum qui torret humum Salomonis in ore
Pacificum laudare suum, quo nomine dudum
Signatum est quod Christus habet. iam debita mundo
Custodem præmittit opum, quo pignore gazas
Incipiat proferre suas. thesaurus in illa
Quis potior q̃ fontis honor? quod dicitur aurum
Quàm locuples sub corde fides? quā deniq; rectæ
Præuius huic spado est, quo procedente libido
Pellitur, & capiunt cœlestia regna pudicis.

DE SAVLO QVVM PERGE ret Damascum, cæcitate percusso. CAP. XVII.

SAulus acerba fremens cōmittere bella Damasci
Iudaica feritate parat, sed ambitur agnus
Quo properat sæuire lupus. sors læta ruinæ
In qua culpa cadit, didicitq; in corpore lapso
In mentis iam stare gradu cum lumina claudit,
Pectora tunc aperit, cœliq; agnoscitur auctor.
Discedente die quantum meruere tenebræ,
Post oculos maiora uidet. mirabile sæclis

Exemplum dedit alma fides, Anania furorem
Excutit. O noua palma lupum domat ille rapacem
Hebræus quem dixit ouem. clamabitur orbi
Hoc præcone deus, legisq; exutus ab umbra,
Sub qua cæcus erat, terras lucebit in omnes.
Perpetuo de ſole calens, ne deſine Saule
Hunc celebrare diem, multorum lumine plena
Nox datur iſta tibi: tuq; hic tua nubila portas,
Vt mundi purgare queas, nunc plena figuris
Interius documenta ſequar, rectumq; latebris.
Aggrediar proferre iubar, quod tempore Saulus
In tenebris triduana gerit, facit eſſe fidelem
Exempli menſura ſui, tandemq; coactum
Pœna magiſtra docet, Iēſum ne reſpuat ultra.
Poſt triduum ſuperaſſe chaos, cum cœperit ipſe
Sic uiſus reparare ſuos, quod ab orbibus atris
Et ſquamæ cecidere graues. natura quod anguis
Ferre ſolet, ratio uiget, Iudæa uenenum
Semper ab ore uomet, crudelior aſpide ſurda
Perſidiæ coluber ſynagogæ ſibilat antro.
Diſcipulis ſaluator ait: Calcabitis angues,
Purior obſequijs ut ſit cœleſtibus actus.
Vipereum iacit ante nefas, & prælia doctor
Mox meliora gerit. qui cum ſuperaſſet iniquos,
Inſidias meruit portis euadere clauſis.
Sporta ſolens texi iuncis, palmisq; uiciſſim
Tegmina dat Saulo, retinens in honore figuram
Eccleſiæ. nam iuncus aquis, & palma coronæ.

Semo

Semper inest, iuuat ecclesiam baptismatis unda
Martyriiq; cruor. dudum uescente caterua
Nutriti sub dente cibi, distendere septem
Sportarum cœpere sinus, tot in orbe profecto
Ecclesias scriptura canit, quòd spiritus illic
Sic operator adest, & signat nomina uirtus.
Cum tamen ecclesiam celebremus in omnibus unam
Protegit ergo uirum species, cui militat ipse
Vas in uase manens. atq; hac duce tutus ab hoste
Egreditur, cunctis ductor cui uincit in armis.

DE PARALITICO A SANCTO Petro curato in Lydda.
CAPVT XVIII.

PEruigil excubijs commissi Petrus ouilis,
Postquam cuncta uidens, lustrauit in ordine sanctos.
Per Lyddæ tulit arua gradus, ubi mœnibus adstans
Respicit Æneam defunctis uiuere membris.
Atq; anima nodis laxata mole solutis
Non moriente mori, surgens paralitice dixit,
Vectorem compone tuum, nec reddere tardes
Officium portare diu, quo munere uocis
Stringitur in solidum, qui fluxerat antea neruis.
Tunc iterum formatus homo, longiq; cadauer
Temporis extinctos ad uitam surrigit artus,
Seq; leuans uacui linquit monumenta cubilis.
Quod misero pars mortis erat, plebs cuncta p illam

Cœpit ſtare uiam, multisq; ſuperuenit ampla
Vnius languore ſalus, tactoq; liquore
Expulit incluſi ſua mox contagia morbi,
Fonte lauans animas, alieno robore firmas.
Eloquar hic ſacræ quæ ſint arcana figuræ,
Si mihi uerba mouet, cuius uox corpora reddit.
Octo quod annorum languoris proditur ætas
Iure per hoc tempus, membris defecit ademptis,
Antiqua ſub lege iacens. iugulantia quippe
Vulnera ſemper habent, quorum fit ſaucius infans
Octauo ueniente die, ſanauit ab illa
Parte grauem, lacerumq; diu diſcrimine carnis
In liquidis ſolidauit aquis, octauus ut ægrum
Solueret à plagis extincti corporis annus.
Quo munere ueniente die, ſolenne reſurgens
Iam Chriſtus ſacrauit opus. ſtat temporis uſus
Sed uoto meliore redux. hinc uulnera ſerpunt,
Hinc ablata ruunt, ibi ſubdit regula pœnis.
Hic purgat medicina uadis, ſpatioq; priore
Dudum laxa neci ſtringuntur membra ſaluti.
Signatis etiam numero paraliticus annis
Ille iacebat iners. cui proxima mota Siloa
Heu nullas praſtabat aquas, piſcina ligata
Porticibus, Iudæa fuit. nanq; atria quinq;
Ad ſua clauſtra tenet, per quinq; uolumina Moſi
Legis adepta modum, cuius circundata gyro
Debilis æternum uidit ſine munere Ieſum,
In libris ægrota ſuis. hinc eripit unum,

Cui ue

Cui ueniens peccata tulit, quam rite figuram
Mundus ubiq; gerit, quem postquā sabbata soluens
Impulit ad fontem, superauit gratia legem.
Petrus ad ecclesiam reuocat documenta magistri
Cuius in orbe manu paraliticus exilit unus,
Et gradiente fide sua uincula proijcit orbis.

DE TABITHA A SANCTO Petro suscitata.

CAPVT XIX.

TE quoq; laude potēs, cœlestibus inclyta signis
Carminibus Ioppe canimus, qua sede Tabitha
Mansuras fundebat opes, & semper egenis
Munere mater erat. quæ uitæ tempore clauso
Ponitur in medio, lachrymis plus lota feretro
Post funus uictura suum. fiducia Petrum
Euocat, ille gerens diuini pignus amoris,
Vt nunquam pietate uacet, quod uota requirunt
Præstaturus adest. ingentia tecta petenti
Stant inopes uiduiq; greges, & brachia monstrant
Exuuijsq; onerata suis, quas Dorcadis ipsis
Texuerant, dederantq; manus. O qualia feruens
Implorat fomenta dolor, non murmure tristi
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Instrumenta precum, quisq; bona facta merentur.
Officijs uoluere loqui, uocisq; repulsam
Elegere suæ, lateant ne uulnera cordis,
Quæ lachrymis fecere uiam. facunda gementi

 Materia

Materia est dixisse nihil. nonnunquam sonora
Caussa petit, quod lingua tacet. nec cessat ab aure
Clamosa pulsante fide, qua Petrus aditur
Qui mentes audire solet, iubet ocyus omnes
Ire foras, flexoq; genu, fit pronior aruis.
Tunc magis alta petens, oratio fusa tonanti
Mox super astra uolat, proprijs quæ clauibus intrat
Dic ubi sunt mundana tuæ sapientia leges,
Qua uirtute negas in se corrupta reuerti,
Quæ uitam de morte uides? ut munera Petrus
Sensit adesse dei, quibus est reddenda saluti
Quæ defleta iacet, fatur conuersus ad illam:
Surge Tabitha, uocata redit, luciq; reducta
Se stupuit superesse sibi. quam protinus ipse
Prendit, & erectam turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit, qua uita reuertens
Cætera membra leuat, corpusq; itura per omne.
Huic subijt quæ caussa fuit, si iure mouemur,
Instaurata dies, animæ patet apta figuris,
Quam nimis antiqui depresserat umbra pericli.
Ad uocem conuersa Petri, caput ante grauatum
Legis in obscuræ gremio, uelut altera surgens
Ecclesia præsente leuat, tenebrasq; repellit
Lux operum comitata fidem, quæ legis ab ore
Non fuerat promissa salus. quia fonte renatis
Gratia perpetuæ cœpit dare munera uitæ.

DE

DE CORNELIO AB angelo visitato.

CAPVT XX.

Cæsarea uenerandus erat Cornelius urbe
Gentili de stirpe satus, quē dedita caussis
Vita pijs sacrauit aquis, cœpitq; gerendo
Credere, qui gessit quicquid baptismate lotis
Consueuit præstare fides. nam missus ab astris
Angelus hunc adiens, summi conspectibus inquit
Stant domini, quas spargis opes, quæ uerba precaris
Præmia ne desint uirtutibus, accipe certam
Huc Petro ueniente uiam. sic uoce choruscans
Nuntius, æternis fixit mandata lauacris.
Noua fuit tunc hora, magis qua rectius ora
Prodiret iam trina fides, quod tertia simplex
Hoc iterum ter trina docet, sacramq; figuram
Singula ter faciunt, & ter triplicata fatentur.
Hæc est noua potens, oculos quæ reddidit orbi
Post tenebras remeante die, cum protulit ortum
De radijs lux nata crucis, cunctosq; repleuit
Hoc sine fine iubar. nam mundum constat onustum
Gentibus esse locum, quibus in baptismate lotis
Plena ue purgato fulserunt lumina mundo.
Hanc solet ille sequi denarius, omnia donans
Quem præcepta decem seruantibus arbiter offert.
Nec sunt ut tardos præcedant ære priores
Temporis huius opem, quam sacri fontis adiuit
Præuius. O utinam nostræ petat actio uitæ

Mortalisq; sibi studium proponat origo,
Vt credentis amor rerum speculetur honorem,
Et ferat exemplum meritis, qui præbuit undis:
Iamq; capax fidei Cornelius, indice uoto
Ad Petrum tres ire iubet, confessio trina
Sic ueniet generantis aquæ. numerumq; per ipsum
Europæ atq; Asiæ, Libyæq; tenebitur orbis.

DE VISIONE PETRI QVVM ei de cœlo plenum vas ostensum est.

CAPVT XXI.

ARdua progreditur cœnacula Petrus adire,
Iam medio torrente die, locus instruit altus
Despiciensq; solum, Petrũ cœlestia semper
Non terrena sequi. sextæ quoq; circulus horæ
Detegit ætatem, qua Christus uenit in orbem
Largiri saluantis opem, numerusq; dierum
Prætulit exemplum, quo condidit antea mundum.
Quem uetat hac ipsa ueniens ætate redemptor
Peccati ditione premi. sic deniq; sexta
Fertur & illa geri, fessus de calle magister
Cum putei super ora sedens, per uasa puellæ
Pocula quærit aquæ, requiem facturus ubiq;
Ecclesiæ de fonte suæ. qua Petrus in hora
Esurit, ille sitit. pius ad sua dona magister
Addere semper amans, cui nominis auxit honorem,
Dat pariter nutrire fidem. lætabitur orbis

Hac saturante fame, quæ munere pinguior omni
Deliciosa fluit, nullumq; relinquit inanem,
Perpetuas latura dapes. qui soluere nosti,
Excute Petre meæ retinacula tarda loquelæ,
Deq; tuis epulis exhaustæ porrige linguæ.
Clauiger æthereus cœlum conspexit apertum
Visus honore suo. demittitur inde figura
Vasis, ut in terris sit uisio corpore Petri
Omnia posse capi, qui quicquid sumit edendum,
Ecclesiæ facit esse cibum. præfertur imago
Quattuor ordinibus, se submittentibus una
Forma est ecclesiæ, quæ quattuor eminet orbis
Partibus, & laxat totidem præconibus ora.
Omne genus retinens uolucrũ, pecudumq; ferarum,
Reptiliumq; simul, mortalibus ista cohærent
Ex meritis, uicijsq; suis. patet ergo quod auctor
Iussit in ecclesiæ transfundi uiscera gentes.
Macta & manduca dñs præcipit, abstrahe quod sunt
Et tibi fac similes, qui uertitur alter habetur.
Deniq; Saulus obit, quia Paulus uiuere cœpit.
Absit Petrus ait, quanta est reuerentia sancto
Legis, & esuriens oblatas respuit escas.
Ter sonuit domini uox quæ dictata saluti est.
Hoc genitor, natusq; simul, sanctusq; peregit
Spiritus. huic fidei pugnax cadit Arrius, unum
Personas tres esse negans. Sabellius unum
Sed patrem confessus ait, qui deinde uicissim
Filius, & sanctus dicatur spiritus idem.

Sed totum ſit ut ipſe pater, quodq; ordine trina
Continet unus apex, hic diuidit, ille relinquit
Victus uterq; iacet. nam iuſſio trina mouentis
Perſonis numerum, uirtutibus indicat unum
Quo uocat imperio gentes hoc credere fas eſt.
Si uolumus complere fidem, facis omnia Chriſte
Sanguine munda tuo, lateris qui fluxit ab ictu
Diſcretæ coniunctus aquæ, maculoſus oberrat
Anguis, & extinctum lymphis gemat eſſe uenenum.

DE EO VBI PETRVS CORnelium baptizauit cum ſuis. CAPVT XXII.

Comperit accitus quam ſit ſua uiſio Petrus,
De merito q nomen habet. nã Petrus Hebræo
Agnoſcẽs ſermone ſonat. pro munere Chriſtꝰ
Sic uocitare dedit, quo cognoſcente pateſcit.
Deſcendit uiſurus eos, quos miſerat illuc
Qui laticum quæſitor erat: deſcendere Petrus
Dicitur, ad plebem ueniens gentemq; nouellam,
Quæ nec dũ cognorat aquã, pars merſa profecto eſt
Sacro fonte carens. cuius uia ducit euntes
Ad patriæ melioris opem, qua pergere ceſſans
Non intrat quo uita uocat. comitantibus iiſdem
Cornelij properat cœleſtia regna daturus
Sanctificare domum, genibus quæ poplite flexo
Non ſinit aduolui, gratis dare munera ſuetus
Arcet honoris opus. caput hinc nouus erigit orbis

Qui

Qui percussus eras antiqui dente parentis.
Natalemq; tibi fons reddidit, ædite rursus
Ne preme colla tuis alienis libera culpis.
Vt primum fari sublimia dogmata Petrus
Cœpit, & æterni mysteria pandere Christi,
Magnanimes stupuere uiri, uocemq; sequentes
Inuenere uiam. quid non credentibus offert
Indubitata fides? cui nunquam munera tardant,
Nec faciunt diuina moram. mox spiritus almus
Indulgens uarias opulento munere linguas,
Compleuit sine more domum. baptisma frequentat
Petrus, ut ablutos flammis, purgaret in undis.
Exemplo caret iste locus, quo spiritus almus
Præuenit, quas sanxit aquas. uitalia semper
Addere dona solet, solisq; ex fonte renatis
Imposita properare manu. gerit ista uicissim,
Ne quisquam putet esse suum, meritisq; uenire
Quæ uariat qui sponte parat. nam spiritus almus
Nescia mensuræ fert præmia, plusq; ministrans
Quàm sperantis erat, præcedit gratia uotum.

DE EO VBI SANCTVS PEtrus Hierosolymis retulit, cur gentibus prędicasset. Cap. xxiij

PEruenit hinc abiens sublimē Petrus in urbem
Quæ retinet uexilla crucis. plebs cuncta reqrit
Gentibus unde salus, aperit quibus oīa doctor.
Subiungensq; monet nunsquam fas esse negari

Quæ

Quæ ueniunt bonitate dei. sententia uoce
Digna pij monstrare palam custodis amorem
Vt uelit ad cunctos cœlestia regna patere,
Qui tenet has sine fine fores. quid turba querelis
Gaudia nostra teris? non sunt noua munera Petro
Tot uicibus signata prius, cum nominis almi
Huic Christus dat laude frui, quem iura locauit
Ecclesiæ portare suæ. cum littore naues
Prospiciens astare duas, præcepta ministrans
In Petri uult puppe uehi. synagoga profecto
Sicca remansit humi, postquam doctrina magistri
Ecclesiæ dedit alta sequi, stat perfida terris
Iam pelago currente fide. sua quippe figura
Hæsit utriq; rati. Ioseph Iudæa uocabat
Hunc natum, cui Petrus ait, tu Christe probaris
Filius esse dei. pars hæc defigitur aruis,
Quæ cecidit terrena sequens, processit in altum
Quæ creuit diuina loquens, cum pisce sine ullo
In tenebris captura fuit, iam tempore lucis.
Lux quæ Christus adest spoliat uasa falsa draconis
Vt cunctos ad littus agant sacra retia fontis,
Et de cerulei rapiantur fauce profundi.
Nam mare mundus erat, cuius de gurgite Petrus
Humida lina trahens, uerbo piscante carinas
Compleuit maiore sinu. quia turba duobus
E populis uentura foret, gentesq; leuauit
Tunc famulante salo, plenaq; in puppe fatetur.
Ecclesiam cuius placida statione recondet.

Quod

Quod domini sermone capit, qui dixerat ante
Esse alias quas quærat oues. has nempe parabat,
Quas nunc rite uocat. per quas clementia Petri
Congregat æthereis humana peculia septis.
Non deerit sua fama locis, Petrus omnia prendens,
Bethsaida satus urbe fuit. quam nomine Hebræo
Venatorum est dicta domus: quam uerus ad illa
Ecclesiæ uenator adest, qui cuncta peragrans
Cinxit, & ad fidei collegit retia gentes.

DE EO VBI ANGELVS NOcte Petrum soluens a carcere perduxit. CAP. XXIIII

Clauditur obscuro, sed non sine lumine Petrus
Carcere, nec possunt tenebræ caligine furua
Ecclesiæ cælare diem. commune per omnes
Supplicium timor ille facit, custodia Petri
Publica pœna fuit. proprium sed pastor ouile
Seruato custode regit, quem ditat honore
Ter dominum confessus amor, de nomine petræ
Nomen Petrus habens, æterna uocabula porta
Fundamenta gerens nunquam passura ruinam.
Expectate tuis cunctoq; in tempore charus
Et nobis iam Petre ueni simul omnibus exi
Quos stimulat nūc cura prior. iam nocte profunda
Angelus astra ferens, ergastula candidus intrat,
Se comitante die. cœli ueniente ministro
Carceris umbra fugit, pulsæ periere tenebræ:

Luci-

Lucifero radiante nouo color exulat ater,
Et mutata uident nocturna crepuscula solem.
Custodum uallante manu, inter uincula Petro
Corpore somnus erat. sed cum uigilaret in illo
Quæ nescit dormire fides, hoc cantica clamant
Dormio corde uigil. læti documenta figuræ
Discite, qui liquido meruistis fonte renasci.
Æque forma manet sacrato in corpore Petri.
Cernite corde pio, docet hanc uirtutis apertæ
Angelus ipse uiam, tangens latus impulit in qua
Ecclesiæ stat parte caput, qua nuntius ortam
Nouerat, inde leuat. lateri subnexuit arcæ
Ostia sancta Noë, clausus animalibus hinc est
Diluuio uastante salus producitur Eua
Dormitante uiro, lateris generata propago
Nomen habens uitæ, si nunquam culpa fuisset
Sic mansura magis. Christus post mysticus Adam
Dignatus dare membra cruci, atq; in carne perēpta
Morte premi, qua uita redit: noua dona liquoris
Per lateris sacrauit iter. nunc angelus illa
Petrum parte uocat, mens credat ut omnis in ipso
Ecclesiæ constare decus, teneatq; superno
Assertore fidem, quo calciamenta mouente
Hi meruere pedes, tetigit quos dextra magistri.
Quæ totum mundauit aquis, gradientibus illis
Conclusæ cessere fores. putat omnia somno
Ludificante geri, cui præmia uera parauit
Maiestas ignara doli. iam ferrea claustris

Porta patet, rigidi laxant ſua uincula poſtes.
Gentibus abſcidens duræ feritatis acumen
Aſpera cuncta domat, ne ianua fixa uetaret
Orbis iter, quo curſus erit. Dic gloria rerum,
Ferrea quid mirum ſi cedunt oſtia Petro?
Quem deus æthereæ cuſtodem deputat aulæ.
Eccleſiæq; ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare iubet. mox liber ab hoſte
Diuinum celebrauit opus, quem prima puella
A tenebris remeare probat, quia gratia Chriſti
Rem dedit eſſe parem. uiſus adit ipſe reſurgens
Fœmineos, loquitur redeuntis gloria carnis.
Ad ſexum quē mater habet, patet hinc quoq; uatem
Eccleſiam ſenſiſſe ſuum. quæ gaudia portet
In cunctum diffuſa gregem. quis talia fando
Explicet, aut uerbis attollat pondera rerum?
Maximus ille pauor, gelidos qui ſtrinxerat artus,
Lætitiæ menſura fuit. manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & ſyderis obtinet inſtar
Corpore quam Petrus ſacrauit, & angelus ore
His ſolidata fides. his eſt tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus, harum circundata nexu
Libera ſemper eris. quid enim non uincula præſtent
Quæ tetigit qui cuncta poteſt abſoluere? cuius
Hæc inuicta manu, uel religioſa triumpho
Mœnia, non ullo penitus quatientur ab hoſte.
Claudit iter bellis, qui portam pandit in aſtris.

FINIS LIBRI PRIMI.

ARATORIS POETAE CHRISTIANISSIMI IN ACTA APOSTOLICA LIBER SECVNDVS.

DE EO VBI SAVLVS, QVI & Paulus, apud procõsulem Paulum prædicauit in Papho. CAP. XXV.

SPiritus accensam, uerbo radiante, lucernam
Sub modio lucere uetans, Secernite Saulum
Dixit in oris opus. quem mox sacrauit euntem
Imposita Petrus ille manu, cui sermo magistri
Omnia posse dedit, Cyprum Salaminaq; linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, sacrilegæ mansisse libidinis antrum,
Aligerosq; uagos stadio coluisse procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia maior
Ad delicta uenit. culpas huic posse remitti
Exemplum iam Paulus erat. quàm splẽdida dudum
Materia est adiecta uiro, primordia casta
In luxus regione serit, fructusq; pudicos
Multiplicat lasciuus ager. cui nescia post hæc

Diffi-

Difficilisq; foret, cum sic uideatur honestas
De turpi cepisse loco: pars ne qua uacaret
A meritis ieiuna, tamen molitur iniquus
Eloquio certare magus, contraria semper
Virtuti fecere uiam. iaculata retorquens
Ecclesiæ bellator ait: Fallacia monstrat
Quo pereas genitore satus, confinia mortis
In tenebris patiere tuis, neq; cernere solem
Tempus adusq; datur, rerumq; attendere formas
Artificem quibus esse negas. tunc nubila uultum
Ceruicis notis fixere, & pectoris atri
Venit in ora color. quærit iam calle negato
Quo duce tutus eat, cuius pede gressibus instet.
Quis tribuat miseratus opem, uacuasq; per auras
Erroris palpauit iter: proconsule Paulus
Mox didicit lucere fidem, cui caussa uidendi
Nox aliena fuit. non sunt noua Paule salutis
Obsequia, & lucem tenebris bene surgere nosti.
Omnia secretam referant documenta figuram,
Si libeat uigili pulsare latentia sensu.
Iure docens Paulus miracula condere cœpit,
Ex oculis iubar unde sui micat altius oris,
Amisso crescente die. sic nuper iniquum
Subdere dignus erat, tenebrisq; fatentibus hostem
Vincere, qui cæcus meruit sine fine uidere.

DE EO VBI PAVLVS ANtiochiæ in synagoga predicãs, de egressu populi Israel tulit mentionem.

D CAP.

CAPVT XXVI.

ANtiochi dictam de nomine uisitat urbem
Paulus, & extemplo properat dare uerba
cateruis,
Quas synagoga tenet. dextraq; silentia mandans
Nostis ait, patribus tellus Ægyptia nostris
Qua posuit feritate iugum, crudelibus aruis
Quos rapuit per signa deus. quibus omnia cedens
Mutauit natura uices, cum uirga fugauit
Terga maris, fluctusq; suis stetit exul ab oris
Puluereo de calle placens, pontiq; facultas
Obsequio est subiecta pedum, redeunte profundo:
Naufragium factura reis, quæ uertere iussa
Per uarios sua iura modos. his strauit arenas,
His cumulauit aquas iustis uia fontibus unda.
Cum percussa silex uenis spumauit apertis,
Æquoreos enixa lacus de uertice sicco
Flumineum largita uadum. non pristina morem
Geßit origo suum, ueterem nec præbuit usum,
Dona nouella gerens, quam lex æterna coëgit
Non innata sequi, disiunctaq; semina monstrant
Posse dari de rore dapes, de caute liquores.
Namne pauca pijs fluerent miracula caussis,
Saxa uomunt latices, & inundant nubila panes.
Aëriusq; liquor solidis indurauit escis.
Quæq; diu uacuas tenuerunt agmina fauces,
Frugiferis saturantur aquis, nimbiq; coloni
Dant epulas, pluuiamq; uorant, & manditur imber.

Sic in-

Sic inuicta manus, ſic gratia plena creantis
Scit querulos nutrire greges, & ponere ſacros
In patria meliore choros, ut uentris amœni
Fructus ad æternæ floreſcat ſemina uitæ.
Dauidica nam ſtirpe ſatus genitrice Maria
Chriſtus adeſt, quem tota canunt oracula uatum
Venturum ſub carne deum, ſeſeq́; creantem
Virgineos intrare ſinus. euoluite quicquid
Sabbata ueſtra tegunt, typicæ documenta figuræ
Perſpicitis fulgere ſacri præſepibus agni,
Cuius ab igne ſenes hauſerunt dicta prophetæ.
Et dedit ante loqui quod cœpit poſtea naſci.
Clamauit uirtute potens Baptiſta Ioannes:
Non ego ſum, poſt me ueniet, cui tangere non ſum
Calciamenta pedum dignus, neq; ſoluere ſumma
Quæ ligat excelſas humilis corrigia plantas.
Quàm bene uox Pauli cecinit præcepta lauacri,
Permiſcens antiqua nouis, nec epiſtola ceſſat
Hæc iterare docens. patres baptiſmate noſtri
In rubro fulſere freto, ſub nomine Moſi
Per legem, cum petra ſimul ſequeretur euntes.
Nā petra Chriſtus erat. qd adhuc gēs dura requiris?
In libris ſonat ecce tuis, ne credere tardes.
Conſule ſigna maris, quæ myſtica dona ſuſurrant
Temporibus uentura crucis, cum ſanguine Ieſus
Tinxit aquas, laterisq; uno de uulnere fluxit,
Quod uitæ tria dona daret, rubor æquoris ille
Cauſſa futura fuit. ſic conditor abluit omnes.

Sic emit, hic pretij color est in gurgite ponti.
Apparentq; uado miracula debita ligno.

DE EO VBI PAVLVS INFIRMUM pedibus curauit in Lystris. CAP. XXVII.

IAmq; Licaonios incedens paßibus agros,
Lystrā Paulus adit: fuit hac tūc claudus in urbe
Supplicio comitante satus, uestigia ferre
Nescius ex utero, membris pars cœperat ægri
Se nascente mori, comperto dogmate Pauli,
Quo monitore piæ tendunt ad sydera mentes.
Mox uoluit diuina sequi, bene claude iacebas.
Has primum graditure uias, petis æthera mente,
Cum nec dum mouearis humo, pedibusq; negatis
Longius ire uales. Paulus speculatus in uno
Pectore quid caperet, claudiq; fidelis amorem
In uerbo iam stare dei, sic clarius inquit:
Surge citus, rectusq; tuis imponere plantis
Exequitur præcepta salus, & calle nouello
Progreditur persona uetus, motuq; frequenti
Pulsat ubiq; solum, per quæ omnia currere tentās,
Sæpe timet quod nescit iter, modo greßibus ortus
Annoso languore senex. quod ut agmina cernunt,
Exclamant, dominumq; uocant, ac serta ministrant
Et mactanda feri procedit uictima tauri.
Paulus ad hæc tunicam rumpit festinus, aperta
Sic prohibens ratione uiros: Solennia nobis

Cur precor ista datis, fragili quos corpore constat
Terrena sub lege premi? fuit impius olim
Relligionis honor, cum numina fusa metallis
Artifices timuere suis. cum templa dicarent,
Abscisis de rupe deis, tunc forte libebat
Innocuos mactare greges fibrasq; tepentes.
Consuleret, uocem pecudis morientis in extis
Quærere, nunc libeat uanis cessantibus aris
Æterno parere deo, qui semina uitæ
Præbuit, & uarijs prouentibus arua locauit.
Cuius ab imperio plenis consurgit aristis
De grano moriente seges, palmesq; recisus
Vulnere conceptas fœcundius educat uuas.
Quo moderante polum succedunt solibus imbres,
Tempora temporibus. quã cum fugitiua recurrunt
Post sua terga, uagi constantia permanet anni.
Discite iam uerum sacra de uirgine natum,
In terris celebrare deum, nec uota feratis
Lanigero damnosa gregi, quos liberat agnus
Vnicus, ablutum qui sanguine comparat orbem.
His dictis instructa fides, sed corporis usus
In geminum processit opus. duplicemq; figuram
Personat una salus, toto quod in æquore mundi
Ecclesiæ duo sint populi, per uerba duorum,
Cui plenas captura duas facit esse carinas.
Nanq; hæc humano generi collata uicissim
Claudorum docuere pedes, quibus astat imago
Singula quæq; regens, populo communis utriq;!

Quem Petrus antiquis tribuit consurgere plantis
Ad portam uicinus erat. gens uenit ab illo
Circuncisa loco, psalmi, lex atque prophetæ
Qui Christi cecinere diem, quem Paulus ab armis
Erigit, ad templi nunquam consederat ædes,
Longinqua tellure iacens. quia gentibus orsus
Cœpit ab ore pio solidæ uestigia mentis
In turbas proferre rudes, populoq; mederi,
Quem latuit uox prisca dei. sic claudus uterque
Cum properat, genus omne leuat, gentisq; salutem
Personæ signauit item, quæ gloria rerum
Contulit, ut Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentis manet architectus in illis.
Vt tamen auctoris memoremus ad omnia laudes,
Hi duo sunt cæci, properantibus undique turbis
Qui domino dixere simul: Fili optime Dauid
Da tenebras exire graues, da cernere lucem,
Quam nescimus adhuc. subitum tunc illa medelæ
Semper amica manus iubar intulit, atque reliquit
Nox oculos, exulq; dies illuminat orbes,
Expauitq; redux inopina crepuscula uisus.
Hos populos licet esse duos, quos noxia uenæ
Cæcauit natura suæ, clementia Iësu
Tunc celebrauit iter, cum tempora carnis habere
Se uoluit, de luce nouat purgatq; figuram
Quam delicta dabant, moxq; integra fulsit imago
Quæ meruit sentire deum. pars iuncta cerebro
Maxima sunt oculi, creat hos in munere Christus

Qui

Qui caput & rerum splendor est. pars omnibus una
Sunt in fine pedes, hos sanat in aggere cura
Vocis Apostolicæ. quomodo speciosa uocantur
Quæ pacem cunctis portant uestigia terris
Exortum est lumen tenebris per dona magistri.
Hi statuunt greßus quibus est sors tradita uerbi
Vt uigeat medicina sequens bonitate prioris,
Paulatimq; salus in totum transeat orbem.

DE EO VBI ITERVM IN eadem synagoga de paßione & resurrectione domini prædicauit.

CAPVT XXVIII.

SÆpius obscuris radios infundere feruens
Mentib9, hæc rursum memorauit in ordie Paul9
Postquam signa dei carnis uestitus amictu
Christus ubiq; dedit, faciens manifesta quod orbi
Venerit ipse salus, stimulis agitata furoris
Impia turba fremens, petit hunc ab iure Pilati
Suspendi, figiq; cruci. terrena propago
Vota quod optanti non possent omnia ferre
Sponte salutiferi cesserunt munera Christi,
Qui libertatis pretium tibi uenit ab astris,
Perdita restituens, tumulisq; iacentia tollens.
Respice q̄ proprio maneas obnoxia regi,
Ne pereas, uult ipse mori. post tristia facta
Quin etiam custode dato, signare sepulchrum

Ad geminum uoluere nefas, dominoq; paratam
Surgendi damnare uiam. Proh cæca uoluntas,
Quæ putat æternum mortali lege teneri,
Et non posse sibi post funera reddere membra,
Qui toties aliena leuat. meministis ab ore
Dauidicæ resonare lyræ: Corrupta uetabis
Sanctum nosse tuum. poterat ne puluere læti
Ferre moras qui uita manet? quem suscitat auctor,
Nil patiens de morte deus. mors deniq; uicta est,
Vincendi transgressa modum, qua iudice tacto
Linquere iußa reos spolijs uacuata uetustis,
Per sua bella cadit. ueniensq; absoluere uinctos,
Non retinendus erat. sors ultima cœpit auerni
Iam uita præsente mori, quæq; omnia subdens
Ante fuit, tunc ipsa perit. triduoq; peracto
Lucis iter quod fecit adit, quo tota resurgit
In domino natura suo, de lege uidetis
Laxari non posse neces. hunc quærite, cuius
Sanguine mundati regno sociamur herili.
In cuius iam parte sumus, sub pignore carnis
Quam uoluit portare deus. Tunc dogmata quosdam
Ecclesiæ dant ista uiros, uetuere loquelas
Vlterius proferre pias. O semper inanis,
O sterilis Iudæa tibi, quæ semina ultas,
Ne fructus afferre queas. quibus ore magistri
Paulus ait: Vos ista quidem uos nosse deceret.
Ast alijs hoc lumen erit. nam scripta fatentur:
Lumen in extremis posui te gentibus esse.

Gentiles stupuere globi, fontemq; sequuti
Sumere promissæ cupiunt nouitatis honorem,
Et lympha genitrice sati meruere renasci.
Conuenier ratione loci pro munere tanto
Historiæ pulsare fidem. quæ prodidit olim
Cum populos gentesq; duas in uentre Rebecca
Ferret, & angustis includeret agmina muris.
Consuleretq; rogans oranti corde tonantem
Responsum meruisse dei. Prior, inquit, in istis
Inferior breuiorq; manet, maiorq; minori
Seruiet, & iuuenis palmæ potietur honore.
Quicquid in hoc utero fœcunda puerpera gessit,
Ecclesiæ conceptus habet, formamq; sequentem
Gentilis concursus agit, qui crescit in aluo
In qua uictor erit, quod iam meminisse necesse est.
Et studijs celebrare bonis, famulemur ut illi,
Cuius ab effectu nos contigit ante uocari,
Quàm nasci, qui dona priusquam tempora præstat.

DE EO VBI PAVLVS HIEROSOLYMAM PETRO VEL CUNCTIS APOSTOLIS DE CIRCUNCISIONE, QUAM IUDÆI NOUERANT, RETULIT QUÆSTIONEM.

DE EO VBI PAVLVS HIE-
rosolymam Petro vel cunctis apostolis
de circuncisione, quam Iudæi no
uerant, retulit quæstionem.

CAP. XXIX.

IAm rabidas hominũ Paulus superauerat iras
Velificante fide, subitas uomuere procellas
Iudaica de nube doli, non primitus ulli
Posse lauacra dari, quam circuncisio carnis

Accedat de lege dei. gens dura quid ultra
Ad lapides ferrumque uocas? hoc umbra figuræ
Non species mansura fuit. simulata relinque
Quæ iam certa uides. Christi processit ab ore
Vita manens, omnesque iubet de fonte renasci
Qui ueniunt. cur membra secent, partemque resoluat
Cum totum saluare queant? ne quære uetusto
More premi nouitatis opem, deflexaque retro
Lumina constitui, postquam uia rectior omnes
Dirigit, & cœlis illustrat sentibus orbem.
 Lite sub ambigua Paulus loca tendit ad urbis,
Cui radiant monumenta crucis, sanctosque reuisit
Iuris apostolici proceres, quibus omnia præsens
Quæ sint gesta refert. Petrus, cui maxima cura est
Commissos augere greges, ad pascua cunctos
Se duce læta uocans, has explicat ore loquelas:
 Cernitis æternum sæclis memorata uetustis
Quæ populo docili cecinerunt ore prophetæ,
In nobis complesse deum, qui maluit emptor
Omnibus esse salus, nullum discedere passus
In pretio quo uitæ redit, mihi iussit apertam
Gentibus hanc monstrare uiam. quid uota morari
Tardarique iuuat, quid ue hæc ænigmata cana
Misceri cum luce noua? quos gratia purgat,
Vt ueniant lex nulla uetat, cœlestis amoris
Materia est festina fides. hanc Christus adoptat,
Hanc facit esse suam, qua quisque merebitur uti
Circuncisus adest, & iure renascitur undis.

Pastor

Pastorem statuere sequi, placet ergo ministris
Ire simul, scriptisq; pijs absoluere gentes.
Hoc illis non stare iugum, tamen esse cauendum
Ne simulachra colant, quorum libamina semper
Execranda forent, ne suffocata cruore
Quæ maculantur edant. ne sæuior hoste libido
Hos impura premat, quos lux baptismate mundat.
Clarius ut liqueant huius documenta figuræ.
Et progressa prius cur iam discedat imago,
Principium meminisse iuuat. Deus, inquit Abraham
Vt testamentum tibi nunc sobolique perenne
Constituas in carne meum, præputia ferro
Circuncide libens, & fœdera necte superna.
Secretam scrutemur opem, uideamus in isto
Vulnere pacta dei, qui testamenta recondit
Præscius, ut terris consortia iungat olympi
Quæ didicit iurare puer. qui primus ad undam
Repperit ecclesiæ currentem fonte Rebeccam.
Corporis ille locus quo circunciditur Abram
Luxuriam lasciuus habet, uitijq; minister
Naturæ sub lege iacet. pater ipse futurus
Seminis, unde salus ad uitam pullulat orbis.
Euacuat quæ culpa grauat, truncata libido
Virgineum promittit opus. hæc nanque propago
Diuinum concepit iter: hinc sacra Maria est
Ad partum generata nouum, quæ coniugis expers
Mater inest, natusq; dei de uirginis aluo
Emicat, atq; hominem mediator in omnia complet
Hinc

Hinc terrena leuans, illinc cœlestia præstans.
Præterit ergo uetus Christo nascente figura.
Hæc facies ius omne nouat, cultroq; fugato,
Spiritus ardescens cor circuncidit in undis.
Qui sanantur aquis, ne figant uulnera membris.

DE EO VBI PAVLVS A SPIritu prohibetur in Asia prædicare. CAPVT XXX.

NEscius interea curis laxare quietem,
Paulus in orbe docet, uerbiq; ligonibus oẽs
Excolit, & fidei cogit flauescere messem,
Errorum fugiente gelu. quem spiritus almus
Hæc Asiæ proferre uetat, nec Mysia quiuit
Diues agris huius tunc semina ferre salutis
Fœcunda ieiuna solo. uir quippe Macedo
In somnis hæc uisus ait: Miserere precamur
Illyricos dignare sinus. O gratia quantum
Improuisa parat, subito flammantur amore
Qui positum iam tempus habent. sic nocte fugata
Doctiloquus conuertit iter, fructuq; loquelæ
Nescitur esuriens Macedonia, perq; soporis
Dona salutiferam meruit comprendere linguam.
Quæstio crebra sonat, si plenus munere largo
Prædicat omnipotens: Non ueni perdere mundum
Sed saluare magis, faciat quæ caussa negari
Hæc alijs alijsq; dari. cum prodiga Iesu
In commune uelit pietas succurrere cunctis.

Suppetit affatum exemplorum copia, nosq;
Lectio multiplicem docet hac in parte figuram:
De qua pauca canam, Luca narrate relatu
E populo quidam Christo comes ire rogabat,
Quem secum prodire uetas. qui deinde tacentem
Sponte uocat, nouit mundans interna magister
Quæ uerbum iam corda ferant: quos obstruat intus
Error iniquus adhuc, ut tunc doctrina ministret
Officium, cum tuta uenit, ne sancta quod inquit
Incipiant uiolare canes, cœnoq; grauati,
In margaritas uertant contagia porci.
Altera res etiam superest in carmine dura.
Sed quibus ex ueteri patuerunt omnia fonte,
Ore datas tenui facile est aduertere guttas.
Exodus ille liber memorat uelamina sacri
Pontificis, qua nempe queat splendescere ueste
Officijq; habitum nitido componere cultu.
Qui segmentatus medijs altaribus astat.
Quas inter species parili numerantur amictu
In fœmore exuuiæ, quibus indumenta pudori
Progrediens ad templa locet, studeatq; sacerdos
Obstrictis renibus mysteria castus adire.
Quod statuit lex prisca magis, deuinctaq; iußit
Tunc hæc membra tegi quæ poßidet atra libido,
Cum properat libare deo. laxata relinquens
Coniugio post sacra tamen, ne partior usus
Ad sobolis non staret opus, sterilisq; marito
Connubij frigeret amor. cum certa propago

Hoc

Hoc ſolenne gerens, nullos admitteret unquam
Externa de ſtirpe uiros, ubi nomine priſco
Ex adytis perdurat honor. prolesq; per æuum
Sanctificanda redit, uicibus ſupplenda creandi.
Eccleſiæ nunc alma fides ſine fine pudicos
Pontifices iubet eſſe ſuos, & quærit in omni
Cauta tribu quos rite probat. nec ſanguinis iſte,
Sed meriti ſucceſſus erit, tamen illa figura
Qua ſine nulla uetus ſubſiſtit littera demum,
Hac melius nouitate manet, uariatq; recurrens
Alterna ratione uices, ne forte ſacerdos
Tunc generaſſe uelit, cum nec dum mente capaces
Cernit adeſſe greges. cumq; inſtat nobilis ardor
Diſcendiq; fames, ut apertius ora reſoluat
Ne quiſquam ieiunus eat. nam ſemine uerbi
Prolem poſſe dari, Paulus quoq; ſæpius inquit,
Filioli dicendo mei. iuuat ergo parumper
Eloquium genitale premi, ſtudiumq; docentem
Diſpenſare ſuum, laxans pro tempore uires
Ingenij ſtrictasq; ferens, ne fuſa profani
Conculcata terant, mandatis ſancta reſeruans.
Fas uetat inde queri culpis hoc imputat Adæ
Venæ pœna ſuæ. quid enim rea fauce parentum
Progenies ſibi iure petat, ſator ille benignus
Ni donare uelit, quicquid temerarius error
Corrupto natale tulit? uia ſola ſalutis
Affectus parcentis erit, miſeratio ſemper
Conditione caret. præſtans indebita Chriſtus

His pl

His pius accelerat, iustusq; his munera tardat.

DE EO VBI PAVLVS IN Philippis a puella Phitonem iussit exire.

CAPVT XXXI.

IN *Macedum terris cum mœnia nota Pilippi*
Doctoris celebraret iter, bacchata puella
Sub stimulo Phitonis ait: Paulum esse ministrum
Æterni scitote dei, professio uera
Mendaci de teste sonat, uocemq; fidelem
Perfidus auctor habet, sed non defertur honori
Quod cogit formido loqui, nec mente cohæret
Nudus amore timor. Paulus miseratus ab atro
Dæmone corda premi, nolensq; licere profano
Diuinas aperire uias: Fuge dixit, & ista
Vlterius tentare caue. nil iussa moratus
Hostis abest, uacuamq; domus possessor iniquus
Deserit, ac profugo mulier sanata periclo
Conticuit de laude uiri. quæ cœpta peregit,
Plusq; tacens hoc esse docet, de munere uulgi
Hæc quæstum faciebat heris, quos turbidus implet
Quo caret illa furor, populiq; procacis in aure
Seditione fremunt, Romanis obuia sacris
Sacra dari, ritusq; nouos exire per orbem
Et ueteres cecidisse deos. tunc agmina raptim
Fustibus innumeris eliso corpore Pauli
Conueniunt ubi carcer erat, quem sedibus imis
Includunt comitante Sila. uestigia quorum

Ligno mersa cano uinclis tenuere beatis.
O fœlix de clade locus, cui clara refulgent
Lumina pro tenebris, in quo dedit esse perhennem
Nox antiqua diem, niueam translatus in aulam
Ecclesiæ, cunctisq; ferens modo dona salutis.
Quàm bene carcer erat, tota concurritur urbe
Qui primus noua tecta petat, qui ue oscula figat
Postibus, & tacta sacretur parte chilindri.
Iam nocturna quies per corpora serpere fessa
Cœperat, exiluit tellus imitata ruinam
Visceribus concussa suis, & claustra relaxans
Mota uagatur humus, seruitq; canentibus hymnum
Tempestas famulata soli. Proh quanta patescis
A nullo superanda fides, ueniente periclo
Pœna fugit, geminoq; metu discrimina crescunt,
Vt perdant tormenta locum, tremefactus ab alto
Excutiens sua membra thoro, cum libera custos
Cernere antra necis, gladij mucrone retecto,
In uigilum uult ferre manum. sed non licet illi
Paulo teste mori, cuius solamine uitam
Repperit, atq; suo meruit de carcere solui.
Descendensq; domum, sacris fomenta ministrat
Vulneribus, liquidamq; parat sibi reditus undam
Cœlestem nacturus aquam. nam corda saluti
Figere Paulus amans, cunctos simul amne fluenti
Diluit, ætherei patuit cui luminis ante
Gratia non perimi, creuit post uita renasci.
Blandiloquis olim capta est sermonibus Eua

Dece-

Deceptura uirum, nunc improbus ora puellæ
Qui tunc dæmon agit, repetens ad crimina saxum
De quo prædo fuit, multis uentura cauendo
Peccati conceptor erat. sed apostolus Adam
Iam melior, cœleste leuans in imagine signum,
Qui fuerat terrenus homo, nec certa recepit.
Nam fallit quod ab hoste uenit, metuamus ut omnes
Hoc audire nefas, nec corrumpamur amari
Melle doli, si uera canat qui falsa ministrat.

DE EO VBI PAVLVS CVM Epicureis, Stoicis, philosophis decertauit. CAP. XXXII

INgenijs claris & linguis Paulus Athenas
Ingreditur, tumidamq; feris conflictibus urbem
Eloquio torrente premit. quem turba profari
Doctisonis mirata modis. quibus inquit ab oris
Verborum fluit iste sator? plebs nescia Paulum
Semina ferre uocat, fruiturq; errore magistro
Vera loquens. nanq; hic fœcundus in orbe uiator
Ambulat atq; colit, cuius labor omnibus instat,
Vt crescat diuinus ager, purgataq; fructum
Mens humana ferat, lolij ne sordeat herbis,
Quam segetes portare decet. munus æmula cogit
Ad proceres hunc ire simul, quibus ædidit adstans
Cecropidæ quos fama canit sermone diserto
Gymnasijs uernare suis, ubi præsidet altus
Sacrilegæ nouitatis amor, uos cernimus aram

Ignoto posuisse deo, qui condidit astra,
Qui pelagus terrasq; dedit, quem uita parentem
Vt moueamur habet, cuius spiramus ab igne,
Cuius imago sumus, de quo cecinere poëtæ
Hinc hominum constare genus, quē prædico cuncta
Sanxit ab ore suo. cur hæc diuina uocatis
Quæ facitis, uacuoq; metu cœleste putatis
Auxilium quod gignit humus. natura metalli
Visceribus iacet ima soli, quibus eruta sumit
Ingenij fabricātis opem, seu numina templis
Hinc ueniant seu uasa focis, sibi caussa timoris
Ars operata deos. dominum super omnia fusum
Claudere nemo potest, paruisq; artare figuris.
Quod capitur minus est spatio capientis, in auro
Materia est, opifex rerum non sustinet usum,
Quem simulāt quos ipse creat, quàm dura luetis
Crimina, quàm stultam sese sapientia uestra
Iudicij est sensura die, cum corpora Christus
Surgere cuncta iubet, tormentaq; fine carebunt.
Vtq; reos cruciet, seruat quos deuorat ignis.
Sic caro iuncta deo carnales expiat actus.
Et commissa sibi coram hac examinat auctor,
Qua uoluit moriente pati. quā funeris expers
Viuificare uolens, post tartara reddidit astris
Hæc multos ad dona uocant, Dionysius ipse
Primus in arce loci, noua præmia iungit honori,
Complexusq; fidem, sic incipit esse sophista:
O lupe Paule rapax, dedit hoc benedictio Iacob

Nomen

Nomen habere tibi. quid iam remanebit in orbe
Quod non ore trahis, postquã solertia grata
Cessit, & inuictas doctrina uincis Athenas?
Cur Epicureus uel Stoicus impia soli
Bella cient? reserare opus est, quo nomine multi
Sectarum coiere greges, uitam ambo beatam
Elegere sequi. quã corpore diligit alter,
Hic animi uirtute colit, dat & actio Pauli
Ad uitæ præcepta uiam. sic themate iuncto
Hi magis alternis soluerunt uocibus ora.
Corporis atq; animæ commissus partibus extat
Plenus homo, sed nunc studijs diuersa sequentes
Ambo uolunt quod uenter habet. uas lumine plenum
Subdit utrunq; deo, uideo clamans caro menti
Quàm sit iniqua meæ. rursusq; salubriter infit,
Non propria de parte geri quod gratia donat.
Hoc celebremus iter, uita est, quia Christus & ipse
Se uocat esse uiam, per se gradiamur ut ad se.
Sanctaq; ne pedibus possit cessare lucerna,
Præco datus fidei uestigia suggerit orbi.

DE EO VBI PAVLVS CO rinthi apud Aquilam manens, po pulum cõuertit ad dominũ.

CAP. XXXIII.

ATtica discedens iam liquerat agmina Paul9
Eloquijs superata pijs, bimarisq; Corinthi
Mœnia iũcta petẽs, populosam reppetit ur
Quæ licet alterni cõtingeret æquoris undã, (bem

Perpetuas sitiebat aquas, ubi ponticus ille
Aquila tunc praeceptor erat, uir plurima laudis
Instrumenta gerens, cuius se Paulus amico
Contulit hospitio, sociam dignatus adire
Artis amore domum. nam scenae factor uterque
Pollebant operis studijs, & dogmate legis.
Christus ait: Nunc Paule doce, non obuiat ullus
Me comitante tibi. quae sit mihi moenibus istis
Turba uides, insiste loquens, ego pectora firma
Ista mouent nullos unquam de munere tardo
Posse queri, gratis quod dat clementia Christi
Tecta sub ambiguo lateat ne forte figura.
Qua dabitur ratione canam, de nomine saepe
Argumenta trahi, documentaque maxima gigni,
Scripturae cecinere piae. iuuat altius ergo
Quaerere qui Paulo charus coniungitur hospes
Factus in arte comes, sub cuius imagine caussae
Sic uocitatus erat, quali ue decorus honorem
Hac quoque parte placens. Aquilae natura fidelis
Sponte gerit quod forma tenet. nam debilis aeuo
Et declinatis senior iam uisibus ales
Flumminuomo sub sole iacet. pennasque grauatas
Eius in igne fouet, nocturnaque lumina pandit.
Atque oculos radijs ardentibus ingerit aegros
Ad ueterem reditura diem. sic dona caloris
Languida sumit auis, cuius de fomite uires
Accipit, & prisci reparat dispendia saecli.
Cui ue sola forent, quae feruidus incutit aestus

Per la

Per laticum purganda uadum. ter mergit in undis
Et senium deponit aquis, iuuenemq; decoris
Effigiem de fonte leuat, quis apertior actus
Relligionis erit, cum ueri lumine solis
Tangimur. antiqui contagia soluimus æui
Accedente fide, lympha mox matre renati
Conspicimur nouitate rudes. infantia rursus
Fit recidiua seni, gemino uenientibus ortu
Hic melior natalis adest. bene conscius huius
Alitis exempli, quem spiritus egit opima
In cithara uersare manum. renouaberis, inquit,
More aquilæ, qua lege datur sentire, probatis
Laude placere typi, quod firmant cantica iusti.
Nec uacat ars Pauli socio celebrata sub ipso
Secreti uirtute boni. tentoria quippe
Fortia mobilibus fabricabat in aggere testis.
Longius hæc abiens peregrinus ubiq; uiator
Erigit, atq; hyemes solesq; bis pellibus arcet.
Nos quoq; per culpam prima de sede repulsi,
Exilio mundi iacimur, uia reddita tandem
Qua patriæ repetamus iter. munimina nobis
In castris sunt Paule tuis, ne criminis imbres
Tempestas mundana ferat, scelerumq; uapores
Ignitus tentator agat. sub tegmine tali
Tuta salus nullum discriminis excipit ictum,
Nec prostrata feri succumbit uiribus hostis.
Mystica signa duces præmittunt laudibus artis
Pisces Petrus agens, homines capit æquoris hospes

In ſacris perſiſtit aquis, habitacula Paulus
Dum terrena leuat, docet ut cœleſtia condat,
Factaq; ſæpe manu, nunc conſtruit atria uerbo.

DE EO VBI PAVLVS EPHEſi.xij.viros, qui a Ioāne baptizati ſunt, in Chriſto baptizauit.

CAPVT XXXIIII.

VLteriora ſequens luſtratis finibus arua, (dā
Cōueniēs Epheſum Paul9 docet, atq; ibi quoſ
Proſpiciens adſtare uiros, an ſpiritus almus
Venerit his quæſitor ait. qui fonte Ioannis
Se dudum maduiſſe ferunt. nam nominis huius
Expertes huc uſq; trahi, quos flumine ſacro
Abluit, & ſanctus mox ſpiritus ora repleuit,
Verborumq; dedit ſolitis uirtutibus imbrem.
Sæpius arma mouent iſta de parte profani,
Et bellare parant. quibus ut contraria poſſim
Fundere tela loquens, tu nunc mihi largius ora
Spiritus alme riga, ſint ut tibi dogmata digna
Quæ dederis. tu uocis iter, tu ſemina linguæ,
Tu dicture ueni, qui per tua munera ſemper,
Quæ reddamus agis, doniq; reſuſcipis uſum.
Nomine uenturi præcurſor in orbe Ioannes
Exhibuit baptiſma ſuum, dominoq; parauit
Ipſe uiam, memorans cunctis baptiſma futurum.
Poſt aliud, quod iure datur, quod trina poteſtas
Illuſtrare ſolet. ſed quod magis eligit huius
Tangere Chriſtus aquas, formā facit omnibus adſe

Currere fonte pio, ſacram ne deſerat undam
Vlterius mortale genus, quam corpore mundo
Et dominus dignatus erat, cum diluit amnem
Per famulum mergente deo, iam flumine tacto
Diſcipulis hoc ceßit opus, quos dogmata plures
Baptizaſſe canunt. ſerui ceſſare lauacrum
Fas fuerat ueniente dei, prænuntius ex quo
Dixerat iſta prius, quo fecit tempore Ieſus
Iam plenum baptiſma geri, uelut ante Ioannes
Inſolitum propriumq; daret. quæ regula Paulum
Compulit ut Chriſti deberent fonte renaſci.
Quem non uenturum, ſed iam ueniſſe Ioannes
Inſinuans, digito cœleſtem prodidit agnum,
Hunc peccata canens à cuncto tollere mundo.
Quid geminum baptiſma cupis ſimulare profane.
Diſſona non iterat, repetitio rem tenet ipſam,
Non aliam, bisq; illa foret, quæ primitus eſſe
Cœpit, & ipſa redit. nam cum diſcordet origo
Principij, finisq; ſequens, & ſingula dici,
Et patet eſſe ſemel, nulloq; errore grauantur,
Quæ collata ſimul poſſunt diuiſa probari.
Cum tamen hæretica nigredine plenus auerni
Polluitur quicunq; lacu, ſi lumen habere
Eccleſiæ uult forte piæ, non cogit ad undam
Noſtra fides hunc ire iterum. quia nomine trino
Dogmata praua trahũt, nec quis ſed qđ dare poßint
Explorare ſolet, poſitæ quem uera fateri
Inſtituere manus, ſolusq; repellitur error

In diuersa trahens, quod spiritus efficit unum.
Hos etiam bis sex memorat scriptura fuisse.
O sacer & fœlix numeri modus, agmine fuso
Cum meruere cibi damnorum semine nasci,
Iuris apostolici lata est tot gloria uasis.

DE EO VBI IN EPHESO VII. Iudæi, sicut Paulus faciebat, dæmoniacis manus imponentes, ab eodem lacerati sunt & fugati CAPVT XXXV.

IAm sermone potens Ephesi conuerterat urbem
Paulus, & æthereis fulgebat gloria signis.
Cumq; per innumeros nutarent saucia morbos
Corpora, nec miseros operata refecerit ægros
Artificum medicina manus, uelamina sacra
Absentes petiere sibi, quibus affuit ardens
Vt caderet uapor ille fides, finemq; calori
Altera flamma daret. semicintina deniq; Pauli
Atq; allata palam sudaria fusa per artus
Languorum pressere focos, membrisq; repostæ
Ad nihilum fluxere lues. uigor omnia curans
Tactus erat, milleq; domus à munere cessant
Quod medica de ueste ferunt. uirtute sub ipsa
Spirituum quoq; turbo minax uelut irrita fumi
Pars per inane fugit, ne fabrica pulchra creantis
Quæ plasmata solo cœlestis imaginis instar
Traxit, & auctoris speciem pro pignore portat,

Hoſpite ſit polluta ſuo, templumq; decoris
Inficiat prædonis odor. quo tempore ſeptem
Iudæa de ſtirpe uiri noua prælia tentant.
Sic prius affati: Quem Paulus nomine Ieſum
Prædicat, hunc tibimet pariter proponimus & nos.
Peruaſum dimitte locum, uox reddita contra
Chriſtus qui ſit ait, qui Paulus ſentio. nam uos
Ignotos uitare licet, cognoſce furorem
Gens inimica tuum. dæmon regnare fatetur,
Quem ueniſſe negas, atq; hoc conuinceris ipſo
Quo ſtimulante ruis, cui non datur ore placere
Quod terrore mouet. contraria dicere uoto
Cauſſa dei prohibet, quam lex comitatur amoris.
Hæc eſt uera fides, quæ tunc ſpectacula plebi
Quam ue triumphalem, domino uincente coronam
Contigit inde geri, rabido cum murmure frendens
Dæmonis ira ſuis bene noxia rumpit amictus.
Diſſecat & facies, fugiuntq; pericula uicti.
Nudaq; præcipiti conuertunt terga pauori.
Quid Iudæa ferox iam non de clade timebis?
Quæ ſocio ſic hoſte peris, cui criminis auctor
Punitorq; idem eſt, ne ſit te iudice purus.
Qua ſimul eſt peccante reus mox fama per urbem
Spargit ubiq; uolans & dæmonis edere uocem
Quod uirtus eſt ſumma dei, concurrere gaudent
Et latices intrare pios, maculasq; uetuſtas
Fonte lauare nouo, ſanctisq; niteſcere lymphis.
E quibus una datur ſimul inſons omnibus ætas.

Ast alij magicis ponunt incendia libris,
Vt mereantur aquas, & uitant ignibus ignes
Ardua flamma nimis, cuius super aëra fulgor
Euolat, & cœlum tales petiere fauillæ.
Quinquaginta etiam pretium posuere libellis
Millia nummorum, quoniam meruere nocentes
Sic abolere nefas, huius hæc caussa figuræ est.
Lege sacer numerus delicta resoluit, ut olim
Diluit in toto Dauid sua crimina psalmo,
Contractusq; fugat. nam quinquagesimus annus
Cum iubileus adest, proprij distractio ruris
Antiquo donatur hero seruire coactos.
Libertas amissa perit, mala debita laxat
Creditor, & lumen patriæ uetus aspicit exul.
Quinquaginta etiam cubitis distenditur arca,
Quæ depressa uadis, atq; æquore tuta salutem
Sub numero pietatis agit, seruataq; crescit
Per spatij parcentis opem. quia Christus ubiq;
Condidit ecclesiam uenia fabricante capacem.
Quæ sic cœpta fretis latissima funditur aruis.

DE EO VBI IN EPHESO CONTRA PAULUM DEMETRIUS ARGENTARIUS SEDITIONEM CONCITAUIT.

CAPVT XXXVI.

INfœlix Ephesi Demetrius arte locabat
Sacrilegis delubra locis, argentea suetus
Soluere uota suæ pretio maiore Dianæ,
Cedere cuncta uidens prisci monimenta furoris

Ingemit, & uarias his uocibus excitat iras:
Non pudet ò socij nostram cecidisse Dianam,
Quam mundi suspexit honor: mortalibus ultra
Quæ speranda salus, si non per sæcula possunt
Fine carere dij? quæ nunc simulachra sacellis,
Quæ poterũt dare thura focis, quos aduena Paulus
Territat, & quicquid gerimus pro nomine Dianæ
Muta metalla uocat, quorum discedit ab orbe
Relligio, pulsiq; fugam petiere penates.
Et mihi iam uideo subitis lapsura ruinis
Condita fama diu. templi quoq; nobilis ædem
In cineres stragemq; dari, quam prendimus arcem
Quam ue tenemus opem, quibus interclusa facultas
Est operum, crimenq; foret fecisse Dianam
Pergite tempus adest, labor ultimus omnia secum
Si desperat, habet. sola est uia uincere uictis
Formidare nihil, restat sors certa triumphi
Pro superis mouisse manus, insurgite telis,
Et qua uota deam celebrant, hanc arma reposcant.
His dictis plebs mota fremit, magnamq; Dianam
Communi clamore uocant, ac præpete cursu
Itur in obscœnum cum seditione theatrum.
Non alio meritum decuit, caussasq; Dianæ
Lasciuo tractare foro. capit area turpis
Concilij deformis opus, tamen impetus amens
Fluxit, ut in uacuas oculis qui labitur auras,
Nullaq; dispersus retinet uestigia fumus.
O miseranda manus, cur tu præstare laboras

Perpe

Perpetuam cur esse putas? te teste sacellis
Eruitur fugitiua suis, quo iure pauescis
Qua pereunte doles? cœloq; adiungere tentas
Qua terris remanere negas? nunc ordo figuræ
Explorandus erit, latebrisq; uidendus apertis.
Dicitur è solo Demetrius atria demens
Argento posuisse deæ, cum plura capaci
Protulerit natura sinu, quibus ista metallis
Fingeret, ut fusis armantur uultibus æra,
Ingeniiq; manus promittunt uiuere cautes.
Quod si sanctiloquos uoluamus ab ordine libros,
Inueniemus iter, puris quia sensibus aurum
Comparat, argentum nitidis scriptura loquelis.
Nam Psalmus licet ista canat, tu ne inclyte Moses
Altius hoc memoras, populo cum talia dictas
Aurum & argentum templorum desertæ decori
Quod iacet interius menti, non dura metalli
Materies sub corde latet. sed apertius illud
Exagitat quod Christus amat, mens obtulit aurum
Cui fuerat pretiosa fides, pariterq; ministrat
Argentum, cui uoce sonant bona tympana cordis.
Vt dominum duo iuncta colant, de pectore sensus
De sermone sonus, sic aurum dogmata legis
Argentumq; petunt hoc ad pia templa parari.
Nos quia templa sumus, si crimina cuncta recedãt
Plurima uerba monent, quæ Apostolus ipse reuelat.
Corde salus credentis erit, confeßio uoce.
Sacrilego res una fuit, Demetrius ædes

Condidit argento, cuius facundia mouit
Hos animos, ut norma probet ſine iudice ſenſu
Numina uana colit, nec de uirtute uenire
Pectoris iſtud opus, cui pars hæc ſola dicatur.
Quæ rationis inops nudam ſerit ore loquelam.

DE EO VBI IN TROIA PAVlus Eutychium de cœnaculo cadentē ſuſcitauit. CAP. XXXVII.

TV quoq; ſigna ferēs, titulos in carmine noſtro
Troia repone tuos, & laudibus adde triūphos
Qui magis ex uero fulgēt tibi clarius actu,
Quàm quæ pompoſo reboant tua bella coturno.
Lingua colona dei cum ſemina fœta ſaluti
Spargeret, in ſeram produxit tempora noctem.
Plus animis factura diem, micuere choruſcæ
Lampades, ut uerbi lucerent igne fideles
Solus ab excubijs niuacibus Eutychus exul
Merſa ſopore graui commiſit membra feneſtræ:
O male parta quies, ô ſemper dedita ſomno
Pectora nuda bono, quantis patet ille ruinis
Quem nox ſola tenet. nunquamq; reſuſcitat ægrum
Ad meliora caput, neſcit uigilare periclo
Qui patitur dormire deo. quid inane feneſtræ
Quæris adulte chaos? quid ue hac in parte quieſcis
Qua ruiturus eris? res eſt inimica ſaluti
Pendula celſa ſequi, furtiuaq; ſomnia prono
Carpere uelle thoro. poteras meliore cubili
In uerbo recubare dei, Pauloq; monente

Eius uelle aditum, cui lumine peruia recto
Ianua nomen inest. per quam de fonte lauatæ
Ad uitam graduntur oues, hanc quærite cuncti
Si rapidas fauces cura est, morsusq; cruentos
Euitare lupi, cuius lacerabitur ore
A pastore fugax, qui sparsos uocibus agnos
Euocat, atq; gregem propria de morte redemptum,
Non sinit insidijs & amari uulnere dentis
Rursus ab hoste capi. mœsto sonuere tumultu
Atria, concurrit gemitu miserata frequenti
Turba uidere locum, qui funere tristis acerbo
Lætitiam facturus erit: cui Paulus adhærens
Pectore uiuit, ait. quam uocem uita sequuta est,
Morsq; repulsa fugit. quantū tua Christe potestas
In famulis operata dedit, tu redditus astris
Æqualisq; patri de maiestate perhenni
Iura superna regis. sed quod caro corpore matris
Virginis orta tibi, regnum spoliauit auerni.
Viuaq; de proprio reuocasti membra sepulchro.
Teq; probans uoluisse mori qua parte resurgis,
Et qua natus eras, qua ferrea uincula soluis.
Lux alijs alterna redit te auctore, simulque
Exemplo donata tuo, qui subdita dudum
Cogis & electis succumbere tartara seruis.
Interea fœlix surgit de morte cadauer,
Et meliore uia tria per cœnacula sospes
Ducitur ad Paulum, cuius conspectibus insons
Cœpit adesse puer. uitæ iam dignus honore

Cum

Cum læti conuertit iter, quæ gloria facti
Instruit ad ueterem caussas aperire figuram.
Fulta tribus cameris Noë describitur arca,
Ecclesiæ documenta gerens. stetit ordine primo
Pars hominũ, pecudesq; gradum tenuere secundum,
Tertia sors addicta feris. quæ cuncta per undas
Arca quadrata tulit, uelut in baptismate lætis
Omnibus est nunc una salus. sed moribus unus
Non ualet esse locus. nam nidos fertur in illa
Ædificasse Noë, quem iustum dicit Hebræus,
Et requiem quod Christus inest, qui diuidit æquus
Præmia certa suis. quisquis uirtutis amator
Iungitur alta petens Noë, stat proximus infra
Ingenio breuiore minor, sors dedita sæuis
Tartareum tenet ima sinum. Sic Eutychus ergo
Prima parte cadens, inferni perditus horis
Hæsit, & humana uacuus ratione ferarum
Cœpit habere locum. cui postquã pectore Paulus
Incubuit, uerbumq; suum sapientia fudit,
Ore leuans animam carnali lege peremptam
Ad dominum de morte redit. quod epistola clamat:
Qui dormis iam surge citus. rursusq; perurget:
Teq; uigil de morte leua, super ardua trina
Promeruit iam stare puer, qui dogmate trino
Comperit æternæ quæ sit substantia uitæ.

DE EO VBI PAVLVS HIErosolymã profecturus, cunctis ex Asia conuocatis ualedixit in littore.

Iamq;

CAPVT XXXVIII.

IAmq; peragratis Paulus stationibus orbis
Ad Solyma uenturus erat, quo spiritus illum
Pergere sæpe monet, cupiens in littore noto
Perpetuum memorare uale, simul undiq; sacros
Euocat, has reddens caro de pectore uoces.
O dilecta manus, quæ Christi militat armis.
O summo plebs nata deo, meministis amoris
Et studij documenta mei. gentilia promptus
Agmina, Iudaicosq; tuli sine fine furores,
Vt uitæ præcepta darem, nullumq; lateret
In populo narrata fides. à sanguine uestro
Mundus semper ero, nec debitor oris auari
Clausa talenta luam, sterilemq; in semine uerbi
Ieiunus culpabit ager. uos conuenit inde
Vsuram præstare piam, cum uenerit auctor
Qui meriti discussor erit, seruosq; repescet
Mensuræ crementa suæ. mihi gemina ferre
Sensibus ardor erat, quæ passim credita sulcis
Sparsimus, ad fructus tenues mala terra dolebit
Vado uidere crucis uenerandam gentibus urbem
Qui me iussa uocant, uarij luctamen agonis
Hæc dabitur certare mihi, nam cuncta subibit
Qui cursum complere uolet, mitissima sors est
Pœnarum, quas uota gerunt, regniq; facultas
Perpetuo pro rege pati. seruate ministri
Ecclesiam, Christus pretium qua sanguine nobis
Fecit in orbe suo, famuli retinere laborent,

Quæ dominus de morte dedit. non cernitis ultra
Iam faciem uultusq; meos uigilantius ore
Commissos lustrate greges, quia dente rapaci
Conuenient ad ouile lupi. custodia peccat
Cum spolijs si raptor eat, pastoris inertis
Fraude perit, quod prædo capit. sed & acrior hostis
Intus erit, grauiusq; malum discordia portat,
Quæ uulnus sub pace creat. ne cedite duris
Virtuti damnosa quies, nullumq; coronat
In stadio securus honor, sua gloria forti
Caussa laboris erit, rarusq; ad præmia miles
Cui pax sola fuit, uictoria semen ab hoste
Accipit, hinc oritur. dominus plantaria uestra
Fœcundare ualet, qui per sua dona uenire
Ad sua dona facit, quæq; adiuuat ipse ministrat.
Non ego diuitias luxu fallente superbas
Alterna mercede tuli, nec munera sumpsi
Vos potius q̃ uestra petens. me scitis ut istæ
Cum socijs pauere manus, assuescite gazas
In lucis proferre uias, operumq; locare
Thesauros in sede poli. nil proderit aurum
Defossis quæsisse locis, si claudat auarus
Quod cælabat humus. quod non in paupere surgit,
In tellure iacet, cæcoq; resoluitur antro
Obscura peccante manu. laxate supernis
Corda precor monitis, neq; respuat ullus egeno
Tecta parare gregi, quo suscipit hospite Christum.
Sic postquā fatus, dedit oscula, cum simul orans

 Flexit

Flexit in arua genu, strictiq; doloribus omnes
Ad lachrymas fluxere pias, longeq; per undas
Obtuitu comitante sequi meruere carinam.
Dumq; per oppositas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis uia, raptaq; flabris
Puppis adhuc nota est, & mulcet imagine mentes,
Affectuq; animi crescit mensura uidendi.
Sed q; ait tribus hæc annis præcepta salutis
Nocte dieq; dedi, patet hac ratione figura:
Qui canit ecclesiæ tria dogmata, sæpius ædit
Historicum mortale sonans, typicumq; uolumen.
Sic etenim ternas capiunt sex uasa metretas,
Quæ ueteri de lege nouo rubuere liquore.
Forma sacrificij perfecti prisca canistro
Tres panes offerre iubet, quibus additur illud
Discipulis quod Christus ait, iam nocte roganti
Tres panes debere dari. nox iste profecto est
Mundus, ut hic si quis uerbi desyderat escas,
Exhibeas quæsite dapes, doceasq; uolentem,
Quòd pater & natus, q; sanctusspiritus unus
Sint deus, & numerum triplicat substantia simplex:
Nec semel hoc pia iußa canunt, angariat, inquit,
Te quicunq; petens, ut pergas præuius unum,
Cætera uade simul duo milia. nonne uidentur
Hoc mandata loqui? si quis te consulit errans
Ignarusq; uiæ, quid sit deus, ædere malis.
Prode patrem, subiunge libens quod filius, & quod
Spiritus almus, numero tres, & tamen unus.

Hinc

Hinc Iudæa uocans, sterilis quæ dicitur arbor,
Expectata tribus fructum non attulit annis.
Quæ triplici spernens tractare uolumina sensu,
In fidei numeris nescit dare munera Christo.

DE EO VBI PAVLVS IN templo cōprehensus est a Iudæis. CAPVT XXXIX.

NObile iam templum Salomonis Paulus adire
Cœperat, & ueteris solennia reddere legis.
Corripit hūc Iudæa manus, rabidoq; tumultu
Conclamat necis esse reum, sed in arma tribunus
Euolat, & uinctum geminis iubet esse catenis.
Quæ tamen astrictis incumbunt dura lacertis,
Non animum tormenta ligant. quod epistola Pauli
Lumine plena canit, uinciri posse ministros,
Vinciri non posse fidem, uerbumq; tenere
Supplicijs non esse datum. gradibusq; sub ipsis
Constitit Hebræo plebi sermone loquutus:
O fratres, patresq; uiri, me nostis in horis
His uenisse rudem, doctrinæ deditus omni
Legis amore fui, uobis modo testibus utor
Quorum scripta ferens, ardebam cæde Damasci
Christicolas punire greges, & finibus orbis
Hanc prohibere fidem. sed non mortalia possunt
Auctori certare deo, descendit ab astris
Lux, oculos clausura meos, & ab igne chorusco
Aucta dies latuit, caligantesq; tenebræ
Orbibus incumbunt, quarum mihi tempore creuit

Adueniens cum nocte iubar, discernere caussas
Euentus post facta solet. bene uidimus umbras
Vsuri iam sole nouo, sed & auribus hæsit
Clamor ab ore dei, repetito nomine Saule
Me Christus terrore quatit, ne signifer ultra
Auderem bellare sibi, quo iure negabo,
Quo feriente cado, cuius de munere prauus
Attollor meliore uia, perq; ardua surgo.
Sublimisq; sequor fœlicis dona ruinæ.
Iam satis ò ciues crudelia mouimus arma.
Nil dubium pars illa docet, quæ teste beata
Fungitur hoste suo. quid adhuc libet esse nocentes?
De tenebris lucete meis, cui fontis ab undis
Et uisum largita fides, & mortis imago
Viuere cœpit aquis. heu nunquã saxea tellus
Seminibus fœcunda suis, uacuiq; labores
Qui sterilem patiuntur humũ. post deniq; Iesus
Hæc mihi uisus ait: Procul hac, procul urbe relicta
Pergere Saule para, non est tibi credula nostri
Nominis, ad gentes potius cane uerba salutis.
Protinus hanc uocem querulæ rapuere phalanges
Proijciunt uestes, ac puluere longius acto
Ventosa leuitate fremunt, varioq; fragore
Personat in Pauli rabidum discrimina uulgus.
O Iudæa nocens, auctorem perdere uitæ
Cum cuperes, sic dicta dabas, fuit optio linqui
Quem uelles clamosa tibi, sed ab ore cruento
Triste petis malesuada nefas, & gaudia pascæ
Electa

Electo latrone colis, geminasq; furorem
Sæua pio, placata reo. certamine cuncto
Te spolias, uacuamq; locas, cum durior ipsis
In Stephanum tormenta iacis, deponis amictum.
Et nunc ueste cares, primi quia pœna parentis
Est cognata tibi, ueterisq; in corpore portas
Transgressoris onus. contraria fontis honori
Ne renoueris aquis, Adam sub criminis ortu
Cognouit quod nudus erat, documentaq; noxæ
Hinc misero patuere suæ, te mortis origo
Crebra subit, cui plena malis intorserit ira.

Bis habitum, quem culpa creat, iam bella tribunis
Vocibus his ardere uidens, fera uincula Paulo
Addidit, & castris torquendum misit iniquis.
Nota querela locis ut sit superanda canemus.

Paulus gesta loquens, socios ibi lumina dudum
Conspexisse suos, uocem tamen auribus ullam
Non hausisse refert. at tunc quo tempore cæcus
Decidit, & uocem comites audisse leguntur,
Sic uariat narrantis opus, sed utrunq; necesse est
Concinat haud dubium. nam tunc audisse feruntur
Accepisse sonum, nunc non audisse profecto.

Hæc rationis erit simplex uia, iure negatur
Vox quomodo confusa loqui, neq; creditur illud
A sermone dari quod non in pectore condit
Accipiens, dubia tantum stimulatus ab aure.
Ambiguusq; fragor solas diuerberat auras.
Sic audisse simul, sic non audisse leguntur.

Altera pars ſonitus, certa eſt pars altera uocis;
Et fert atque refert geminam res una figuram.

DE EO VBI PAVLVS CÆſaream veniens, ſe de obiectis coram præſide purgat. CAPVT XL.

AGmina ſupplicij feruentia corpore Pauli,
Pœnarumq; graues euoluere uerſibus iras
Cauſſa mouet, ſed lingua pauet, fugiam⁹ ab
Parte, dolor uetatq; nefas tā triſte, premamus (iſta
Eloquium, ne forte legens ſua fletibus ora
Compleat, & largis humeſcat pagina guttis.
Nec tamen hæc poterant animos ſatiare cruentos.
Ardet amor ſcelerum, cupiuntq; in ſanguine Pauli
Sacrilegas uerſare manus. quæ dura malorum
Vota? quaterdeni ueſanæ ſtirpis alumni
Impoſuere ſibi, non ullum ſumere potum
Primitus atque cibum, q̄ facta cæde ſedaret
Hinc magis eſſe dapes. O pallida cordis imago.
Pocula ſunt Iudæa tibi meliora cruoris,
Quàm laticis, nullasq; uolens contingere menſas
Eſuris ad facinus, ſaturamq; cadauere iuſti
Quæris habere famem. non hæc ieiunia Moſes
Condidit exemplo, & tot conſummata diebus
Vt memoras. quot tela moues, totq; inſpicis ante
Secretas patuiſſe uias, ubi diuite nimbo
Fluxerunt de rore cibi, rupisque uiciſſim
Arida fudit aquas. in quo meruere parentes
Diuina bonitate frui, donisque ſupernis

Enutrire animas, numero crudelis ab ipso
Tu sæuire uenis, pollutaque fœdera iungis
Agminis, ut plures faciat mors una nocentes.
Comperit hæc Lysias Pauli uulgante propinquo,
Quo ue parant aduersa loco. monet ocyus ergo
Clam sua iussa tegi, noctis qui in tempore cautis
Obscurum præuenit opus, lectisq; maniplis
Imperat, ut tuto Paulum comitentur honore.

Gloria de meritis à te delatus honeste
Non aliena foret, quodq; est ad premia rarum
Proditione places. nec te constantia lædit
Qua sceleri seruire times, in crimine uirtus
Crimen erit. cumq; ad facinus sociantur iniqui,
Est ibi culpa fides, quam tunc in laudibus ornat
Verus honor cum caussa pia est. stipantibus armis
Cæsaream mox Paulus adit, quo turba cucurrit
Rhetore fulta suo. qui præsidis aure potitus,
Irrita uerba dedit. contra sic denique Paulus:

Optime præses, ait, dudum te nouimus omnes
Iustitiæ documenta sequi, comitemq; modestam
Consilijs hanc esse tuis, quæ gratia suadet
Fidere, nec dubium tali sub iudice fari.
Non legis templiq; pium uiolauimus usum,
Nec sermone uago populares mouimus aures:
Vrbibus ex Asiæ uenientes soluere dona
Cœpimus, ad purum semper spectantia uotum.
Quis rogo liber erit, si res facit ista nocentem?
Eloquor haud metuens, neq; enim discrimina nouit

Formidare fides, audent quam dicere sectam
Luminis esse uiam, nec discordare nouellis
Iura uetusta. pater fas est modo credere cunctos
Corpora de tumulis iam posse resurgere, postquam
Detulit inde suum qui condidit omnia Christus.
 Obstupuit fœlix amisso nomine, uincla
Quem faciunt aliena rerum, quorum obice Paulus
Stringitur, & Festi seruatur præsidis anno.
Liquimus hic nimium, ne gaudia nostra morentur.
 Ad Latium iam Paule ueni, certamina crebra
Quæ fuerint agitata foro, quantiq; legantur
Iudaici fluxisse doli. nam talia Paulus:
 Cæsaris ad solium uos prouoco, cæsaris inquit
Appello Romanus opem. cui Festus abibis
Vt cupis, Augusti citius uisure tribunal.
Non stimulante metu fugiens discrimina Paulus,
Iudicij uitauit opus, mens anxia semper
Pro uita meliore mori, sed muneris auctor
Præconi testiq; suo iam dixerat olim
Quod Romam uenturus erat, clementia Iēsu
Omnibus in terris fidei sitientibus haustum,
Pocula dat de uase suo, cunctosq; rigari
Multifluo sermone iubet, meruitq; uetustas
Nominis occidui de lumine crescere uerbi.

DE EO VBI PAVLVS AD ITAliam sub militari custodia destinatus, xiiij. diebus & noctibus pertrāsijt in tempestate. CAP. XLI

Solue-

SOluerat eoo classem de littore uector,
Austri nactus opem, cuius spiramine læta
Crebrescente uia, ueliq; patentibus alis
Æquora fundebat puppis, sed mite quid unquam
Ventorum tenuere doli? mox flatibus Euri
Rupta quies Pelagi, tumidisq; incanduit undis,
Cerulei pax uicta maris, furit undiq; pontus.
Attollensq; suas irato gurgite moles,
Denegat abreptæ uestigia certa carinæ.
Quæ suspensa polis, deiectaq; iungitur aruis
Terrarum cœliq; sequax. caret artis amicæ
Præsidijs manus apta regi, gelidoq; fauore
Deponunt animos, nigroq; sub aëre cæci
Naufragium iamiamq; uident, clausoq; profundo
Mortis imago patet. uastas percurrere syrtes
Historica ratione uocor, lacerosq; rudentes
Et claui fragmenta sequi, sed non ego linguam
Tam fragilem committo uadis, rabidasq; procellas
Aufugiam tentare diu, ne forte canenti
Obruat exiguam uiolentior unda loquelam
Tangere pauca refert, tutas conabor arenas
Peruia fluctiuagæ latuerunt sydera puppi.
Nec solis radijs sub nubibus emicat axis.
Cumq; dies multos iam rite peregerit orbis,
In pelago nox una fuit, quo tempore nullis
Indulsere cibis. quanta est heu pœna timoris
Supplicium nescire famis, dat semina caussis
Res mala sæpe bonis. tam clari nautica pubes

Militiæq; cohors hominis tempsisset honorem.
Prosperiore freto, cuius custodia tandem
Soluitur, & sæuo uenerantur ab æquore uecti.
Quem portum sensere suum, gerit illa ruina
Ne lateat quod Paulus erat, sanctusque patescat
Assertore mari, raptisq; elementa laborant
Luminibus monstrare uirum, medijsque tenebris
Apparet radiata fides, fit laurea iusto
Ex pretio quod terror agit, mansuraq; uirtus
Crescit in aduersis. quod testibus ipsa periclis
Ad meritum discrimen habet. stans denique Paulus
Conclamata pijs animat sic pectora uerbis:

O utinam nostris uoluisses fida iuuentus
Consilijs parere prius, ne littora Cretæ
Linqueres, insani rabiem passura profundi,
Non pelagi cœliq; minas, non triste tulisses
Iacturæ populantis onus, nec turbine tanto
Desperata salus gemeret confinia mortis.
Quæ tamen humanum transcendunt gaudia uotum
Hæc facile est præstare deo, cui muneris usus
Hic potior quem nemo putat. nam missus ab astris
Angelus hoc placido ueniens denuntiat ore.

Quam turba uehit ista ratis, tibi rector olympi
Contulit, ut nullus figatur naufraga saxis.
Credite uera forent, nec spe frustrabor inani
Qui merui promissa dei, concessaque nobis
Insula portus erit, cuius statione licebit
Arrepta tellure frui, nauisque solutæ

Prospe-

Prospectare grauem nullo discrimine casum.
His dictis ruit ira maris, sublataque dudum
Lux reuocata micat, uelamine noctis aperto
Pandere uisa solum, quæ præbuit hospita nautis
Sicanio lateri remis uicina Milete.
Ante tamen rabidos q̃ uincant æquoris æstus
Soluite proclamat Paulus ieiunia fessi.
Et quartodecimo sicut nos uescimur, inquit,
Iam panem gustate die. memoranda figuræ
Sacramenta piæ ualeant qua lege probemus
Tempore quo primi fulserunt lumina mensis,
Hoc numero currente die, de carnibus agni
Turba iubetur ali. quarum munimine tacto
Libera Niliacas meruit uitare tenebras.
Hinc spacio simili Paulus de gurgite mundi
Quos auferre cupit, secum conuiuere suadet,
Et sacrum libare cibum, uestigia more
Obseruata legens. quorum speculantibus actum
Hæc duo sunt diuersa locis, sed proxima caussis.
Et repetita salus uno de fonte leuatur.
Agnus Christus inest, panis quoq; Christus habetur
De cælo quem & ipse docet, qui corpore Iësum
Sumpserit, hoste caret. nec iam sua iura Pharao
Ægyptusq; tenet, mox omnia dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans
Qui captiuus erat. falsi quoque fluctus abyssi
Linquitur, & tetri superantur stagna draconis,
Ereptoq; gregi largitur pascua Christus

Homi

Hominibus proprijs. pastor iam uerus edenti
Hinc etiam ecclesiæ gerit aurea luna figuram.
Quæ quartodecimo de primæ lampadis ortu
Conspicitur iam plena die, quia corpore Iësu
Creuit in orbe suo lucem factura perhennem.

DE EO VBI PAVLVS EXcussit viperam de manu sua in focũ, & illæsus permansit. CAP. XLII.

PElleret ut Paulus crescentia frigora membris,
Contulerat sarmenta focis, cui uipera fixit
Dæmonis arma ferens, urgentibus obuia flãmis
Antiqua feritate manum, gelidiq; ueneni
Vulnus in igne dedit. quid adhuc male noxia serpẽs
A domino reuocare cupis, ueteresq; rapinas
In legis nouitate paras? quid mortis amatrix
Cuius es ipsa parens, instauras bella redemptis?
Prædo uenis, sed præda iaces, lœtumq; ministrans.
Arboris alternis consumeris improba ramis.
Postq; crucem Christi mors est tibi portio ligni.
Haud procul hinc aberant agrestia corda gerẽtes
Barbarica de gente sati, qui murmure diro
Insonuere simul, satis est ex crimine fusi
Sanguinis iste reus. nullis iam tutus in horis
Cui pelagus tellusq; forent, mortalia tractant,
Et diuina probant, digito iam bestia pendens
Excutitur proiecta togis, bene reddita flammæ
Quam dedit ipsa prius, quæ culpæ protulit ignem
Vnde gehenna calet, glacies tepefacta ueneni

Soluitur in cineres, gelidæque superbia pestis
Ex ardore perit. focus hic rabidiq; uapores
Non solitas uires capiunt, atque arida secum
Nutrimenta ferunt. sed tu modo decoquis anguem.
Vsa tuo feruore fides, tibi subditur hostis
Frigidus, inq; uicem faciens incendia flagrat
Vipereo fumante gelu, ueniente timere
Labi posse ferunt, quanta per inania currit
Mens ignara boni. iam tunc de corpore Pauli
Virus abest, oculis cum squameus excidit horror,
Quem serpens antiqua dabat, purgatus in amne
Æthereo, Christiq; cruci sua mẽbra relegãs, (num
Nescit ab angue mori. uerat hæc quoq; flãma uene=
Quæ sacris uim sumit aquis, quibus ustus anhelat.
Qui docet ad patriam ueteres remeare colonos,
Incolumem sic stare diu mirata iuuentus,
Hunc ait esse deum. tandem rudis incola disce
Qua regit is uirtute polos, qui talia confert
Vt famulos hos esse putes. nunc caussa figuræ
Plenius in clari cernenda est munere facti.
Anguis origo necis, nam mors hinc ædita nomen
De morsu peccantis habet, contraria iustis
Vult retinere manũ, quomodo manus apta ministrãs
Iure uocatur opus. talem qui senserit hostem
Impiger excutiat, deumq; uaporibus urat.
Paulus ut admoti cognouit furta pericli
Serpere uelle sibi, cœlestia tela capessens,
Pressit in igne dolos. cuius de fomite crescens

Est accensa fides, & sensibus additus ardor.
Hincq; calor populis processit ab ubere fortis.

DE EO VBI PAVLVS A Milete insula nauigãs, Romam vsque peruenit. CAPVT XLIII.

M*Ensibus hybernis tribus in regione Milete*
Multiplicẽ dat Paulus opẽ, Publiq; parentẽ
Finitima de clade leuat. quo munere uiso
Vndiq; praecipites subitam rapuere salutem.
Pullulat interea nitidi coma frondea uiris,
Quo iuuenescit humus senio fugiente pruinae.
Suscipiensq; ratem uelis cedentibus auster
Praebuit aligeras, placidisq; in fluctibus undas.
Hunc spirare decet, quem personat ore propheta,
Qui speciem fidei torrentem cantat in austro.
Sic quoq; prostratis ad gaudia nostra procellis
Plurima quaeque legens distinctis oppida uicis
Venit ad ecclesiae sublimia culmina. Romae
Altius ordo petit duo lumina dicere mundi
Deuenisse simul, tantis è partibus unum
Delegisse locum, per quem sua sydera iungant,
Omnia qui fidei uirtutibus arua serenant.
Quae licet innumeris tendatur caussa figuris,
Pauca referre uolens, iisdem praestantibus edam:
Petrus in ecclesiae sacrato corpore princeps,
Haec turrita caput mundi circumtulit boris
Conueniunt maiora sibi, speculentur ut omnes
Terrarum dominae fundata cacumina sedis.

Gentibus electus Paulus sine fine magister,
Æquus huic præses oris diffundit habenas.
Quæ gentes prælata monet, quidq; intonat istud
Vrbis cogit honor subiectus ut audiat orbis,
Dignaq; materies Petri Pauliq; coronæ
Cæsareas superare minas, & in arce tyranni
Pandere iura poli, summumq; in agone tribunal
Vincere. ne titulus paruus contigerat hostis
Ægyptus mundi formam gerit inde uocari.
Quæ meruit ducibus plebs est commissa duobus,
In quibus officium fraternus nexuit ortus.
Idola tot Romæ mundo collecta subacto,
Quæ fuerant tenebris obnoxia corda premebant.
Liberet hic populus quem uinxerat ante Pharao
Exuit Ægypti totidem ductoribus umbras.
Perq; lauacra dei, quæ tunc maris egit imago
Vitæ nactus iter, cœlestem repperit escam.
His etiam germanus amor, quibus amplius ictus
Quàm natura dedit, geminos quos ædidit astris.
Non eadem tamen una dies, anniq; uoluto
Tempore sacrauit repetitam passio luce.
Et tenet æternam socialis gratia palmam.

FINIS.

Antuerpiæ, typis Ioannis Graphei. Anno M. D. XXXV.

Sediulij. Juvent. et Arator Opera.